This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Math. 390

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

OBSERVATIONES
IN
THEONIS FASTOS GRÆCOS PRIORES,
ET IN
ejusdem Fragmentum in
EXPEDITOS CANONES.
Accedit:
DE CANONE REGUM ASTRONOMICO,
Ejusque Auctoribus, Editionibus, MSStis, & quæ eò pertinent;
DISSERTATIO
in qua
DUPLEX CANON REGUM ASTRONOMICUS

Nunc primum editur ex Codice MSto Lugduno-Batavo, & ejusdem quoque Codicis ampla notitia exhibetur.

AMSTELÆDAMI,
Apud JOHANNEM BOOM.
CIϽ DCC XXXV.

AD

BENEVOLUM

LECTOREM

PRÆFATIO.

DAmus tibi, Benevole Lector, duos Tractatus: quorum *Prior* inſcribitur, *Obſervationes in Theonis Faſtos Græcos priores, & in ejusdem Fragmentum in expeditos Canones.: Poſterior* vero inſcribitur, *Diſſertatio de Canone Regum Aſtronomico ejusque Auctoribus, Editionibus, Manuſcriptis, & quæ eò pertinent.* Has Obſervationes, & hanc Diſſertationem, horis ſubceſivis jam a longo tempore conſcribere incepi: ſi mihi autem ab eo tempore *Ptolemæi de Hypotheſibus Planetarum Libellus* ad manus fuiſſet, & imprimis ſi jam tum *Codicis MS*ti *Bibliothecæ Lugduno Batavæ* uſus mihi conceſſus fuiſſet, quædam in his Obſervationibus & in hac Diſſertatione forte concinnius & diſtinctius tractari potuiſſent; & a quibusdam erroribus mihi caviſſem, qui tamen, ex poſteriori recenſione, per Notas adjectas, & ſubjectas corriguntur. Has enim Obſervationes & hanc Diſſertationem denuo refingere, mihi per ætatem non

 licuit,

licuit; neque ob paucos admodum errores neceſſarium duxi.

I. Prior Tractatus verſatur circa duo Theonis Alexandrini ſcripta, ab Henrico Dodwello in Appendice ad Diſſertationes ſuas Cyprianicas, primum edita. Quorum *Primum Faſtorum nomine venit*, ſed revera eſt Κανόνιον, ſive Tabula aſtronomica, inſerviens ad annum, menſem, diem, in Alexandrinorum anno fixo datum reducendum ad annum, menſem, diem in Ægyptiorum anno vago quæſitum, dato reſpondentem. *Secundum* autem *vocatur Theonis Fragmentum*, eſtque Caput 1um Commentarii Theonis Alexandrini in expeditos Canones.

A. Primum Theonis Scriptum explicatur in his Obſervationibus §° I—XI. & §° XXX & XXXI.

Ubi

Poſt brevem de Theonis Alexandrini ætate disquiſitionem:

Hujus Κανόνιο, ſive Tabulæ ſpecimen proponitur:

Et ejusdem Tabulæ σελίδια, ſive Columnæ ſex illuſtrantur:

Nec non ejus Schema ſeu Diagramma, a primo Alexandrinorum anno fixo repetitum, exhibetur:

Et denique hoc Κανόνιον Theoni Alexandrino aſſeritur.

B. Secundum Theonis Scriptum fuſius explicatur in his Obſervationibus §° XII—XXXVI.

Ubi primo agitur

De Commentarii Theonis Alexandrini in expeditos Canones editionibus & Manuſcriptis, §° XII.

De

De Fragmenti Theonis, a Dodwello editi, Titulo, atque occaſione. §° XIII & XIV.

De Quinque, in aſtrorum per expeditos Canones computo, præcognitis: quorum primum & præcipuum eſt Epocha computi aſtrorum, quæ figitur in Philippi Aridæi anno primo, ſecundum Ægyptios, in menſis Thoth die primo, in ipſa meridie, in Climate Alexandriæ. §° XV—XIX.

De quinque Capitulis, quæ ex tempore propoſito ordinarie oriuntur, quæque ſunt Icoſipentaëterides, anni ſimplices, menſis Ægyptius, dies menſis, & hora diei. Et de modo inveniendi Icoſipentaëterides, & annos ſimplices, ope Tabulæ Regnorum, & Tabulæ Icoſipentaëteridum. Ut & de modo inveniendi reliqua Capitula, ope calculi, ab anno Auguſti Cæſaris quinto excluſive deducti. Qui modi primo proponuntur, & deinde Exemplo illuſtrantur. §° XX—XXXI.

De Theonis Methodo ab anni Alexandrini fixi propoſiti reductionem ad annum Ægyptiacum vagum quæſitum, quæ ulterius explicatur: & quando primus dies intercalaris, ſeu ſexta Epagomena, anno Alexandrinorum adpoſita ſit, oſtenditur §° XXXII & XXXIII.

Deinde ſubjunguntur tres disquiſitiones, quibus diſtinctius inquiritur

In prima, de anni Ægyptiaci & Alexandrini ἀποκαταστάσει, ſive reſtitutione, quando facta ſit juxta Theonem Alexandrinum. §° XXXIV.

In ſecunda, Quis fuerit primus Alexandrinorum annus fixus, juxta Theonem, aliosque: ubi Petavii erronea hac de re ſententia, ejusque ex Theodoro Metochita, & ex Michaële Pſello argumenta refelluntur: & Scaligeri de loco Pſelli judicium expenditur §° XXXV.

In Tertia, de loco Dionis Caſſii, Hiſt. Libro LI. p. 457. A. ejusque ſenſu, agitur §° XXXVI.

II. POSTERIOR TRACTATUS, ſive DISSERTATIO DE CANONE REGUM ASTRONOMICO (in qua etiam Dodwelli in Appendicem, ad Diſſertationes ſuas Cyprianicas, Prolegomena, & ejusdem in hunc Canonem notæ ſparſim preſſius examinantur) dividitur quaſi in partes ſex.

A. PRIMA DISSERT. PARS.

Indicat quinam recentiorum, & quinam veterum de hoc Canone egerint: & hujus Canonis editiones & Manuſcripta recenſet §° I—IV.

B. SECUNDA DISSERT. PARS

Notitiam hujus Canonis ex variis Auctoribus exhibet. §ª V—XI. Et quidem in ſpecie

Ex Ptolemæi Almageſto. §° V.
Ex Theone Alexandrino. §° VI.
Ex Georgio Syncello. §° VII.
Ex Sethi Calviſii editione. §° VIII.
Ex Joh. Bainbrigii editione. §° IX.
Ex Petavii editione, aliisque ejus ſcriptis. §° X.
Ex Dodwelli editione, ejusque Prolegomenis & Notis. §° XI.

C. TERTIA DISSERT. PARS.

Agit de variis, quæ in hoc Canone occurrunt Epochis ſeu Æris, primo in genere §° XII. deinde in ſpecie, §° XIII-XVI. nempe

De Æra Nabonaſſari. §° XIII.

Ubi hæc tractantur:

a. Cur Aſtronomi Epocham computi ſui aſtronomici inceperint demum a Nabonaſſaro, & eam non altius repetiverint. p. 139.
b. An Aſtronomi Babylonii, qui ante Alexandrum M. vixerunt, tempus, quo ſuas ceperant Obſervationes, per Æram Nabonaſſari deſignarint: & an Epocham computi ſui a Nabonaſſaro deduxerint, vel in computo ſuo aſtronomico Æra Nabonaſſari uſi ſint? p. 141.
c. An Aſtronomi, qui poſt Alexandrum M. uſque ad Claudium Ptolemæum vixerunt, tempus, quo ſuas ceperant Obſervationes, per Æram Nabonaſſari deſignarint, & an Epocham computi ſui a Nabonaſſaro deduxerint, vel in computo ſuo aſtronomico Æra Nabonaſſari uſi ſint? p. 145.
d. Ptolemæum Æra Nabonaſſari uſum eſſe, & quomodo, diſtinctius explicatur. p. 149.
* *Ex* his probabile fit, Æram Nabonaſſari Ptolemæo Aſtronomo non eſſe antiquiorem.
e. An & quo ſenſu hujus Æræ a Nabonaſſaro primus meminerit Beroſus? p. 154.
f. Verba Beroſi apud Plinium, de quibus agit Dodwellus, proponuntur, & conſiderantur p. 155.
g. Æræ Nabonaſſari mentio apud Cenſorinum de die Natali. Cap. XXI. p. 156.

De Æra Philippi. §° XIV.

Ubi hæc tractantur:

α. An Aſtronomi ante Ptolemæum Æra Philippi, ſeu annis ab Alexandri morte uſi ſint? p. 157.

β. De

β. De uſu Æræ Philippi ſeu potius annorum ab Alexandri morte apud Ptolemæum in Almageſto, cur, quomodo, quando ipſe Ptolemæus in ſuo Almageſto hac Epocha ſeu Æra uſus ſit, p. 158.

γ. De Æræ ſeu Epochæ ab Alexandri morte inſtitutione per Alexandrinos in Alexandri M. honorem, ſententia Dodwelli examinatur. p. 165.

δ. De τοῖς προχείροις Κανόσι, ſive Expeditis Canonibus, qui Ptolemæo tribuuntur, & in quibus calculi aſtronomici Epocha figitur in Philippi Aridæi anno primo. Ubi fuſe pro & contra diſputatur, an hæ Tabulæ expeditæ Ptolemæum habeant auctorem, nec ne: & an Theo Alexandrinus earum ſit auctor; inquiritur: & quænam Tabulæ, præter aſtronomicas proprie dictas, inter eas contineantur, indicatur. p. 170.

ε. In Ptolemæi de Hypotheſibus Planetarum Libello, Aſtrorum Epocha in Philippi Aridæi anno primo conſtituitur. p. 184.

ζ. Ptolemæum τῶν προχείρων Κανόνων hoc eſt, expeditarum Tabularum Auctorem ſtatuit in Annalibus Vet. Teſt. Uſſerius. p. 185.

η. Ad ſupra dicta Epicriſis, qua varia in ſuperioribus dicta emendantur, & in ſpecie oſtenditur, Ieoſipentaëteridum Tabulam in Ptolemæi Almageſto, & Icoſipentaëteridum Tabulam in τοῖς προχείροις Κανόσι eſſe Tabulas a ſe invicem longe diverſas, & plane alius generis: & Ptolemæum horum προχείρων Κανόνων, hoc eſt, illarum expeditarum Tabularum primum eſſe Auctorem; licet illæ etiam Theoni Alexandrino, ut Auctori ſecundario, adſcribi poſſint. p. 190.

De

De Æra Auguſti. §° XV.

Ubi hæc tractantur.

A. An Aſtronomi ante Ptolemæum Æra Auguſti, ſeu annis ab Auguſto uſi ſint. p. 196.

B. An Ptolemæus in ſuo Almageſto annis ab Auguſto uſus ſit, & unde hi anni ineant? p. 198.

C. Dodwelli de annis Auguſtorum ſententia; & in ſpecie ſingularis ejus de Alexandrinorum primo anno fixo, & eorundem primo anno intercalari, ac de Theonis methodo, opinio proponitur, & examinatur. p. 200.

D. An forma anni fixi, in uſu civili, a ſolis Alexandrinis fuerit recepta; & an forma anni vagi, in uſu civili, a reliquis Ægyptiis fuerit retenta, & quamdiu? p. 212.

E. An Aſtronomi, poſt Ptolemæum uſque ad Theonem Alexandrinum, in obſervationum ſuarum tempore deſignando, aut in Phænomenorum hiſtoria, &c. annis ab Auguſto, vel a Diocletiano, juxta Alexandrinorum fixam anni formam, uſi ſint? p. 220.

F. Locus Cenſorini de magno anno Caniculari, & hujus anni initio, examinatur. p. 221.

G. De Theonis Κανονίῳ, quod Faſtorum nomine venit, an illud inde inceperit, unde repetendum cenſebat Theo magni anni Canicularis initium? Dodwelli ſententia refellitur. p. 226.

H. Cur Theo Alexandrinus Κανόνιον ſuum a Philippi anno 461° inceperit? p. 243.

De Æra Diocletiani. §° XVI.

Ubi hæc tractantur.

A. De Auctore Æræ Diocletiani, qui eam primus inſtituit, & in uſum civilem introduxit. p. 244.

B. Æra Diocletiani, in uſum civilem introducta, numerabat annos Ægyptiacos fixos, ab eorum menſe Thoth fixo ineuntes: quod pluribus exemplis probatur. p. 245.

C. Æra Diocletiani, in uſu aſtronomico adhibita, numerabat annos Ægyptiacos vagos, ab eorum menſe Thoth vago ineuntes: quod explicatur & probatur. p. 247.

D. An Æra Diocletiani, etiam extra uſum aſtronomicum, ab Ægyptiis, contradiſtincte ad Alexandrinos, juxta formam anni vagi, in uſu civili fuerit retenta? p. 248.

D. Quarta Dissert. Pars,

Agit de Canonis Regum aſtronomici auctoribus & concinnatoribus, in genere, §° XVII, & in ſpecie, §° XVIII-XXIII.

De Canonis a Nabonaſſaro uſque ad Alexandri M. mortem, auctore, & concinnatore. §° XVIII.

De Canonis ab Alexandri M. morte ſeu a Philippo Aridæo uſque ad Cleopatræ mortem. §° XIX. Ubi quoque de Porphyrii Canone Regum Ægypti.

De Canone uſque ad Antoninum Pium, an Ptolemæus Aſtronomus ſit ejus auctor fuſe examinatur, ac pro & contra diſputatur, & denique Ptolemæo auctori aſſeritur. §° XX.

De

De Canone uſque ad Diocletianum, an ad Theodoſium Seniorem, an Theo Alexandrinus ſit ejus auctor, aut continuator, inquiritur. §° XXI.

De Canone uſque ad imperii Phocæ finem, an Heraclius Imperator, qui Phocæ ſucceſſit, ſit ejus continuator, examinatur. §° XXII.

De Canonis continuatoribus poſterioribus uſque ad ipſius Canonis in tribus Manuſcriptis finem diverſum (de quibus nihil certi mihi conſtat) breviter agitur. §° XXIII.

E. Quinta Dissert. Pars

Agit de Canonis Regum aſtronomici forma & conſtitutione §° XXIV ad XXVI. Ubi

Canonis hujus forma & conſtitutio explicatur: & in ſpecie de Methodo in figendis imperii Regum & Imperatorum initiis in Canone adhibita, Dodwelli ſententia proponitur. §° XXIV.

Initia Hiſtorica & Canonica Imperatorum Romanorum ab Auguſto uſque ad Diocletianum inter ſe comparantur ex mente Dodwelli: eaque duplici modo in duplici Tabula diſponuntur. §° XXV.

Obſervationes, quibus illæ Tabulæ explicantur, ſubjunguntur. §° XXVI.

F. Sexta Dissert. Pars

Notitiam Codicis Manuſcripti Bibliotheceæ publicæ Lugduno-Batavæ ſatis amplam exhibet: & duos ex hoc Codice Regum Canones aſtronomicos in lucem edit: & initia hiſtorica

torica & Canonica Imperatorum Romanorum inde a Diocletiano, juxta utrumque Canonem, inter ſe comparata, in Tabulis diſponit, cum Obſervationibus §° XXVII-XXXI.

Notitia Codicis MS^ti^ Lugduno-Batavi. §° XXVII.

Ubi hæc tractantur.

A. De Codicis hujus Inſcriptione & poſſeſſore, cujus ope in Bibliothecam Lugduno-Batavam devenerit. p. 305.

B. De hujus Codicis conſtitutione, & forma exteriore. p. 306.

C. De hujus Codicis partitione generali, & partium diverſa ſcriptura. p. 307.

D. Primæ partis, ſeu Commentarii Theonis Alexandrini in expeditos Canones, Capitum omnium recenſio. p. 307.

E. Fragmenti Theonis, a Dodwello editi, cum Manuſcripto Lugdunenſi accurata collatio, & omnium variantium Lectionum diſtincta annotatio. p. 309.

F. De duobus Foliis, quæ Theonis Commentario præponuntur. p. 311.

G. De duobus cum dimidio Foliis, quæ poſt Theonis Commentarium occurrunt. p. 312.

H. De hujus Codicis parte altera, quæ προχείρους Κανόνας, hoc eſt, expeditos Canones, ſeu Tabulas aſtronomicas comprehendit, quarum Tabularum omnium & ſingularum recenſio exhibetur. p. 313.

I. Primi Canonis Regum Aſtronomici, a Nabonaſſaro ad Phocam diſtinctior deſcriptio. p. 318.

K. Se-

K. Secundi Canonis Regum Aſtronomici, a Nabonaſſaro ad Michaëlem cum Filio, diſtinctior deſcriptio. p. 321.

L. Faſtorum Conſularium Græcorum poſteriorum, a Dodwello ex Iſaaci Voſſii ſchedis editorum, & ex hoc Codice exſcriptorum, diſtinctior deſcriptio, & reſtitutio. p. 324.

M. Icoſipentaëteridum Tabulæ pro Sole & Luna, & pro reliquis quinque Planetis, ulterior conſideratio. p. 332.

N. De reliquis hujus Codicis Tabulis Aſtronomicis proprie dictis, an ex Ptolemæi Almageſto ſint deſumptæ. p. 334.

O. De hujus Codicis ætate, ſeu tempore, quo ſcriptus eſt. p. 334.

P. Hujus paragraphi XXVII^{mi} concluſio. p. 334.

DUPLICIS CANONIS REGUM, EX CODICE LUGDUNO-BATAVO, EDITIO.

In qua editione Codicem Manuſcriptum, quantum fieri potuit, exacte expreſſimus. Servatis iiſdem lineis. Servata quoque eadem Literarum forma, quantum ſcilicet per Typos & Typothetas licuit: præcipua autem differentia occurrit in prima Alphabeti Græci litera Alpha, quam per A expreſſimus, cum aliam & magis recentiorem in MS^{to} formam habeat; ut & in litera Numerali quæ ἐπίσημον Σάνπι vocatur, & numeri 900 valorem habeat, quam boc modo expreſſimus ϡ, licet in MS^{to} aliam & plane ſingularem præferat formam.

P R Æ F A T I O.

Canoni Regum ſecundo adjecimus Appendicem, quæ in MS^{to} occurrebat, quæque in Iſaaci Voſſii ſchedis omiſſa erat: qua hic Canon, poſt finem imperii Michaëlis cum filio, ſeu annum Philippi 1136um, continuatur uſque ad annum Philippi 1238um.

E R-

ERRATA

Sic

CORRIGENDA.

Pag. 10. linea 20. pro qui, lege quo.
P. 16. lin. 28. pro βιβλίῳ, lege βιβλίοις.
P. 22. lin. 1. pro ἀπογεγραψάμεθα, lege ἀπογεγραψόμεθα.
P. 22. lin. 23. pro una, lege ima.
P. 23. lin. 11 pro ΑΙΓΥΠΤΙΟΥ, lege ΑΙΓΥΠΤΙΟΙ.
P. 24. lin. 13. pro ἀπογεγραψάμεθα, lege ἀπογεγραψόμεθα.
P. 24. lin. 18. pro qua, lege quas.
P. 24. lin. 29. pro iidem, lege itidem.
P. 27. lin. 27. pro σελισίῳ, lege σελιδίῳ.
P. 31. lin. 32. pro ἀπογεγράψεσθε, lege ἀπογεγράφεσθε.
P. 45. lin. 8. pro facere, lege fecere.
P. 54. lin. 33. pro i didemque, lege indidemque.
P. 57. lin. 35. pro annus, lege aufer.
P. 61. lin. 15. pro 77, lege 277.
P. 73. lin. 17. pro βουληοθείη, lege βουληθείη.
P. 95. lin. 6. pro πρόγειροι, lege πρόχειροι.
P. 105. lin. 14. pro quod Michaëli, lege Michaëli.
P. 105. lin. 30. pro intuitu, lege intuitui.
P. 135. lin. 38. pro Sexto, lege Quinto.
P. 140. lin. 14. pro ἀκολιθοῦντες, lege ἀκολουθοῦντες.
P. 144. lin. 33. pro ὥρως, lege ὥρας.
P. 145. lin. 4. pro cœperunt, lege cœperunt.
P. 148. lin. 14. pro habitu, lege halitu.
P. 161. lin. 36. pro anno 1°, lege anno 1° *conſtituta*.
P. 195. lin. 14. pro προχείρῳ, lege προχείρων.

P. 265.

E R R A T A.

P. 265. lin. 26. pro aſtronmoroum, lege aſtronomorum.
P. 315. lin. 34. pro (625um) lege (726um
P. 329. lin. 9. pro METΛ, lege META.
P. 338. lin. 2. pro ONOPIOI, lege ONOPIOC.
P. 341. lin. 17. pro 43, lege 143.
P. 351. lin. 19. pro 308. Maji 7. lege 308. Junii 7.

OB-

OBSERVATIONES IN FASTOS GRÆCOS PRIORES THEONIS ET FRAGMENTUM THEONIS

In expeditos Canones, ex editione Henrici Dodwelli,
In Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas.

I.

Contenta hujus Appendicis.

HÆc Appendix continet
1. Prolegomena Dodwelli.
2. Canonem Regum Aſtronomicum.
3. Faſtos Græcos priores Theonis.
4. Fragmentum Theonis in expeditos Canones.
5. Faſtos Græcos poſteriores Heraclii.
6. Fragmentum Imperatoris Heraclii in expeditos Canones.

I I.

Quis Theo Alexandrinus, & quando vixerit.

Theo Alexandrinus fuit Mathematicus & Aſtronomus. Vide Voſſium de Scientiis Mathematicis C. XVI. §° 9. *p.* 59. & *p.* 435. & C. XXXIII. §° 17. & 22. *p.* 163 & 164.

Scholam habuit Alexandriæ, in quâ Aſtronomiam profeſſus eſt; ut colligimus ex hoc Theonis in προχείρους Κανόνας fragmento, ſub initium.

Receptus fuit in Muſeum Alexandrinum, in quo viri docti, undique congregati, publico ſumptu alebantur: unde ὁ ἐκ τοῦ Μουσείου a Suida appellatur. Vide Kuſteri diſſertationem de Muſeo Alexandrino, in Theſ. Antiq. Græcar. Gronovii, vol. VIII. *p.* 2775. B. & confer Joh. Frid. Gronovii de eodem Muſeo, exercitationes, ibidem *p.* 2758. A.

Floruit, teſte Suida, ſub Imperatore Theodoſio Seniore. Verba Suidæ hæc ſunt: Θέων, ὁ ἐκ τοῦ Μουσείου, Αἰγύπτιος, φιλόσοφος, σύγχρονος δὲ Πάππῳ τῷ φιλοσόφῳ, καὶ αὐτῷ Ἀλεξανδρεῖ. ἐτύγχανον δὲ ἀμφότεροι ἐπὶ Θεοδοσίου βασιλέως τοῦ πρεσβυτέρου. Theodoſius Senior autem Imperium tenuit ab anno Chriſti 379°. uſque ad annum 395um.

Exemplum, quo Theo utitur in Fragmento εἰς τοὺς προχείρους κανόνας, eſt anni a Diocletiano 77^{mi}. qui concurrit, a ſequenti Januario, cum anno Chriſti 361.

Theo in Comment. in μεγάλην Ptolemæi σύνταξιν, Libro 6° computat Solis Eclipſin, quæ facta eſt anno a Nabonaſſaro 1112°. a Philippo 688°, qui init a Maji die 24° anni Chriſti 364^{ti}.

Ultimus horum Faſtorum, ſeu hujus κανόνος annus eſt annus ab Alexandro 695us, ab Auguſto 401us, qui concurrit a ſequenti Januario, cum anno Chriſti 372°, quo Conſules fuere *Modeſtus & Arintheus*.

Vide Dodwellum in Obſervationibus ad Canonem Regum Aſtronomicum, *p.* 24.

I I I.

Quis auctor Faſtorum priorum qui in titulo Appendicis inſcribuntur.

Faſti priores, Theonis forſitan Alexandrini (ex Archivis tamen Sacerdotum Heliopolitanorum) nunc primum editi, e MS° Saviliano.

Recte

Recte conjicit Dodwellus, hoc Scriptum, quod *Faſtorum* nomine venit, eſſe Theonis Alexandrini: collatio enim eorum, quæ in Theonis fragmento εἰς τοὺς προχείρους κανόνας leguntur, hoc ſatis clare oſtendit: ut ex infra dicendis patebit.

IV.

De Editionibus horum Faſtorum.

Primus eos edidit e MSº Saviliano Henr. Dodwellus, in Appendice ad Diſſertationes ejus Cyprianicas, quæ prodiere cum Operibus Cypriani recognitis & illuſtratis per Joannem Oxonienſem: Oxonii 1682. in Fol.

Recuſi ſunt hi Faſti poſt Chronicon Paſchale, in editione Pariſ. anni 1686.

Dodwelli Diſſertationes Cyprianicæ etiam prodierunt Oxoniæ 1684, in 8º (Hæc editio anni 1684, & illa quæ Operibus Cypriani, anno 1682 editis, ſubjungitur, eſt revera eadem editio, & impreſſio.)

V.

Specimen horum Faſtorum.

Anno Æræ Vulg. Chriſti	Conſules Romani	ἔτη ἀπὸ Ἀλεξάνδρου.	ἔτη ἀπὸ Αὐγούστου.	ἐπακταί, ἤτοι ἐμβόλιμοι	τετραετηρίδες.
138.	Αντωνιος ευσεβης και Καμ.	υξα.	ρξζ.	μ.	β.
139.	Αντωνιος δευτ. και Πρεσ͂.	υξβ.	ρξη.	μ.	γ.
140.	Αντωνιος τριτος και Αυριλ.	υξγ.	ρξθ.	μα.	δ.
141.	Σιλαγας και Σευηρος.	υξδ.	ρο.	μα.	α.
142.	Ρυφινος και Κυλδρατος.	υξε.	ροα.	μα.	β.
143.	Τορκυατος και Ατικος.	υξϛ.	ροβ.	μα.	γ.
144.	Μαξιμος και Λουιτος.	υξζ.	ρογ.	μβ.	δ.
145.	Αντωνιος και Αυριλλ.	υξη.	ροδ.	μβ.	α.
146.	Κλαρος και Κλαυδιος.	υξθ.	ροε.	μβ.	β.
147.	Λαργος και Μεσαλινος.	υο.	ροϛ.	μβ.	γ.
148.	Τορκυατος και Ιυλιανος.	υοα.	ροζ.	μγ.	δ.
Columna 1ª	Columna 2ª	Col. 3ª	Col. 4ª	Col. 5ª.	Col. 6ª

V I.

Explicatio 3ª & 4ª Columnæ.

Æra Nabonaſſari in ſuo decurſu recipit varias novas Epochas, a ſeriori initio exordium ſumentes, ſed deinceps cum ea concurrentes.

Quales ſunt

Epocha, ſeu Æra, vel anni

ab Alexandro.

ab Auguſto.

à Diocletiano.

Columna 3ª habet Epocham ſeu Æram ab Alexandro.

Vocatur ab Alexandro, quia exordium ſumit inde a morte ſeu fine Imperii Alexandri M. ſeu, quod idem eſt, a 1° anno Philippi Aridæi. Vide Canonem Regum Mathem. & confer Syncell. *p.* 326. D.

Primus annus Philippi Aridæi, adeoque hujus Æræ, ſeu annorum ab Alexandro eſt Æræ Nabonaſſari ſeu annorum a Nabonaſſaro 425ᵘˢ, ut ex Canone Regum patet.

Ac proinde annus ab Alexandro 461ᵘˢ, qui primus horum Faſtorum eſt, eſt quoque annus a Nabonaſſaro 885ᵘˢ.

Columna 4ª habet Epocham, ſeu Æram ab Auguſto, ſeu, quod idem eſt, a morte Cleopatræ, & capta Alexandria, & ſic a fine regni Ægyptiaci, & ſimul totius Imperii Macedonici, & ab initio Monarchici Romanorum Imperii. Vide Canonem Regum Mathem.

Primus annus Imperii Auguſti poſt mortem Cleopatræ & captam Alexandriam, adeoque hujus Æræ ſeu annorum ab Auguſto, eſt Æræ Nabonaſſari, ſeu annorum a Nabonaſſaro annus 719ᵘˢ; ut ex Canone Regum Mathematico patet.

Ac proinde annus ab Auguſto 167ᵘˢ qui horum Faſtorum Primus eſt, & cum anno ab Alexandro 461° concurrit, eſt quoque annus a Nabonaſſaro 885ᵘˢ.

Concurrunt itaque

annus Faſtor.	annus Nabon.	annus Ab Alex.	annus Ab Aug.
1ᵘˢ	885ᵘˢ	461ᵘˢ	167ᵘˢ.

VII.

VII.

Ad 1^{am} Columnam Obſervationes.

Columna 1^{a} exhibet annos a Nativitate Chriſti juxta Æram vulgarem.

Hi anni non a Faſtorum Auctore, ſed ab eorum editore additi ſunt.

Sed quoniam anni a Nabonaſſaro, & ſimiliter anni ab Alexandro, & anni ab Auguſto, cum duplici anno Æræ Chriſti vulgaris concurrunt, nempe priori ſui parte cum illo, in quo initium ſumunt, & poſteriori ſui parte cum illo in quo finem accipiunt: Quæritur quinam anni Chriſti hic adpoſiti ſint.

Quia concurſus annorum Nabonaſſari cum annis Periodi Juliani & Æræ Chriſti Vulgaris determinatus & cognitus eſt, Reſponſio quoque ad hanc Quæſtionem facilis eſt.

Nempe anni Æræ Chriſti hic adpoſiti ſunt illi in quibus anni Nabonaſſari finem accipiunt, & cum quibus poſteriori ſui parte concurrunt.

Currente itaque			Incipit a ſequenti Jan.	
anno Nab.	anno ab Alex.	anno ab Aug.	annus Æræ Chriſti	annus Per. Jul.
885°	461°	167°	138us	4851us.

Cur Editor horum Faſtorum anno 1° annum Æræ Chriſti 138um adpoſuerit, & non potius annum 137um, ratio patebit ſequenti §° 8°.

VIII.

Ad Columnam 2^{dam} Obſervationes.

Columna 2da exhibet Æram Conſularem, per paria Conſulum Romanorum, ſingulis annis ab Alexandro & ab Auguſto adſcripta.

Atque hinc hoc Scriptum nomen *Faſtorum* accepit.

Cum potius ſit πρόχειρος Κανὼν, vel ſi mavis Κανόνιον, inſerviens ad annum Alexandrinorum fixum, ejusque menſem & diem datum reducendum ad annum Ægyptiorum Vagum, ejusque menſem & diem, quæſitum, ut ex dicendis in ſequentibus patebit.

An autem paria Conſulum in his Faſtis ubivis recte ſuis annis ſint adpoſita, & nomina Conſulum recte ſint expreſſa, nunc non inquiro.

Hoc tantum obſervo,

1° Annos Æræ Conſularis incipere a Januario, æque ac anni Chriſti Æræ vulgaris.

2° Hic adponi Conſules, qui jam currente anno ab Alexandro & ab Auguſto, ad quem notantur, a ſequenti Januario Magiſtratum inierunt: ut ex collatione horum Faſtorum cum aliis Faſtis, a viris doctis editis & correctis patet.

3° Atque hinc eſſe, quod Editor ad 1um horum Faſtorum annum adpoſuerit non annum Chriſti 137um, ſed annum 138um, quia nempe Conſules primi, anno ab Alexandro 461°, & ab Auguſto 167° ab Auctore adpoſiti, Conſules erant anni Chriſti 138^{vi}, non 137^{mi}.

4° Hos Faſtos continere annos 235, & ſe extendere ab anno Æræ Chriſti vulgaris 138, uſque ad annum 372.

I X.

Explicatio 6æ Columnæ.

Columnæ 6æ Titulus eſt Τετραετηρίδες hoc eſt, *Cycli quatuor Annorum, Cycli Quadriennales.*

Huic Columnæ autem hic Titulus ſuperſcribitur, quia Numeri, illi Columnæ inſcripti, circulo quatuor annorum volvuntur, ab unitate incipientes, & ultra quaternarium non progredientes.

Numeri autem ipſi, qui huic Columnæ inſcribuntur, indicant, vel 1um, 2um, 3um, & 4um Tetraëteridis annum, vel potius unum, duos, tres, quatuor diei quadrantes, ac ſi ſcriptum eſſet $\frac{\alpha}{\delta}$, $\frac{\beta}{\delta}$, $\frac{\gamma}{\delta}$, $\frac{\delta}{\delta}$, hoc eſt unum, duo, tria, quatuor τέταρτα τῆς ἡμέρας.

Illa autem τέταρτα, ſeu quadrantes diei oriuntur ex anni Ægyptii, dierum 365 tantum, cum anno Alexandrino, dierum 365 cum quadrante, comparatione; & ex illis quadrantibus, ubi ad numerum quaternarium creverunt, oritur dies intercalaris, qui unoquoque anno quarto, ad finem anni Alexandrini adjicitur, ſed in anno Ægyptio omittitur. Unde etiam tum numerus ἐπακτῶν, ſeu ἐμβολίμων, hoc eſt, dierum intercalarium, unitate creſcit.

Sed, quod probe notandum, illi Numeri, huic Columnæ inſcripti, indi-

indicant, illo anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto, cui apponuntur, ineunte, tot diei quadrantes, in anno proxime elapſo, jam tranſiiſſe, adeoque initium hujus anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto, cui apponuntur, tot diei quadrantibus anticipare initium ejusdem anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto.

Exempli gratia, horum Faſtorum primus annus ita ſignatur, *annus ab Auguſto* 167. *Intercalares XL. Tetraëterid.* 2. Ubi ille Numerus *Tetraëter.* 2 indicat, quod illo anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 167° ineunte, duo diei quadrantes in anno ab Auguſto 166° proxime elapſo, jam tranſierint: adeoque initium hujus anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 167^mi (ultra dies XL) duobus quadrantibus anticipare initium ejusdem anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 167^mi.

Præterea, horum Faſtorum tertius annus ita ſignatur. *Annus ab Auguſto* 169. *Intercalares XLI. Tetraëterid.* 4. Ubi ille numerus *Tetraëter.* 4 indicat, quod illo anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 169no ineunte, quatuor quadrantes, qui faciunt diem unum, in anno ab Auguſto 168°, proxime elapſo, jam tranſierint: adeoque initium hujus anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 169^ni, ultra dies XL, quatuor diei quadrantibus, hoc eſt, die uno, & ſic in univerſum diebus XLI, anticipare initium ejusdem anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 169^ni.

Unde porro patet Numeros huic Columnæ Tetraëteridum inſcriptos etiam prodere annos Intercalares, & indicare quotus ab Intercalari annus ſit.

Exempli gratia,

Numerus 2, in Columna Tetraëteridum, ad annum ab Auguſto 167um appoſitus, indicat, annum, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 166um, proxime elapſum, fuiſſe ab anno intercalari, proxime tranſacto, annum ſecundum: & annum, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 167um labentem, eſſe ab anno intercalari, proxime tranſacto, annum tertium.

Præterea, Numerus 4, in Columna Tetraëteridum, ad annum ab Auguſto 169um appoſitus, indicat annum, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 168um, proxime elapſum, fuiſſe intercalarem dierum 366: & annum, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 169um labentem, eſſe ab anno Intercalari, proxime tranſacto, annum primum.

X.

Explicatio 5ª Columnæ.

Columnæ 5ª Titulus eſt ἐπακταὶ ἤτοι ἐμβόλιμοι.

Certum eſt, hoc Titulo indicari, quod hæc Columna contineat dies Epactiles, ſeu Intercalares.

Certum quoque eſt, Numeros huic Columnæ inſcriptos, indicare Numerum talium dierum Epactilium ſeu intercalarium.

Hi dies oriuntur ex anni Ægyptiorum vagi cum anno Alexandrinorum fixo comparatione. Anno enim Alexandrinorum unoquoque quarto, inde ab ἀπὸ καισάρσει numerato, ad finem anni dies intercalaris adjicitur, qui ipſis VIª Epagomena dicitur: hunc autem diem intercalarem annus Ægyptiorum non admittit. Unde patet, Numerum horum dierum intercalarium, anno Alexandrino adjectorum, & in anno Ægyptio omiſſorum, ſingulis quadrienniis evolutis unitate creſcere.

Sed quod probe notandum, ille Numerus dierum intercalarium, huic Columnæ inſcriptus, & ad annos ab Auguſto appoſitus & quater repetitus, indicat, quod primo illius quadriennii anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto, cui prima vice ille Numerus apponitur, ineunte, tot dies intercalares in annis, inde ab ἀπὸ καισάρσαρ uſque ad hunc excluſive, elapſis, jam tranſierint: adeoque initium hujus anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto incipere tot diebus anticipare initium ejuſdem anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto.

Exempli gratia, horum Faſtorum tertius annus ita ſignatur: *Annus ab Auguſto 169. Intercalares XLI.* & hic Numerus XLI huic anno ab Auguſto 169° prima vice apponitur. & propterea indicat diem Intercalarem inde ab ἀπὸ καισάρσαρ XLIᵘᵐ ad finem anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 168ᵛⁱ, proxime elapſi, fuiſſe adjectum: adeoque initium hujus anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 169ⁿⁱ incipere, diebus XLI anticipare initium ejuſdem anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 169ⁿⁱ.

Hæc autem dierum XLI anticipatio, quæ anno ab Auguſto 169ⁿᵒ ineunte incipit, tribus ſequentibus annis ab Auguſto, 170°, 171°, 172° ineuntibus & labentibus continuatur; donec anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 172° evoluto, propter diem intercalarem ad finem hujus anni adjectum, initium anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto

guſto 173^{tii} incipiat diebus XLII anticipare initium ejusdem anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 173^{tii}.

Unde porro patet Numeros huic Columnæ inſcriptos, & quater repetitos, prodere illos annos, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto, quibus apponuntur, eſſe ab anno intercalari proxime transacto, annum 1um, 2um, 3um & 4um: & illum annum, qui hoc quadriennium proxime præceſſit, fuiſſe intercalarem, dierum 366.

Atque hinc etiam patet, Numerum dierum Intercalarium quoque indicare tot Quadriennia eſſe evoluta, ſeu tot Tetraëterides eſſe elapſas, inde ab anno, quo ineunte ἀποκατάστασις facta eſt, incluſive, usque ad illum annum excluſive, *cui* novus numerus dierum intercalarium prima vice apponitur, qui Numerus exprimit Numerum Tetraëteridum ante hunc annum elapſarum. Exempli gratia, anno ab Auguſto 16,° prima vice apponitur Numerus XLI, qui indicat diem intercalarem XLI^{um} ad finem anni ab Auguſto 168^{vi} eſſe adjectum, adeoque ad finem ejusdem anni ab Auguſto 168^{vi} Tetraëterides XLI eſſe elapſas. Confer Georgium Syncellum, *p.* 312. C. & Theonem in Fragmento, §° 4.

Corollarium 1um.

De uſu horum dierum intercalarium qui huic Columnæ inſcribuntur.

Uſus hujus Κανόνος ſeu Tabulæ in genere, & horum dierum intercalarium, *huic* Columnæ inſcriptorum, in ſpecie, ut ſupra jam monui, eſt, ut, omiſſo tædio calculi, facili & expedita methodo, annus Alexandrinorum fixus, ejusque menſis, & dies propoſitus, reducatur ad annum Ægyptiorum vagum, ejusque menſem, & diem quæſitum.

Exempli gratia,

Sit propoſitus annus, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 167us, ejusque anni menſis Thoth, & hujus menſis dies 1us.

Et quæratur in quem annum, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto, ejusque anni menſem, & illius menſis diem incidat dies ille datus.

Quære in Κανόνι, in Columna 4^{a}, annum ab Auguſto 167um datum, & in Columna 5^{a} numerum dierum intercalarium, huic anno appoſitum, qui eſt XL.

Hos dies XL adjice ad diem 1um menſis Thoth, anni ab Auguſto 167^{mi}, datum.

Orietur ſumma dierum 41. Unde patet, diem 1um anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 167^{mi}, eſſe diem 41um ejusdem anni, ſecun-

 dum

dum Ægyptios, ab Auguſto 167^{mi}. Cum autem dies anni 41us ſit dies menſis ſecundi, Paophi, 11us, ſequitur diem 1um menſis Thoth anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 167^{mi}, eſſe diem 11um menſis Paophi ejuſdem anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 167^{mi}.

Præterea

Sit propoſitus annus, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 390us, ejuſque anni menſis Thoth, & hujus menſis dies 22us.

Et quæratur in quem annum, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto, ejuſque anni menſem, & illius menſis diem incidat dies ille datus.

Ad anni ab Auguſto 390^{mi}, menſis Thoth diem 22 datum	
adjice dies intercalares, qui in Κανονίῳ, ad annum ab Auguſto 390um apponuntur	96
erit ſumma dierum .	118
Aufer pro 3 menſibus, dierum 30, dies . . .	90
erit reliquum dierum .	28

Adeoque dies 22us primi menſis, Thoth anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 390^{mi} eſt dies 28us quarti menſis, Choiac ejuſdem anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 390^{mi}.

Corollarium 2um.

De anno ab Auguſto, qui ineunte ἀποκατάστασις facta eſt.

In Κανονίῳ, ad annum ab Auguſto 169um prima vice apponitur numerus XLI dierum intercalarium, qui indicat XLI^{um} diem intercalarem ad finem anni ab Auguſto 168^{vi}, proxime elapſi, fuiſſe adjectum; adeoque in annis inde ab ἀποκαταστάσεως usque ad annum ab Auguſto 168um incluſive, dies intercalares XLI jam tranſiiſſe, ac proinde totidem Tetraëterides jam fuiſſe elapſas: ut ſupra vidimus.

Tetraëterides XLI autem faciunt annos 164. qui ab anno ab Auguſto 168°, incluſive, retronumerati, terminantur in anno ab Auguſto 5°.

Adeoque anno ab Auguſto 5° ineunte facta eſt ἀποκατάστασις.

Sed hac de re agemus ex profeſſo, infra §° 34.

X I.

Schema a 1° Alexandrinorum anno fixo repetitum.

Ut ea quæ præcedenti §° 10 & 9 dixi clariora fiant, Schema exhibebo, in quo ea, quæ his Faſtis continentur, eorumque uſus ad oculum patebunt: & illud Schema repetam a primo Alexandrinorum anno fixo, ſeu, quod idem eſt, ab anno a Nabonaſſaro 724°, ab Alexandro 300°, ab Auguſto 6°, cujus Thoth prima vice cadit in diem Auguſti 29um.

Schema a primo anno

Currentibus		incipiunt					
anno Per. Jul.	anno Chriſti.	annus Nabon.	annus Alexan.	annus Aug.	Vagus in die		habet-Epactas
4689 B.	—	724	300	6	Aug.	29	0
4690	—	725	301	7	—	29	0
4691	—	726	302	8	—	29	0
4692	—	727	303	9	—	29	1
4693 B.	—	728	304	10	—	28	1
4694	—	729	305	11	—	28	1
4695	—	730	306	12	—	28	1
4696	—	731	307	13	—	28	2
4697 B.	—	732	308	14	—	27	2
4698	—	733	309	15	—	27	2
4699	—	734	310	16	—	27	2
4700	—	735	311	17	—	27	3
144							
4844	131	879	455	161	Jul.	22	39
4845 B.	132 B.	880	456	162	—	21	39
4846	133	881	457	163	—	21	39
4847	134	882	458	164	—	21	39
4848	135	883	459	165	—	21	40
4849 B.	136 B.	884	460	166	—	20	40
* 4850	137	885	* 461	167	—	20	* 40
4851	138	886	462	168	—	20	40
4852	139	887	463	169	—	20	41
4853 B.	140 B.	888	464	170	—	19	41
4854	141	889	465	171	—	19	41
4855	142	890	466	172	—	19	41
4856	143	891	467	173	—	19	42
224							
5080	367	1115	691	397	May	24	98
5081 B.	368 B.	1116	692	398	—	23	98
5082	369	1117	693	399	—	23	98
5083	370	1118	694	400	—	23	98
* 5084	371	1119	* 695	401	—	23	* 99

Alexandrinorum Fixo repetitum.

			qui concurrunt cum		
que Tetraët.	Fixus annus	in die	anno Per. Jul.	anno Chriſti	
1	1us	Aug. 29	4690	—	
2	2us	— 29	4691	—	
3	3us	— 29	4692	—	
4	4us	— 30	4693 B.	—	
1	5us	— 29	4694	—	
2	6us	— 29	4695	—	
3	7us	— 29	4695	—	
4	8us	— 30	4697 B.	—	
1	9us	— 29	4698	—	
2	10us	— 29	4699	—	
3	11us	— 29	4700	—	
4	12us	— 30	4701 B.	—	
					dies intercal. 36
4	156us	— 30	4845 B.	132 B.	
1	157us	— 29	4846	133	
2	158us	— 29	4847	134	
3	159us	— 29	4848	135	
4	160us	— 30	4849 B.	136 B.	
1	161us	— 29	4850	137	
2	162us	— 29	4851	* 138	* annus Faſtor. 1us
3	163us	— 29	4852	139	
4	164us	— 30	4853 B.	140 B.	
1	165us	— 29	4854	141	
2	166us	— 29	4855	142	
3	167us	— 29	4856	143	
4	168us	— 30	4857 B.	144 B.	
					dies intercal. 56
4	392us	— 30	5081 B.	368 B.	
1	393us	— 29	5082	369	
2	394us	— 29	5083	370	
3	395us	— 29	5084	371	
4	396us	— 30	5085 B.	* 372 B.	* annus Faſtor. ult.

NB. In hoc Schemate, ſecutus Petavium & Dodwellum, ſuppoſui, annum ab Auguſto 6[um] eſſe Alexandrinorum 1[um] annum fixum, licet ſtatuam ἀποκατάστασιν factam eſſe anno ab Auguſto 5° ineunte: qua de re diſtinctius agam infra §° 34 & 35.

X I I.

De libelli Theonis εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας *MSS[tis] & Editionibus.*

Primus Fragmentum libelli Theonis Alexandrini εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, edidit cum Latina verſione, Henricus Dodwellus, *ex MS[to] Barocciano*, in appendice ad diſſertationes ſuas Cyprianicas, quæ prodiere cum Operibus Cypriani, recognitis & illuſtratis per Joannem Oxonienſem. Oxonii 1682 in f°.

Manuſcriptum hujus libelli reperitur in Bibliotheca Regis Galliæ, teſte Petavio, qui in Auctario Operis de Doctrina Temporum, L. 5. C. 3. *p.* 194. C. ſic ſcribit: *Theo Mathematicus Libro, qui inſcribitur* εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, *qui nondum editus, penes nos ſcriptus eſt & in Bibliotheca Regia reperitur, &c.*

Inter Libros MSS[tos], quos Jacobus Golius ex Oriente advexit, reperitur in Bibliotheca Lugduno-Batava, *p.* 478. col. 1. N° 1702°; Θέωνος Ἀλεξανδρέως εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, *Græce. Liber ſcriptus in Pergamena, cum frequentibus Tabulis.* 182. Confer ibidem, *p.* 409. & ejuſdem Golii Notas in Alfragani Elementa aſtronomica, *p.* 59.

Joannes Albertus Fabricius in Bibliotheca Græca, Vol. 8°, L. 5°, P. 4[a]. C. 22. Sect. 6[a] *p.* 212. N° 2. hæc habet: *Theonis Commentarius in Canonas Ptolemæi, ad Epiphanium filium, (eundem, cui Commentarios in magnam Syntaxin dicavit) MS[tum] extat in Bibliotheca Laurentiana Florentiæ, in Codice Sæculi XIV.*

Inter MSS[tos] Codices Philoſophicos Græcos Bibliothecæ Cæſareæ Vindobon. quos recenſet Lambecius Libro VI°, occurrit in Codice CXXV°, N° 9°, *Theonis Alexandrini expoſitio in Claudii Ptolemæi Alexandrini Canones Aſtronomicos expeditos*, & ibidem in Codice CXXVI°, N°. 4°, occurrit *Theonis Alexandrini in manuales ſive expeditos Canones aſtronomicos expoſitio, cum antiquis Scholiis Græcis marginalibus, & cum ampliſſima appendice, varios Canones aſtronomicos continente, qui itidem*

anti-

antiquis Scholiis Græcis marginalibus illuſtrati ſunt. Teſte Jac. Frid. Reimmanno, in Epitome Operis Lambeciani & Neſſeliani, *p.* 569 & *p.* 570.

In Bibliotheca Coiſliniana, (ſtudio Montfauconii edita Pariſ. 1715. in Folio.) Parte 1ª in Codice CLXXIII olim CXCIX, bombycino, XIVti Sæculi, Foliorum 311, in Folio. reperitur, ultimo loco, Fol. 263. *Theonis Alexandrini Aſtronomicum Opus. Proæmii initium:* Τὴν λογικὴν ἔφοδον τῶ τῶν προχείρων. *Initium Operis:* Περὶ τῆς πραγματείας τῶ τῶν ἀςέρων *p.* 229. *Conſtat foliis* 48.

In eadem Bibliotheca Coiſliniana, Parte 2ª. In Codice CCCXXXVIII, olim CCLXV, bombycino, XVti Sæculi, Foliorum 331. in Quarto, reperitur Fol. 85. *Theonis Alexandrini* εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας τῆς ἀςρονομίας παράδοσις: *Initium*, ἡ μὲν λογικωτέρα ἔφοδος τῆς διὰ τῶν προχείρων. *p:* 450. *Conſtat Foliis* 110.

In Catalogo Manuſcriptorum Angliæ & Hiberniæ (qui prodiit Oxoniæ anno 1697 in Folio) hic Theonis Alexandrini εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας Commentarius aliquoties occurrit.

1° In Vol. 1mi, Partis 1æ, Codice 297°, Opuſculo 8°, *p.* 44. *Theon Alexandrinus in Tabulas* προχείρους *Ptolemæi*: conſtat paginis 182. Confer ejuſdem Codicis Opuſculum 19num: *Tabulæ Aſtronomicæ plures: ubi inter alias occurrunt Tabulæ oſtendentes, quot annorum regnarint reges a Philippo Macedone ad Michaëlem Paphlagonem*, *p.* 789, 790. Item Opuſculum 20num: *Theonis Alexandrini in* προχείρους *Canones Commentarius.* Ex hoc Codice 297° prodiit, ut videtur, Fragmentum a Dodwello editum.

2°. In Vol. 1mi, Partis 1æ, Codice 2946°, *p.* 152. Cujus Codicis Opuſcula quatuor priora ita recenſentur: *Claudii Ptolemæi Hypotheſes Planetarum*, *p.* 1. *ejuſdem Ptolemæi ordinatio* τῶν προχείρων κανόνων ἀςρονομίας, *p.* 11. *Theonis Alexandrini in eoſdem Cananes Commentarius*, *p.* 115. *Ejuſdem in eoſdem Conones* λογικὴ ἔφοδος *p.* 157-233.

3° In Vol. 1mi, Partis 1æ, Codice 6549° (qui Muſæi Saviliani 2us eſt) *p.* 299. continentur ſex Opuſcula, quorum quatuor priora ſunt: *Ptolemæi hypotheſes Planetarum*; *Ptolemai Canones* πρόχειροι. *Theonis* ἐξήγησις *in Canones* προχείρους, *Theonis* λογικὴ ἔφοδος *in Canones* προχείρους, *Sectionibus* 4.

4°. Ibidem in Codice 6551° (qui eſt Muſæ Saviliani 4us) continentur Opuſcula duo, quorum 2um eſt: *Theonis Alexand.* εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας παράδοσις *ſeu* ἐξήγησις.

5° Ibidem in Codice 6558° (qui eſt Muſæ Saviliani 11us) Opuſculum

7mum

7um ſeu ultimum eſt: *Cl. Ptolemæi introductionis in Canones πϱοχείϱων initium.*

6°. Ibidem in Codice 6612° (qui eſt Muſæi Saviliani 65us) Opuſculum 2um: *Theonis Alexandrini Paradoſis in Canones πϱοχείϱους Cl. Ptolemæi cum Scholiis, Græce.*

7°. In Vol. 2^di^, Part. 1^æ^. Codice 6068° (qui eſt Thomæ Gale 234us) *p.* 190. *Theonis Alexandrini in Cl. Ptolemæi Canones πϱοχείϱους Commentarius, cum Scholiis & variis Lectionibus, Gr.*

8°. Ibidem in Codice 6071° (qui eſt Thomæ Gale 237us) *Cl. Ptolemæi de Canonum πϱοχείϱων conſtitutione: Theonis Alexandrini Introductio Logica in Canones πϱοχείϱους, Gr.*

XIII.

Titulus ſeu inſcriptio Fragmenti Theonis.

Hoc Fragmentum Theonis ita inſcribitur:

Θέωνος Ἀλεξανδϱέως εἰς τοὺς πϱοχείϱους Κανόνας, hoc eſt, Theonis Alexandrini in expeditas Tabulas Commentarius.

Deinde ſubjungitur hic Titulus, ſeu hoc κεφάλαιον:

Ὅσα δεῖ πϱοειδέναι τοὺς ἀϱχομένους τοῦ Κανόνος, hoc eſt interprete Dodwello, lecturis Canonem quæ ſint ſupponenda præcognita. (Hic Titulus in Codice MS^to^ Lugduno-Batavo non reperitur.)

XIV.

Occaſio hujus ſcripti.

Ea indicatur in initio, §° 1°, in Præfatione ad Epiphanium, quem τέκνον appellat.

Ubi dicit

De alio ſuo Opere antea edito, ἡ μὲν ΛΟΓΙΚΩΤΕΡΑ ἜΦΟΔΟΣ, τῆς, διὰ τῶν πϱοχείϱων Κανόνων, ψηφοφοϱίας τῶν ἀστέϱων, τέκνον Ἐπιφάνιε, γέγονεν ἡμῖν δι' ἀκϱιβείας, ἐν πέντε βιβλίοις, ἐν ἑτέϱῳ συντάγματι.

De hoc ſcripto ejusque occaſione, & ſcopo: ἐν τούτῳ δὲ, ἐπειδὴ οἱ πλεῖστοι, τῶν πϱοσιόντων ἡμῖν, πϱὸς τὴν τῆς τοιαύτης διδασκαλίας μάθησιν, μετὰ τοῦ

μηδὲ

μηδὲ τοῖς πολλαπλασιασμοῖς ἢ μερισμοῖς τῶν ἀριθμῶν ἱκανῶς δείξεων τυγχάνουσιν, ἐσπουδάσαμεν καὶ πρὸς τούτους, κατὰ τὸ δυνατὸν, ΜΕΘΟΔΙΚΩΤΕΡΟΝ *ὑπομνηματίσασθαι,* ΨΙΛᾺΣ ΤᾺΣ ἘΦΌΔΟΥΣ *παρατιθέντες, πρὸς τὸ καταδηλοτέραν αὐτοῖς* ΤῊΝ ἜΚΘΕΣΙΝ ΤΩ͂Ν ΚΑΝΟΝΙΩΝ *τῆς διδασκαλίας καταφαίνεσθαι.*

In Godice MS^to^ Bibliothecæ Lugduno-Batavæ quædam in hac pericopa variantes occurrunt Lectiones. Primo enim pro *ἐν ἑτέρῳ συντάγματι*, legitur in Codice MS^to^ *ἐν ἑτέρῳ συγγράμματι*, quod leve eſt. Deinde loco *μετὰ τοῦ μηδὲ*, legitur *μετὰ τοῦ μηδὲν*. Porro poſt *ἱκανῶς* & ante *δείξεων*, hæc in Codice MS^to^ inſeruntur, quibus ſenſus inſigniter ſuppletur, *ἱκανῶς παρακολουθεῖν δύνασθαι. ἔτι καὶ ἀμύητοι παντάπασι τῶν γραμμικῶν δείξεων τυγχάνουσι.* Tum loco *παρατιθέντες*, legitur, eraſa ut videtur præpoſitione *παρὰ*, *τιθέντες*, quod notandum. Denique, in illis verbis *τὴν ἔκθεσιν τῶν κανονίων τῆς διδασκαλίας*, in MS° omittitur *τῶν κανονίων*.

Hanc itaque pericopam hoc modo verterem:

Introductio quidem magis logica in aſtrorum, per expeditas Tabulas calculationem, fili Epiphanie, a nobis compoſita eſt, cum accuratione, in quinque libris, in alio Opere.

In hoc autem, quoniam plurimi eorum, qui nos adeunt ad diſcendam illam doctrinam, præterquam quod omnino non multiplicationes aut diviſiones numerorum ſufficienter aſſequi valeant, inſuper etiam demonſtrationum, quæ per lineas (ſeu figuras aſtronomicas) *inſtituuntur, plane imperiti ſint, ſtuduimus etiam ad illos pro viribus magis methodice commentari, nudas introductiones ponentes, ut expoſitio* (Tabularum) *hujus doctrinæ tanto clarior iis appareat.*

Occaſio itaque hujus Scripti erat, primo in genere, quia primum opus, utpote *λογικωτέρως*, *magis logice*, per rationes & ratiocinia, conſcriptum, non erat pro captu diſcipulorum incipientium. Secundo in ſpecie, quia plerique diſcipulorum operoſiores multiplicationes & diviſiones numerorum, in primo opere, ut videtur, requiſitas, ſufficienter aſſequi non poterant, & præterea demonſtrationum per lineas mathematicas & figuras aſtronomicas, quæ in primo Opere, ut videtur, obtinebant, plane imperiti erant.

Scopus autem hujus ſcripti erat: Tradere *μεθοδικωτέρως*, *magis methodice*, aſtrorum, per expeditas Tabulas, calculationem: eumque in finem nudas ponere introductiones, (omiſſis ſcilicet operoſioribus numerorum multiplicationibus & diviſionibus, nec non demonſtrationibus,

quæ per lineas mathematicas & figuras aſtronomicas inſtituuntur) ut ἔκθεσις (τῶν κανονίων) τῆς διδασκαλίας diſcipulis tanto clarior appareret.

NB. Illud τῶν κανονίων, quod in Dodwelli editione legitur, ſed in Codice MSto Lugduno-Batavo omittitur, videtur eſſe retinendum, quia per incuriam Librarii facilius quid omittitur, quam inſeritur.

Per τὴν ἔκθεσιν τῶν κανονίων autem intelligo, Tabularum expoſitionem, qua in lucem exponuntur & ad uſum proponuntur. Hoc ſenſu videtur hæc vox occurrere in Ptolemæi magna conſtructione editionis græcæ. L. 2. *p.* 50. L. 4. *p.* 86. L. 6. *p.* 152. L. 7. *p.* 172. L. 11. *p.* 273. L. 12. *p.* 293. L. 13. *p.* 314 & 324. item L. 1. *p.* 21. L. 2. *p.* 36.

X V.

Primum præcognitum de Epocha Computi aſtrorum.

Præmiſſa hac Præfatione, pergit ad expoſitionem eorum, οἱ δεῖ προειδέναι τοὺς ἀρχομένους τοῦ κανόνος, quorum

Primum eſt Epocha computi aſtrorum, ſeu illud initium, unde concipiuntur, & in Canone ſupponuntur, curſum ſuum ordiri, & unde ψηφοφορία initium in Canone ſumit.

Hæc Epocha, eſt in Canone.

Ratione loci ille locus, quem aſtra in Zodiacco obtinent (ἐπέχουσι) in illa Epocha Temporis, quæ infra deſignatur.

Ratione Temporis

Primus annus Philippi Aridæi, ſecundum Ægyptios, qui anno dant tantum dies 365, abſque quadrante ejusque anni menſis Thoth.

Primus dies ſeu Neomenia, a meridie.

Hora diei 6a completa, & incipiente 7a. In climate Alexandriæ.

Hæc ita in Textu exprimuntur:

Ἐπεὶ οὖν κατὰ τὴν σύστασιν τῶν προκειμένων προχείρων κανόνων, περιεχουσῶν τὰς κινήσεις τῶν ἀστέρων, ἀπὸ χρόνου τινὸς ἐχρῆν προυφεστάναι, καὶ τοῦ κατ᾽ αὐτὴν τόπου τῶν ἀστέρων (ἐπεὶ καὶ κινήσεώς ἐστιν ἀρχὴ τόπος καὶ χρόνος) πεποίηται ταύτην ἀπὸ τοῦ πρώτου ἔτους Φιλίππου τοῦ μετ᾽ Ἀλέξανδρον τὴν κτίσιν κατ᾽ Αἰγυπτίους, καθ᾽ οὓς ἐνιαύσιος χρόνος ἡμερῶν τυγχάνει τξέ μόνον, Θὼθ νεομηνίᾳ τῆς μεσημβρίας, ὅπως ἐστι, πληρωθείσης ἕκτης ὥρας καὶ ἀρχομένης ἑβδόμης, ὡς πρὸς τὴν ἡμετέραν κατ᾽ Αἴγυπτον Ἀλεξάνδρειαν.

NB. Illa verba, κατὰ τὴν σύστασιν, quæ poſt Ἐπεὶ οὖν, in initio hujus peri-

pericopæ, leguntur, dëerant in Dodwelli editione, ſed in MS. Codice Bibliothecæ Lugduno-Batavæ reperiuntur.

NB. Pro πεποίηται ταύτην forte legendum πεποιῆσθαι ταύτῃ, ſcilicet ἀρχὴ τῆς κινήσεως τῶν ἀστέρων ratione loci & temporis. Poſſet etiam illud ταύτην retineri, quia verbum ποιοῦμαι, in paſſivo, etiam cum accuſativo conſtruitur.

Quæ Latine ita verti poſſunt:

Quoniam igitur juxta conſtitutionem propoſitorum expeditorum Canonum, quæ continet motus aſtrorum a certo aliquo tempore, oporteat præſupponi etiam certus juxta illam (conſtitutionem) *locus Aſtrorum, quem ſcilicet illo tempore in cælo obtinent, & a quo illo tempore curſum ſuum incipiunt.* Vel hoc modo: *Quoniam igitur juxta conſtitutionem præpoſitorum expeditorum Canonum, quæ continet motus Aſtrorum, oporteat præſupponi a quo tempore, & (a quo) juxta illam (conſtitutionem) loco Aſtrorum, quem ſcilicet illo tempore in cælo obtinent, curſus eorum initium ſumat, (quoniam & motus (Aſtrorum) initium eſt locus & tempus) ſit illud (initium) a primo anno Philippi illius, qui poſt Alexandrum conditorem* (Imperii Macedonici in Aſia, vel urbis Alexandriæ) *regnavit, ſecundum Ægyptios, ſecundum quos annuum tempus eſt dierum 365 tantum, (abſque quadrante) a menſis Thoth Neomenia, a meridie, quæ eſt completa hora ſexta, & incipiente hora ſeptima, pro climate noſtræ in Ægypto Alexandriæ.*

X V I.

Secundum præcognitum de partibus Circuli Zodiaci, aliorumque Circulorum in genere.

Ubi de diviſione Circuli in 360 partes, ſeu Gradus (μοῖρας) & graduum in λεπτὰ, minuta, ſeu ἑξηκοστὰ, 1ª, 2ª, 3ª &c. Et de horum multiplicatione & diviſione.

X V I I.

Tertium præcognitum quid ſit κανὼν, στίχος, σελίδιον.

Canonem ſic definit:

Κανόνα φαμὲν πᾶσαν τὴν σύνταξιν οἵας δήποτε ἐκκειμένης ἐν τῷ κανόνι

πραγματείας, κἂν πλειόνων τυγχάνη πτυχίων.

Στίχον ita definit :

Στίχον ἐστὶ (φάμεν) τὸ ἐκ τὸ κοινὸν ἔθος κατονομαζόμενον.

Σελίδιον ſic definit :

Σελίδιον ἐστὶ (φάμεν) τὸ ἐκ τῆς θέσεως τοῦ ἀκροστιχίδος κείμενον, κἂν μοιρῶν μόνον τυγχάνη, ἢ καὶ μόνων ἐξηκοστῶν· καὶ πάλιν τὸ συναμφότερον σελίδιον φάμεν.

Confer Suidæ Lexicon in voce Κανόνιον.

XVIII.

Quartum præcognitum de XII ſignis Zodiaci, & quænam conſequentia (ἑπόμενα) quænam vero antecedentia (προηγούμενα) dicuntur.

De his agit §° 20.

XIX.

Quintum præcognitum quid ſit Epocha Aſtri.

Ἐποχὴν φαμὲν, ἣν κατά τινα χρόνον ἐπέχει τοῦ Ζωδιακοῦ μοῖραν ὁ ἀστήρ.

Hic deſcribitur Epocha uniuscujusque aſtri in particulari, quocunque tempore.

Sed in 1° præcognito, de quo egimus §° 15, deſcribitur epocha, ſeu ἀρχὴ κινήσεως τῶν ἀστέρων in genere, ratione temporis & loci in ψηφοφορίᾳ *Ptolemæi* vel ipſius Theonis.

Confer Syncellum p. 313. A.

XX.

Tranſitio ad ipſam Tractationem materiæ propoſitæ.

De ea ſic loquitur in fine §i 2di

Τούτων οὕτω προδιειλημμένων, ἑξῆς ἐπὶ τὴν προκειμένην πραγματείαν χωρήσομεν. Hoc eſt, interprete Dodwello, *His ita expeditis age jam ad illud, quod nobis propoſuimus, argumentum progrediamur.*

XXI. Pro-

X X I.

Propoſitio materiæ tractandæ.

Quandoquidem igitur (inquit § 3°) *iis, qui propoſitam nobis (aſtrorum) per expeditos Canones calculationem incepturi ſunt, neceſſarium eſt* (προμανθάνειν) *ante omnia addiſcere* τὰ ἐκ τοῦ ἀναδιδομένου χρόνου γινόμενα, ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον κεφάλαια πέντε, *ea, quæ ex tempore dato* (hoc eſt propoſito) *oriuntur, ad maximum, vel, ut plurimum, capita,* (κεφάλαια) *quinque; primum* (πρότερον) *de iis agemus.*

X X I I.

Quænam ſint illa V Capita indicatur.

Ἔστι δὲ τάδε
1. Εἰκοσιπενταετηρίδες,
2. Καὶ ἁπλᾶ ἔτη,
3. Μὴν Αἰγύπτιος,
4. Ἡμέρα,
5. Καὶ ὥρα.

X X I I I.

De modo inveniendi Capituli 1^mi^ & 2^di^.

Invenimus igitur (inquit) *Icoſipentaëterides hoc modo:*

Colligentes annos ab initio (regni) Philippi uſque ad datum tempus eos εἰσάγομεν εἰς τὸ τῶν εἰκοσιπενταετηρίδων Κανόνιον. (hoc eſt, *introducimus, in Icoſipentaëteridum Tabulam) & (annos) in ea (Tabula) in prima columna expoſitos proxime minores (annis) collectis, dicemus eſſe Icoſipentaëterides. Reliquos autem annos, qui ex annis ab initio Philippi collectis, (ultra plenas Icoſipentaëterides) ſuperſunt, (dicemus) annos ſimplices* (ἁπλᾶ ἔτη) *eſſe. Si autem nihil relinquitur, ſed ipſi illi ab initio Philippi collecti anni inveniuntur in Icoſipentaëteridum Tabula in primâ columnâ, non deſcribemus* (ἀπογρα-

 γρα-

γεαψάμεθα) *ſimplicium annorum Capitulum. Quapropter etiam diximus, ut plurimum, quinque eſſe Capitula.*

Sumitur autem horum Capitulorum primum Icoſipentaëterides.

XXIV.

De modo inveniendi Capituli 3ii, & 4ti.

Deinde autem (inquit eodem §o 3o) *ſumitur* (λαμβάνεται) *menſis & dies ſecundum Ægyptios, hoc iterum modo.*

Quoniam enim annus ſecundum Græcos ſeu ſecundum Alexandrinos nobis datus (hoc eſt propoſitus) *dierum eſt 365 cum quadrante; annus vero ſecundum Ægyptios, ut diximus, dierum 365 tantum* (abſque quadrante.) *manifeſtum eſt, quod* κατὰ τέσσαρα ἔτη (*ſpatio quatuor annorum*) *diem unam* ΠΡΟΣΛΑΜΒΑΝΕΙ, lege, προλαμβάνει, (*anticipat* annus ſcilicet Ægyptiacus) *annum ſecundum Alexandrinos;* κατὰ δὲ αυξ΄ ἔτη (*ſpatio autem* 1460 *annorum*) *dies 365, hoc eſt, ſecundum Ægyptios annum unum: & tum iterum ſimul faciunt & Alexandrini & Ægyptii initium anni, ac deinceps dies & menſes temporis ſecundum Ægyptios, totum annum* ANTICIPANTES, (προειληφότες) *etiam* (καὶ) *in initio ſequentis anni incipiunt Ægyptii quadrantem diei* (προσλαμβάνειν lege προλαμβάνειν) *anticipare, & deinceps rurſus conſequenter.*

NB. Vox προσλαμβάνειν pro προλαμβάνειν ſcripta, obſcuritatem huic Pericopæ intulit: nam prima illa verba, δῆλον ΩΣ, ὅτι κατὰ τέσσαρα ἔτη ἡμέραν μίαν ΠΡΟΣΛΑΜΒΑΝΕΙ ΤΟΝ κατὰ Ἀλεξάνδρειαν, nullum ſenſum habent: Dodwellus in una pagina hæc annotat, *Rectius MS. Petavii,* ὁ κατ᾽ Ἀλεξανδρείας. (Reſpicit locum Petavii, de Doctrina Temporum L. 3. C. 2. p. 254. A.) *Aliter ſi legas,* (nempe ΤΟΝ) *deque anno Ægyptio intelligas, legendum deinde potius* προλαμβάνειν. Ego vero puto bis male ſcribi προσλαμβάνειν, & legendum προλαμβάνειν, & intelligendum de προλήψει, anticipatione anni Ægyptiaci vagi: rationes meæ ſunt, 1a, quia ΤΟΝ κατὰ Ἀλεξάνδρειαν ſcilicet ἐνιαυτὸν, id requirit, & clare oſtendit agi de προλήψει anni Ægyptiaci, qua annum Alexandrinum anticipat; & dubito vehementer an Petavii MS. legerit ὁ κατ᾽ Ἀλεξανδρείας. (NB. Petavius in Auctario L. 5. C. 3. locum recte citat, & ibid. C. 4. agnoſcit errorem: unde video me recte de lectione MSti Petaviani, a Dodwello memorata dubitaſſe.) 2a Quia deinde verbum προειληφότες expreſſe

proſſe occurrit. 3ª Quia denique clare dicitur δέχονται ΟΙ ΑΙΓΥΠΤΙΟΙ προσλαμβάνειν, ubi procul dubio legendum προλαμβάνειν, nam Ægyptiorum anno competit πρόληψις. Hic autem loco οἱ Αἰγύπτιοι legere οἱ Ἀλεξανδρεῖς, & paulo ante loco προειληφότες legere παρειληφότες, ut Dodwellus vult, idque omne abſque MSº & ſine ulla juſta cauſa, admitti non poteſt. Præſertim quia in Codice Lugduno-Batavo ſemper legitur προλαμβάνειν. Confer Theonem ſeq. §º 4º.

Facta autem eſt (ſic pergit §º 4º) *hæc ſupradicta per* 1460 *annos* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ (hoc eſt, anni Ægyptiaci reſtauratio & ad eundem diem unde ante 1460 annos proceſſerat reditus) *a certo quodam temporis initio incipiens, quinto anno imperii Auguſti; ita ut ex illo tempore* (ineunte ſcilicet anno exinde Auguſti 6º) *iterum inceperint Ægyptii* (προλαμβάνειν) *anticipare ſingulis annis quartam diei partem.*

Ὅθεν ἐὰν ἀπὸ τοῦ κατ' Ἀλεξάνδρειαν, ἤτοι καθ' Ἕλληνας, χρόνον, τόν τε κατ' Αἰγυπτίους μῆνα καὶ τὴν ἡμέραν προαιρώμεθα λαμβάνειν. Hæc ita vertit Dodwellus, *Quoties itaque menſis Ægyptiaci & diei locum in Græcorum anno ſeu Alexandrino indagare placet*: quaſi propoſito menſe & die anni Ægyptiaci quæreretur menſis & dies his reſpondens in anno Alexandrino. Ego vero e contra ſic verto, *quando igitur a tempore ſecundum Alexandrinos, ſeu Græcos, tempus ac menſem & diem ſecundum Ægyptios, volumus* λαμβάνειν, hoc eſt, *capere, obſervare, indagare.* Mens eſt, ſi nobis proponatur tempus, (annus, menſis, dies) deſignatum ſecundum Computum Alexandrinorum, illudque volumus reducere ad Tempus, annum, menſem & diem ſecundum Computum Ægyptiorum, quo in ſuis προχείροις κανόσι uſus eſt Ptolemæus & poſt eum Theo. Hanc Auctoris mentem eſſe, patet ex Exemplo, quod ultimo §º proponit: & ex natura rei & ſcopo hujus ſcripti, nam qui aſtrorum per expeditos *Ptolemæi* vel Theonis Canones calculationem peragere vellent tunc temporis, quum doceret Theo Alexandrinus, illi debebant Tempus tunc propoſitum juxta receptum Computum Alexandrinorum, prius reducere ad formam anni Ægyptiaci, quam in ſuis expeditis Canonibus adhibuerat Ptolemæus, & poſt eum Theo; alias enim iis Canonibus ad Computum Aſtrorum uti non potuiſſent.

Si itaque hoc velimus facere. Quid tum? *Collectorum* (inquit) *annorum inde ab anno quinto Auguſti* (excluſive) *uſque ad propoſitum annum* (incluſive) *quartam partem capientes* (*propterea quod, ut diximus, ſpatio quatuor annorum, unum diem illi* (ſcilicet Ægyptii) *anticipant prætereuntes* (hoc eſt omittentes, non curantes) *reſiduos* (ex hac diviſione) *annos, uſque ad numerum*

merum Ternarium. ΤΑ ΓΙΝΟΜΕΝΑ (hoc eſt, *Quotientem, qui ex ſumma collectorum annorum diviſione per Quaternarium, oritur) habebimus (indicantem) quot diebus annus Ægyptiacus anticipaverit annum Alexandrinum; quæ vocantur Tetraëterides. Has propoſitæ menſis diei, ab hora ſexta meridiana transactâ computatæ, addentes, & ab illo ſic collecto dierum numero, qui ab initio propoſiti menſis incipit, ejicientes* (auferentes) *Tricenarios, & pro ſingulis Tricenariis ejectis menſem elapſum computantes, cum menſem in quem numerus (reliquus) incurrit, dicemus eſſe menſem Ægyptium, & dies ipſas, quæ (abjectis Tricenariis) ſuperſunt, (dicemus eſſe) dies Ægyptias. Si autem rurſus nullæ ſuperſint dies, ſed ſumma dierum abjecta præciſe ex Tricenariis conſtet, tum ipſum illum menſem, in quem ultimus Tricenarius incurrit & cum quo æqualiter decurrit, ut menſem Ægyptium quæſitum annotabimus*, vel *enotabimus*, nempe ex Κανονίῳ τῶν μηνῶν. (ἀπογεγράψαμεθα.) *Si autem etiam præterea, (illam abjectionem Tricenariorum a ſumma dierum collecta, peragentes) deſinamus in menſem Thoth, aut in deinceps ſequentem menſem, auferendi ſunt* (ad inventionem diei Ægyptiæ) *a numero dierum, poſt abjectionem Tricenariorum, reliquo, pro quinque Epagomenis diebus, (qua unusquisque annus in calce recipit) ſemper quinque dies; nec plures, etiamſi annus ſit, qui ſex Epagomenas recipiat; & præterea in hoc caſu addemus ſimplicibus annis jam inventis & enotatis* (ἀπογεγράφασι) *annum unum, utpote qui ex diebus collectis ortus eſt: ſi autem contingat nullos inveniri ſimplices annos, pro illo ipſo anno unum ſimplicem annum annotabimus*, vel *enotabimus.*

Horam autem a Meridie capiemus, ſeptimam meridianam horam primam appellantes, & octavam ſecundam, & ſic porro uſque ad XXIV[am]*, quæ eſt diei hora ſexta.* In Codice Lugduno-Batavo legitur, ἥτις ἐςὶ τῆς ἑξῆς ἡμέρας ὥρα ἕκτη, hoc eſt, *quæ eſt ſequentis diei hora ſexta* Unde patet Alexandrinos diem incepiſſe a tempore matutino, Aſtronomos vero ab ipſa meridie, ab hora 1[a] meridiana incipiente, quæ Alexandrinis numerabatur hora diurna 7[a]. Alexandrini enim videntur diei ab ortu Solis ad ejus occaſum tribuiſſe horas 12 temporales, & iidem nocti a Solis occaſu ad ejus ortum horas 12 temporales. Aſtronomi autem Νυχθημέρῳ, a meridie ad meridiem, tribuebant horas 24 æquales.

XXV. *Modi*

XXV.

Modi ad invenienda prædicta Capitula illuſtrantur Exemplo §° 5°.

Ut autem etiam Exemplo manifeſta nobis fiant ea, quæ de prædictis quinque Capitulis diſſeruimus.

Propoſitum ſit (ὑποκείσθω) *nobis tempus ab initio Imperii Philippi, usque ad annum Diocletiani 77um, (menſis) Thoth (dies) XXII, hora diurna XI.* In Codice Lugduno-Batavo legitur, ὑποκείσθω χρόνος ἡμῖν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας ἔτους οζ θὼθ κβ ὥρα ια ἡμερινή. Hoc eſt, *propoſitum ſit nobis tempus ab initio imperii Diocletiani anni 77^mi^ (menſis) Thoth (dies) 22, hora 11 diurna.*

Quoniam igitur ab initio Imperii Philippi, uſque ad (initium Imperii) Diocletiani, colliguntur anni DCVII, ut ex regnorum in Tabula (Κανονίῳ) *in ſummam collectorum,* vel, *ut ex Tabula Regnorum, in columna, quæ annos regnorum in ſummam collectos exhibet, manifeſtum ſit.*

Si, his addentes annos ab initio Diocletiani propoſitos LXXVII, & collectos DCLXXXIV introducimus in Tabulæ Icoſipentaëteridum primam columnam, & annos ibidem expoſitos, his DCLXXXIV proxime minores, qui ſunt DCLXXVI, dicemus eſſe Icoſipentaeterides: illos autem reliquos VIII annos, (dicemus eſſe) ſimplices annos.

Et ad inventionem (λῆψιν) *tam menſis, quam etiam diei ſecundum Ægyptios.*

Quoniam igitur ab initio Auguſti, uſque ad (initium) Diocletiani, anni ſimiliter colliguntur, ex Regnorum Canone, CCCXIII.

Diximus autem illam ἀποκατάστασιν *anni ſecundum Alexandrinos ad annum ſecundum Ægyptios factam eſſe poſt V annos (ab) initio Imperii Auguſti.* (μετὰ ε″ ἔτη τῆς ἀρχῆς τοῦ Αὐγούστου βασιλείας.) hoc eſt, *5° poſt regni Auguſti initium anno.* Confer Syncellum p. 313. A.

Si annis ab illa ἀποκαταστάσει (hoc eſt, *ab illo anno Auguſti 5°, quo ineunte* ἀποκατάστασις *facta eſt, excluſive) uſque ad initium Diocletiani 308, addamus illos propoſitos a Diocletiano annos LXXVII, & collectorum CCCLXXXV* (τπε′) *annorum quartam partem capiamus, dies ſcilicet ex hac diviſione in quotiente provenientes XCVI, omiſſis diebus ex hac diviſione*

D

reliquis

reliquis, habebimus quot diebus tempus ſecundum Ægyptios anticipaverit ab ea ἀποκαταστάσει, uſque ad propoſitum a Diocletiano 77um annum, tempus ſecundum Alexandrinos ſeu ſecundum Græcos. His (inventis diebus XCVI) addentes propoſitam menſis diem, a Meridie transacta, hoc eſt, Septembris (ſive *Thoth*) *dies XXII, (quandoquidem propoſita hora poſtmeridiana hora eſt, ſi enim antemeridiana hora fuiſſet, XXIam addidiſſemus; nam ipſa dies denuo initium ſumit* (*γίνεται*) *a transacta meridie.) Ab his collectis diebus CXVIII, ejicientes Tricenarios, inde ab initio propoſiti menſis, ita ut non tantum menſi Thoth, ſed etiam ſingulis ſequentibus demus XXX dies, habebimus ſecundum Ægyptios tum menſem Choiac, tum diem* (*ejus menſis*) *XXVIIIam, quot dies præter menſes integros, ex illa collecta dierum ſumma, Tricenariis ejectis, ſupererant.*

* Hinc patet Aſtronomos, initium diei a meridie deducentes, illud non anticipare, ſed protendere. Si enim propoſita fuiſſet menſis Thoth dies XXIIa., ejuſque hora diurna VIa meridiana adhuc labens, tum inveniſſet aſtronomice diem Choiac XXVIIum ejuſque horam, a meridie computatam, XXIVam: addidiſſet enim, ad dies intercalares XCVI, non XXII, ſed tantum XXI dies. Adeoque labente jam in anno fixo menſis Thoth die XXIIo, ejuſque hora diurna VIIa, ſeu quod eodem redit, labente jam in anno vago menſis Choiac die XXVIIIo ejuſque hora diurna VIIa, incipiebat demum aſtronomice ab hac hora VIIa incipiente dies Choiac XXVIIIus.

XXVI.

Quid huic ſcripto deſit, cur Fragmentum appelletur.

Hoc Theonis ſcriptum hucuſque ſic ſatis completum eſt, pertractavit enim atque abſolvit, eam materiam, quam aggreſſus erat, & tractandam ſuſceperat in initio §i 3tii, nempe τὰ ἐκ τοῦ ἀναδιδομένου χρόνου γινόμενα, ὡς ἐπὶ πλεῖστον, κεφάλαια πέντε.

Quia autem, ibidem, dixerat eos, qui computum aſtrorum per expeditos Canones incepturi erant, hæc debere ΠΡΟΜΑΝΘΑΝΕΙΝ, & propterea ſe de his ΠΡΟΤΕΡΟΝ acturum: videtur ſequi etiam alia fuiſſe *deinde* diſcenda, & per conſequens ab Authore *porro* tractanda, & in hoc Syntagmate tractata, ſint.

Niſi

Niſi illud ΠΡΟΜΑΝΘΑΝΕΙΝ ita capere velis, ut eo indicetur, hæc prædiſcenda eſſe, *antequam* ad ipſam πρᾶξιν, ad ipſam ψηφοφορίαν τῶν ἀςέρων διὰ τῶν προχείρων κανόνων transirent: & proinde illud ΠΡΟΤΕΡΟΝ *de iis diſſeremus* etiam ita capias, ut auctor eo indicet, ſe *prius* de iis acturum, *antequam* eos ad ipſam πρᾶξιν introducat. Qui ſenſus mihi ſatis naturalis videtur.

Sed licet hæc ita capiantur, huic ſcripto tamen deſunt

1° Tabulæ, Κανόνια

2° Inſtructiones quomodo iis uti deberent, & ipſam ψηφοφορίαν ἀςέρων per easdem inſtituere.

Vide quæ de occaſione hujus ſcripti obſervavimus §° 14.

(NB. Hoc ſcriptum, a Dodwello editum, recte Fragmentum appellatur, quia *Commentarii Theonis in expeditas Tabulas*, qui pluribus Capitibus conſtat, tantum primum Caput continet, ut videre licet in Diſſ. de Regum Canone §° 27, Lit. D, ubi notitia Codicis Lugduno-Batavi, & Commentarii Theonis in expeditas Tabulas, qui hujus Codicis prima pars eſt, exhibetur.)

XXVII.

De Tabulis, quæ deſunt & requirebantur.

Ex ſcopo Auctoris, & ex iis, quæ in hoc ſcripto leguntur, patet Tabulas & quidem varias ac varii generis huic ſcripto deeſſe.

Exempli gratia, nam hic palpando & quaſi divinando agimus, deſunt.

a. Κανόνια βασιλειῶν, cum annorum συναγωγαῖς.

b. Πρόχειροι Κανόνες aſtronomici ſic proprie dicti, δι' ὧν ἡ τῶν ἀςέρων ψηφοφορία proprie peragebatur, inter quos erat Κανόνιον, quod dicebatur Κανόνιον εἰκοσιπενταετηρίδων, in cujus primo σελιδίῳ (columna) notatæ erant Icoſipentaëterides collectæ, & præterea alterum pro ἁπλοῖς ἔτεσι.

c. Κανόνιον ad reductionem anni Alexandrini vel Temporis juxta computum & formam anni Alexandrinorum, ad annum Ægyptium vagum; cujus ope hæc reductio incipientibus facilis reddebatur, & diſcipuli tædio calculi levarentur.

* Vide omnino Diſſert. de Regum Canone, §° 27, Lit. C. &c. ubi notitia Codicis Lugduno-Batavi exhibetur, in quo non tantum *Theonis* in

in expeditas Tabulas Commentarius integer, ſed & ipſi ΠΡΟΧΕΙΡΟΙ ΚΑ-ΝΟΝΕΣ. hoc eſt, ipſæ *expeditæ Tabulæ* continentur.

Notandum tamen illud Κανόνιον, quod nomine Faſtorum venit, in Codice Saviliano in Volumine προχείρων Κανόνων quidem reperiri, non autem in Codice Lugduno-Batavo, ex quo forte excidit. Vide Diſſert. de Regum Canone. §° 27. Lit. I. 1mo, Lit. e.

XXVIII.

De Κανονίῳ τ. βασιλειῶν, *ſeu de Tabula Regnorum.*

Hac opus habebant diſcipuli, & quidem primo loco.

Nam ſi ipſis in quæſtione proponeretur, juxta æram tunc temporis apud Alexandrinos receptam, annus a Diocletiano 77us.

Debebant ſtatim ex Tabula Regnorum, & quidem ex illa hujus Tabulæ Columna, quæ annos collectos exhibebat, inquirere, quotus ille annus ab Alexandri morte, vel quod idem eſt, ab initio regni Philippi eſſet; item quotus ille annus a morte Cleopatræ, vel quod idem eſt, ab initio Imperii Monarchici Auguſti eſſet: quod fiebat hoc modo, ex Tabula regnorum inveniebant annos ab initio Philippi uſque ad Diocletianum elapſos eſſe 607, his addebant annos ab initio Diocletiani uſque ad annum propoſitum incluſive, hoc in caſu, 77, atque ſic habebant annos collectos 684, ab initio Philippi usque ad annum Diocletiani 77um incluſive; quos debebant εἰσάγειν εἰς τὸ τ. εἰκοσιπενταετηρίδων Κανόνιον &c. Item ex eadem Tabula regnorum inveniebant annos ab initio Auguſti uſque ad Diocletianum elapſos eſſe 313. ab his auferebant annos 5, quia ἀποκατάστασις facta erat poſt annos quinque ab initio Auguſti, hoc eſt, quinto poſt regni Auguſti initium anno: & tum his annis reliquis, qui ſunt 308, addebant annos ab initio Diocletiani uſque ad annum propoſitum incluſive, hoc in caſu, 77. atque ſic habebant annos collectos 385, ab anno Auguſti 5°, quo ἀποκατάστασις facta erat, excluſive, usque ad annum Diocletiani 77um incluſive; quos habere debebant ad πρόληψιν anni Ægyptiaci vagi deprehendendam. Hæc ex præcedentibus, imprimis ex Fragmenti 5°. §° clara ſunt.

Non poterat tamen illis ſufficere Canon Regum, qui dicitur a Claudio Ptolemæo editus, quia ſe non extendebat uſque ad Imperium Diocletiani; floruit enim Ptolemæus ſub Antonino Pio, qui imperium tenuit ab

anno Chriſti 138, uſque ad annum Chriſti 161, annis 23. Teſte Petavio.

Neceſſe itaque erat, ut Canon ille Ptolemæi continuaretur, ad minimum uſque ad Diocletianum: quod etiam factum fuiſſe, ex hoc Theonis Fragmento colligimus.

Continuationem Canonis videmus, una cum Columnis annorum collectorum, non tantum a Nobanaſſaro, ſed ſimul etiam a Philippo, & deinde ſimul quoque ab Auguſto, uſque ad Diocletianum: ut ex Canonibus Regnorum a Dodwello in hac Appendice editis, ad oculum patere poteſt. Sed notandum, quod illæ Columnæ, in quibus anni collecti a Nabonaſſaro, & ab Auguſto, uſque ad Diocletianum, Numeris Indicis, ſeu Cyfris exprimuntur, non ſint ex MS^to^, ſed ab editore Dodwello additæ, ut ipſe teſtatur p. 24. lin. 4. ita ut ab illo Canone Regnorum, quem Dodwellus edidit, collectio annorum ab Auguſto inchoata a MS^to^ abfuerit.

Verum probabile eſt, hunc Canonem Regnorum, tempore Theonis, habuiſſe collectionem annorum ab Auguſto deductam, & ad minimum uſque ad Diocletianum prorogatam: ita enim in hoc Fragmento Theo expreſſe dicit: Ἐπεὶ ἐν ἀπὸ τ ἀρχῆς Αὐγέσυ μέχρι τ Διοκλητιανῦ ἔτη ὁμοίως συνάγεται ἐκ τ τῶν βασιλειῶν Κανόνος τιγ′. *Quoniam igitur ab imperio Auguſti uſque ad (imperium) Diocletiani, anni ſimiliter colliguntur ex regnorum Canone* 313.

Ego tamen vix dubito, quin Theo, convenienter ſcopo ſuo, etiam hac in re, per expeditam Tabulam, diſcipulos moleſtia calculi liberaverit.

Hoc autem mihi videtur feciſſe, in illo inſigni Κανονίῳ, quod *Faſtorum* nomine venit:

In quo anni, ab initio Philippi, ſeu quod idem eſt, ab Alexandro mortuo, & anni, ab initio Auguſti repetiti, in ſuo mutuo concurſu, pariter decurrunt.

Unum tantum huic Κανονίῳ deeſt, æra nempe Diocletianæa, cum æra Philippæa & Auguſtæa, conjungenda, ab eo anno, quo illa incipit, & coincidit, nempe anno ab Alexandro 608°, & ab Auguſto 314° ineuntibus.

Eam autem æram Diocletianæam huic Κανονίῳ a Theone adjunctam quoque fuiſſe vix dubito, ſed a deſcriptore, ob ignorantiam cui uſui eſſet, & ob tædium ſcribendi, & quia non cum duabus reliquis æris ab initio, ſed demum in fine accederet, omiſſam conjicio.

 Huic

Huic ſententiæ & conjecturæ favent Faſti Græci poſteriores, ex Apographo Voſſii, a Dodwello in hac Appendice editi.

Quos Faſtos ego conjicio, idem illud Theonis Κανόνιον, ſed ab Heraclio Imperatore continuatum, primitus continuiſſe, ſed omiſſione ἐκλάτων ἤτοι ἐμβολίμων & τετραετηρίδων mutilatum eſſe.

Nam in his Faſtis triplex hæc Æra, vel ſaltem ejus manifeſtiſſima indicia occurrunt: primo enim in iis occurrit Æra annorum ab Auguſto ſola; deinde ab initio Diocletiani omittuntur anni ab Auguſto, & occurrit Æra Diocletianæa, una cum Æra Philippæa uſque ad finem: quibus tandem ſub finem accedit iterum Tertia Æra Auguſtæa.

Hoc autem poſito, tum diſcipuli Theonis, dato quovis anno in Æra, tunc communi, Diocletianæa, hunc annum in hoc Κανονίῳ quærentes, ſtatim uno intuitu oculi ibidem videre poterant, quotus ille ab Alexandro, & ab Auguſto, annus eſſet.

Si tamen hæc conjectura alicui nimis audax videatur, is velim obſervet, Theonis diſcipulos illo Κανονίῳ (quod *Faſtorum* nomine venit) etiam uti potuiſſe, licet Æra Diocletianæa illi non eſſet adjuncta. Poterant enim, dato aliquo in Æra Diocletianæa anno, in *Canone Regnorum* videre, quot anni inde ab Auguſto uſque ad Diocletianum erant elapſi, & his addentes annum in Æra Diocletianæa datum, facile invenire, quotus ab Auguſto eſſet ille annus in Æra Diocletianæa datus, ac tum illum annum ab Auguſto inventum, anno in Æra Diocletianæa dato reſpondentem, quærere in Κανονίῳ, quod *Faſtorum* nomine venit.

XXIX.

De προχείροις Κανόσι, ſeu de expeditis Tabulis.

Πρόχειροι Κανόνες: per ſe nomen commune eſt, & omnibus Tabulis, cujuscunque argumenti, dari poteſt, ſi modo expeditam & facilem viam ac methodum ſuppeditent, ad aliquid inveniendum.

Sed in ſpecie ita vocantur Tabulæ aſtronomicæ Claudii Ptolemæi, quarum ope ἡ τῶν ἀστέρων ψηφοφορία faciliori modo peragitur.

Quæri itaque hic poteſt, an Theo per προχείρους Κανόνας intelligat Tabulas illas aſtronomicas, quas ipſe Ptolemæus conſtruxerat & ediderat: an vero intelligat illas Tabulas aſtronomicas, quas ipſe, ad modum Ptolemæarum, conſtruxerat, & quarum uſum explicaverat in ἑτέρῳ συν-

τάγματι

σύγγραμμα πέντε βιβλίων, de quo in initio hujus ſcripti meminit. De quo hic nihil determino. Vide Diſſertationem de Canone Regum aſtronomico, §° 14°, Lit. δ—η.

Inter illos προχείρους Κανόνας erat Κανόνιον, quod vocatur τὸ τῶν εἰκοσιπενταετηρίδων Κανόνιον, quia in illa Tabula exhibebatur & deſcribebatur ſitus aſtrorum ejusque differentia poſt ſingulos XXV & XXV annos; in cujus Κανονίου ΠΡΩΤΩ ΣΕΛΙΔΙΩ, hoc eſt, 1ª columna, annotati erant, anni per 25 collecti, hoc eſt, incipientes ab 1, & continua progreſſione per 25 aucti, hoc modo

εἰκοσιπενταετηρίδες

α.	1.				
κϛ.	26.				
να.	51.				
οϛ.	76.				
ρα.	101.				
ρκϛ.	126.				

Huic τῶν εἰκοσιπενταετηρίδων Κανονίῳ adjunctum erat alterum Κανόνιον, quod τῶν ἁπλῶν ἐτῶν Κανόνιον dici poteſt, quia in eo ſitus aſtrorum ejusque differentiæ, per ſimplices annos ſibi invicem ſuccedentes, numero 24, quot inter unam & alteram εἰκοσιπενταετηρίδα intermedii erant, exhibebantur & deſcribebantur, hoc modo:

ἔτη ἁπλᾶ

1.
2.
3.
4.

Atque hinc clarum eſt, quid ſit annos collectos ab initio Philippi usque ad annum propoſitum incluſive, (hoc in caſu, ubi annus Diocletiani 77ᵘˢ proponitur, 684.) εἰσάγειν εἰς τὸ τῶν εἰκοσιπενταετηρίδων Κανόνιον, καὶ τὰ ἐγκείμενα ἐν αὐτῷ, ἐξ τὸ πρῶτον σελίδιον, ἔγγιστα ἐλάττονα τῶν συναχθέντων (hoc in caſu 676) vocare εἰκοσιπενταετηρίδας: καὶ τὰ ὑπολειπόμενα (hoc in caſu 8) vocare ἔτη ἁπλᾶ: & præterea hinc clarum eſt, quid ſit ἀπογεγράφθαι εἰκοσιπενταετηρίδας, & ἁπλᾶ ἔτη. Confer Ptolem. in Magna Conſtr. L. 6. C. 9. p. 156. lin. 6. 9. edit. Græcæ. Item L. XI. C. ultimo p. 279.

p. 279. Nempe, poſtquam inveneris annum propoſitum Diocletiani 77um eſſe annum a Philippo 684um, introſpicere in illam Tabulam, quæ Tabula Icoſipentaëteridum dicitur, & in hujus Tabulæ prima Columna, quæ ſeriem annorum per 25 collectorum continet, quærere numerum annorum proxime minorem numero 684, qui eſt numerus 676, & illum habere pro numero quæſito, qui tibi in hoc caſu neceſſarius eſt: reliquum autem quod ex 684, ultra 676, tibi ſupereſt nempe 8, habere pro annis ſimplicibus, & in Tabula annorum ſimplicium annum 8um obſervare. Atque hæc eum in finem, ut ex Tabula Icoſipentaëteridum, ex illo verſu (ςίχῳ) cui numerus 676 inſcriptus eſt, & iterum ex Tabula ſimplicium annorum, ex illo verſu (ςίχῳ) cui numerus 8 inſcriptus eſt, *deſcribas*, *enotes* numeros aſtronomicos, qui in illis verſibus annotati inveniuntur, ad uſum tuum in Computo iſtius quæſtionis aſtronomicæ, quæ tibi in anno illo Diocletiani 77°, ad ſolvendum propoſita eſt.

Plura hac de re ſcribere nunc non lubet: qui plura velit, inſpiciat initium Libri 6ti, Almageſti ſeu magnæ Conſtructionis Ptolemæi: ubi ad Computum Noviluniorum & Pleniluniorum invenies duo Κανόνια, in quorum uno Novilunia, & in quorum altero Plenilunia, per εἴκοσι πέντε ἔτη ſucceſſive computata exhibentur; in quorum 1a Columna anni per 25 collecti occurrunt: quibus ſubjungitur tertium Κανόνιον pro annis ſimplicibus, numero 24, ſibi invicem ſuccedentibus. Item quartum pro menſibus anni duodecim.

Sed, quod obſervandum, in illis Canonibus Ptolemæi Icoſipentaëterides repetuntur a 1° anno Nabonaſſari, non autem ab initio ſeu 1° anno Philippi Aridæi; quod tamen Theo non tantum ſupponit, factum eſſe in illo Icoſipentaëteridum Laterculo, de quo loquitur, ſed præterea expreſſe hoc inter præcognita monuerat, initium regni Philippi Aridæi eſſe illud tempus unde initium curſus aſtrorum in προχείροις Κανόσι conſtituebatur. Unde videtur, quod Theonis πρόχειροι Κανόνες, licet ad modum Ptolemæoum conſtructi tamen eatenus diverſi fuerint.

Obſervandum tamen quoque eſt Syncellum in Chronico ſuo tribuere hoc ipſi Ptolemæo, quod in ſuis προχείροις ἀστρονομίας Κανόσι initium Philippi Aridæi pro Epocha habeat. Vide p. 326. D. 313. A. B. 261. C. 264. C. 207. A. quanquam in poſtremo loco videtur variare, & eidem Ptolemæo tribuere Epocham ab anno 1° Nabonaſſari, nempe pag. 206. B. C. D. & 207. A & B.

Confer etiam Jac. Golii Notas in Alfragani Elementa Aſtronomica, p. 59, 60. & ipſum Alfraganum, C. I. P. 2a p. 6.

Confer

Confer denique Diſſertationem de Canone Regum Aſtronomico, §° 14. Lit. δ. & imprimis Lit. η. 11do §° 27. Lit. M. ubi hæc diſtinctius explicantur.

XXX.

De Κανονίῳ ſeu Tabula ad tempus (annum, menſem, diem) juxta Alexandrinos, propoſitum reducendum ad tempus (annum, menſem, diem) juxta Ægyptios.

Tale Κανόνιον eſſe illud ſcriptum quod nomine Faſtorum venit, extra dubium eſt, & ex præcedentibus quam clariſſime patet.

Illud Κανόνιον exhibet per tot annos ſibi invicem ſuccedentes πόσαις ἡμέραις προείληφεν ὁ κατ' Αἰγυπτίους ἐνιαυτὸς τοῦ κατ' Ἀλεξανδρέας, quot diebus annus Ægyptius anticiparet annum Alexandrinum.

Ita ut diſcipuli, ſi ipſis proponeretur annus Alexandrinus, ſtatim in hoc Κανονίῳ, uno intuitu oculi, deprehendere poterant, non tantum, ut jam ante dictum, quotus ille annus ab Alexandro, & ab Auguſto eſſet, ſed ſimul etiam, quot diebus tunc temporis, inde ab ἀποκαταστάσει, annus Ægyptius annum Alexandrinorum anticipaverat.

Adeo ut ope hujus Tabulæ diſcipuli liberarentur, non tantum ab illa collectione annorum, qua annus Æræ Diocletianææ reducebatur ad annum Æræ Philippææ & Auguſtææ, ſed etiam a diviſione annorum ab Auguſto collectorum, minus V, ad horum quartam partem capiendam, alias, juxta Regulam neceſſariâ.

Nam dato, exempli gratia, anno Diocletiani 77°, ejuſque menſe Thoth, & hujus die 22ª, ac diei horâ XIª diurna.

Nihil aliud requirebatur, quam hanc Tabulam inſpicere, & in iſta Columnâ, quæ Æram Diocletiani continebat, quæque nunc abeſt, (& forte nunquam adfuit) quærere annum a Diocletiano 77um, & in eodem στίχῳ ſeu verſu videbant annotatum,

Quod ille annus a Diocletiano 77us eſſet annus ab Alexandro ſeu a Philippo Alexandri ſucceſſore 684us, & annus ab initio Auguſti 390. &

Quod illo anno ab initio Auguſti 390° labente, annus Ægyptius jam anticipaverat dies 96.

Quum itaque obſervo hocce Κανόνιον tam exacte ſcopo Theonis in hoc

 ſcripto

ſcripto ſatisfacere, merito videor mihi, inde poſſe concludere, hoc Κανόνιον ab ipſo Theone eſſe compoſitum, & huic ſcripto adjunctum fuiſſe, vel potius inter προχείρους Κανόνας locum habuiſſe.

Quibus & hoc accedit, quod hoc Κανόνιον ſe extendit uſque ad, & non ultra ætatem Theonis: nam Exemplum, quod Theo ad illuſtrationem Regulæ, 5° 5° proponit eſt anni Diocletiani 77^{mi}, qui eſt, annus ab Alexandro 684us, ab Auguſto 390us, concurrens cum anno Æræ Chriſti vulgaris 361°. & ultimus hujus Κανόνος annus eſt Diocletiani 88us, ab Alexandro 695us, ab Auguſto 401us, concurrens cum anno Æræ Chriſti vulgaris 372°.

Vide de Theonis ætate Voſſium de Scient. Mathem. C. 33. N° 22, 23. p. 165. ubi notat Theonem in Libro 6° Comment. in μεγάλην Ptolemæi σύνταξιν meminiſſe, ut obſervarit Eclipſin Solis quæ fuit anno Nabonaſſari 1112° hoc eſt anno ab Alexandro 688°, ab Auguſto 394°, a Diocletiano 81°, qui concurrit cum anno Chriſti 365°. Vide editionem Græcam Baſil. anni 1538, in fol. p. 282 & 284.

X X X I.

An hoc Κανόνιον *in initio mutilum ſit.*

Congruum fuiſſe videtur, ut illud inciperet ab ipſa ἀπὸ καταστάσεως, ſeu ab anno Æræ Auguſtææ 5° : nihil tamen affirmo.

Conjiceret quis forte Theonem incipere, ubi deſierat Ptolemæus: ſed, cum nullum veſtigium occurrat, quantum ſaltem mihi conſtat, iſtiusmodi Κανόνος a Ptolemæo inventi & editi, non poterit hoc Theonis Κανόνιον pro ejus continuatione haberi. Certum alias eſt, quod initium hujus Κανόνος ætatem Ptolemæi attingat, quippe qui in Almageſto L. 3. C. 2. meminit ſe obſervaſſe *Æquinoctium Autumnale anno Antonini* 3°, ab Alexandro 463°, a Nabon. 887°, Athyr 9°, anno Chriſti 139°. Item *Stellam Veneris* ſe obſervaſſe meminit L. 10. C. I. *Antonini anno* 4°, eaque eſt ultima Obſervationum, quæ in Almageſto recenſentur.

X X X I I.

Methodus Theonis ad anni Alexandrini propoſiti reductionem ad annum Ægyptium ulterius explicatur.

1° Sumamus illud exemplum, quod Theo ipſe ad illuſtrationem Methodi ſuæ, 5° ultimo proponit.

Detur

Datur annus Diocletiani 77us, qui eſt annus ab Auguſto 390us, & ejus anni menſis Thoth dies 22us, hora diurna XI^{a}, ſecundum Computum Alexandrinorum, qui anno fixo utebantur, & diem a nocte diſtinctam, ab ortu Solis incipiebant, & horas diurnas inde numerabant.

Quæritur quis annus, menſis, & dies ſit ſecundum Computum Ægyptiorum, qui olim anno vago uſi fuerant, & qua forma anni adhuc Mathematici Aſtronomi in ſuis Tabulis aſtronomicis utebantur, qui etiam diem ab ipſa meridie, ab hora 6^{a}, ſecundum Alexandrinos, transactâ, & 7^{a} ineunte, incipiebant, & hanc 7^{am} primam vocabant.

Annus datus a Diocletiano 77us, eſt annus ab Auguſto 390us,

Aufer, quia *ἀποκατάστασις poſt quinque annos ab initio Imperii Auguſti*, facta eſt, annos 5

Eſt itaque annus datus a Diocletiano 77us, annus *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ numeratus . . . 385us

Ad inveniendum quot diebus προείληφεν annus Ægyptius, ſive quot dies intercalares jam anno Alexandrino adpoſiti erant, quum hujus anni Alexandrini, a Diocletiano 77^{mi}, ab Auguſto 390^{mi}. *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 385^{ti}, primus dies menſis Thoth labi inciperet, ſumenda eſt quarta pars numeri 385, ſed quod idem eſt, numerus ille per quaternarium dividendus eſt;

ſi numerus 385
dividatur per 4 — erit Quotiens 96
& reliquum 1.

Quotiens indicat τετραετηρίδας 96
Jam elapſas eſſe, & dies intercalares 96
Anno Alexandrino adpoſitos eſſe, adeoque annum Ægyptium jam diebus 96 anticipare.

Menſis & dies datus eſt menſis Thoth dies 22us,
Adde his dies illos, modo inventos . . 96.

Erit itaque dies Thoth 22us anni *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 385^{ti} juxta Alexandrinos, dies ejusdem anni ab ἀποκαταστάσει 385^{ti} juxta Ægyptios. . . . . . . 118us.

Aufer Tricenarios, ſive divide hunc numerum 118 per XXX. . . . .

ſi numerus 118
dividatur per XXX — erit Quotiens 3
reliquum 28.

 Et

Et tum Quotiens indicabit tres primos menſes, quorum quiſque XXX dierum eſt, in anno Ægyptiaco jam elapſos eſſe,

Et reliquum indicabit diem quæſitum in anno Ægyptiaco eſſe diem quarti menſis (*Choiac*) labentis, 28um.

2° Perluſtremus ſpeciales caſus, quorum meminit §° 4°., & circa quos aliquid ſpeciale monet.

a. Primus caſus: *Si ejectis tricenariis, nullæ dies ſuperſint.*

Pone ejusdem anni, ut ſupra, datam eſſe menſis Thoth diem, non 22um, ſed 24um,

Haberemus diem Thoth 24um
& ut antea intercal. dies 96

Adeoque dies quæſitus eſt
anni Ægyptiaci dies . . 120us

Si numerus 120
dividatur per XXX — erit Quotiens 4
reliquum 0

Ac proinde dies quæſitus in anno Ægyptio erit menſis 4ti (*Choiac*) dies 30us ſeu ultimus.

b. Secundus Caſus, *Si, Tricenarios abjicientes, deſinamus in menſem Thoth, aut deinceps ſequentem menſem* &c.

Hic caſus dupliciter conſiderari poteſt,

א. Primo ſi annus ille, cujus dies datus eſt, habeat tantum in fine ordinarias quinque Epagomenas.

ב. Secundo ſi annus ille, cujus dies datus eſt, habeat in fine, extra ordinem, Epagomenas ſex, quod unoquoque anno quarto fit.

א. Pone annum datum eſſe, ut ſupra, annum Diocletiani 77um; qui eſt ab Auguſto 390um, & ab *ἀποκαταστάσεως* 385um, habens, ut ſupra ἐμβολίμους 96. & hujus anni menſis Xmi Pauni diem 22um.

Pro novem menſibus elapſis pone dies 270
Dies menſis datus eſt decimi menſis 22us
Dies ἐμβόλιμοι jam adpoſiti ſunt 96

Erit itaque dies Pauni 22us anni Alexandrini *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 385ti, dies ejusdem anni Ægyptii *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 385ti 388vus;

Si numerus 388
dividatur per XXX — erit Quotiens 12,
reliquum 28.

Quotiens

Quotiens indicat ab initio anni Ægyptiaci iſtius elapſos eſſe menſes XII.

Et reliquum indicat præter illos menſes XII elapſos, dies quoque 27 elapſos eſſe, & diem 28^{am} labi,

Unde patet hunc diem cadere in ſequentis anni Ægyptii, *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 386^{ti}, menſem Thoth: adeoque

1° Ad inveniendum diem anni Ægyptii, ab illo reliquo 28 auferri debere, pro Epagomenis quinque, quas annus Ægyptius 385us elapſus, præter XII menſes, XXX dierum, in calce recipit, dies 5.

Si itaque ab illo reliquo 28
auferantur dies . . . 5.

remanebunt 23.

Adeoque dies datus Pauni 22us anni Alexandrini *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 385^{ti}, erit dies Thoth 23us anni Ægyptii *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 386^{ti}.

2° Et propterea, quod ad Computum aſtronomicum pertinet, annis ſimplicibus unus annus addendus eſt; exempli gratia, annus datus Diocletiani 77us eſt annus ab initio Philippi 684^{tus}. Is autem habet Icoſipentaëterides 676, & ſimplices annos 8; ſed nunc ille unus annus, ex collectione dierum ortus, addendus eſt, & habebit annos ſimplices 9; ac proinde in tabula τῶν ἁπλῶν ἐτῶν, quærendus ille στίχος, verſus, cui non 8us ſed 9us annus *inſcriptus* eſt.

2. *Si* autem annus Alexandrinus datus habeat in ſui calce Epagomenas ſex.

Tamen etiam illo in caſu a numero dierum collectorum, vel potius ab horum reliquo, non plures, quam quinque dies auferri debent.

Et ratio clara eſt, quia illi dies collecti, & per conſequens etiam horum reliquum, ſunt dies anni Ægyptiaci; adeoque tantum in conſiderationem venire poſſunt, hoc in caſu, Epagomenæ anni Ægyptiaci, quæ nunquam plures ſunt, quam quinque.

NB. Illa Formula loquendi, *annus ab ἀποκαταστάσει* 385us, 386us &c. quæ in hoc &, in ſequenti §° ſæpius occurrit, ſemper ita intelligenda, ut in hac annorum numeratione, ipſe ille annus, Auguſti 5us, quo ineunte ἀποκατάστασις facta eſt, excludatur, ac ſi ſcriptum eſſet *annus, ab ἀποκαταστάσεως anno excluſive* 385us, 386us &c.

XXXIII.

Ex hoc ſcripto Theonis, & ex ejus methodo reductionis determinatur, quando primus dies intercalaris adpoſitus ſit.

Suppoſui in Schemate, ſupra §° 11° annum a Nabonaſſaro 724um, ab Alexandri morte ſeu ab initio regni Philippi 300um, ab initio regni Auguſti (poſt mortem Cleopatræ) 6um, qui incipit currente anno period. Jul. 4689°, & qui cum anno per. Jul. 4690° concurrit, eſſe primum Alexandrinorum annum fixum. Sed hac de re diſtinctius agemus infra §° 35.

Porro autem noſtra ſententia eſt primum diem intercalarem adpoſitum eſſe in die Aug. 29° anni Per. Jul. 4692^{di}, immediate ante diem primum Thoth anni fixi (in Tabula) 4^{ti}, qui eſt annus a Nabonaſſaro 727^{mus}, ab Alexandro 303us, ab Auguſto 9us, qui dies primus Thoth propter hunc intercalarem, protruditur in ſequentem diem Auguſti 30um.

Hæc ſententia ex hoc Theonis ſcripto probatur.

Quia in methodo, qua auctor utitur, ad inveniendum, quot diebus annus Ægyptius annum Alexandrinum anticipat, clare ſupponitur primum diem Thoth anni fixi 4^{ti}, ab Auguſto 9^{ni}, cadere in diem Auguſti 30um, adeoque primum diem intercalarem non cadere in calce anni *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 4^{ti}, ab Auguſto 9^{ni}, ſed immediate ante primum diem menſis Thoth hujus anni 4^{ti}, ab Auguſto 9^{ni}.

Sit enim propoſitus annus juxta Alexandrinos ab Auguſto 9us, & hujus anni menſis Thoth, dies 1us.

Et quæratur juxta methodum Theonis, quis annus, menſis, ac dies ſit, juxta computum Ægyptiorum.

Datus eſt annus ab Auguſto 9us,
aufer annos . . 5.

Eſt itaque annus datus, ab ἀποκαταστάσει annus . . 4us
numerum 4
divide per IV — erit Quotiens 1
reliquum 0.

Quotiens 1 indicat, quod, quum anni dati ab Auguſto 9^{ni}, *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 4^{ti} primus dies Thoth labi inciperet, jam unus dies

dies intercalaris appoſitus ſit, & quod annus vagus jam uno die receſſerit.

Menſis & dies datus eſt menſis Thoth dies . . . 1us.
Adde huic inventum illum diem 1

Erit itaque dies Thoth 1us anni ab Auguſto 9^{ni}, *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 4^{ti}, juxta Alexandrinos, dies ejuſdem anni ab Auguſto 9^{ni} *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 4^{ti} juxta Ægyptios, menſis quoque Thoth . . . . 2us.

Atqui annus ab Auguſto 9us, eſt annus a Nabonaſſaro 727us; & anni vagi a Nabonaſſaro 727^{mi} primus dies Thoth cadit in diem menſis Auguſti 29um, adeoque ſecundus dies Thoth cadit in diem menſis Auguſti 30um; & per conſequens dies primus Thoth anni fixi ab Auguſto 9^{ni}, *ab* ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΕΙ 4^{ti} cadit quoque in diem menſis Auguſti 30um, ac proinde primus dies intercalaris cadit in præcedentem diem menſis Auguſti 29um, & ſuo interventu primum diem Thoth loco ſuo pellit, & in diem Aug. 30um protrudit.

XXXIV.

De anni Ægyptii & Alexandrini ἀποκαταςάσει, quando facta ſit juxta Theonem Alexandrinum.

I°

Quid ἀποκατάςασις ſit, de qua hic agitur.

Annus Ægyptius vagus dierum 365, abſque quadrante, & annus Alexandrinus dierum 365, cum quadrante, qui ſupponuntur a certi temporis initio ſimul feciſſe initium anni, in ſequentibus annis non pari paſſu progrediuntur, ſed initium anni Ægyptiaci vagi ſingulis quadrienniis evolutis ſolido die, initium anni Alexandrini fixi anticipat, & ſic initium anni Ægyptii progreſſu temporis ab initio anni Alexandrini magis magiſque recedit, & ad anteriora relabitur, donec tandem poſt certum temporis ſpatium evolutum initium anni Ægyptii redeat ad initium anni Alexandrini, ita ut annus Ægyptius & annus Alexandrinus iterum incipiant ἅμα ποιεῖν τὴν ἀρχὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ, & porro in

in progreſſu temporis eandem mutuam inter ſe invicem habent relationem, quam habuerant antea per totum illud ſpatium temporis jam evolutum. Quando autem hoc fit tum fit ἀποκατάστασις, hoc eſt, reditus anni Ægyptii ad annum Alexandrinum, & reſtitutio ejusdem mutuæ relationis inter utrumque, quam antea habuerant.

Spatium autem illud temporis eſt annorum Ægyptiorum 1461, Alexandrinorum vero 1460. Anni enim Ægyptii 1461 dierum 365, faciunt præciſe annos Alexandrinos 1460, dierum 365, cum quadrante. Adeoque ἀποκατάστασις fit poſt tot annos evolutos, incunte anno Ægyptio vago 1462°, & anno Alexandrino fixo 1461°.

2°

Quæſtio hic propoſita magis determinatur.

1° Certum eſt ἀποκατάστασιν juxta Theonem factam eſſe anno regni Cæſaris Auguſti, poſt captam Alexandriam & mortem Cleopatræ, vel 5°, vel 6°.

In uno loco enim dicit, γέγονε δὲ ἡ εἰρημένη διὰ αυξʹ ἐτῶν ἀποκατάστασις ἀπό τινος ἀρχῆς χρόνου, ΤΩ ΠΕΜΠΤΩ ΕΤΕΙ Αὐγούστου βασιλείας.

In altero autem loco dicit, ἐλέγομεν γὰρ τὴν ἀποκατάστασιν τῆς καθ' Ἀλεξανδρείας πρὸς τὴν καθ' Αἰγυπτίους γενῆσθαι ΜΕΤΑ Εʹʹ ΕΤΗ τῆς ἀρχῆς τοῦ Αὐγούστου βασιλείας.

Quæritur itaque hic an Auguſti anno 5°, an vero 6°, juxta Theonem, facta fuerit ἡ ἀποκατάστασις.

2° *Facta fuit* tunc ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ Theoni idem eſt, ac tunc cœperunt ΑΜΑ ΠΟΙΕΙΝ οἵτε κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, καὶ οἱ κατὰ τὴν Αἴγυπτον ΑΡΧΗΝ ΤΟΥ ΕΝΙΑΥΤΟΥ. Quod patet non tantum ex natura rei, ſed etiam ex eo, quod ipſe Theo, poſtquam hæc in fine §i 3tii dixiſſet, ſtatim in initio §. 4ti ſic pergat, γέγονε γὰρ Η ΕΙΡΗΜΕΝΗ διὰ αυξʹ ἐτῶν ΑΠΟΚΑΤΑΣΤΑΣΙΣ &c.

Quæritur itaque an Auguſti anno 5°, an vero 6° cœperint Alexandrini & Ægyptii ſimul facere initium anni.

3° *Simul facere initium anni* a Theone præciſe ſumitur, ita ut excludat anticipationem quartæ diei partis. Nam quando Alexandrini & Ægyptii hoc anno ſimul fecere initium anni, tum Ægyptii demum ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦ ἑξῆς ἐνιαυτοῦ ἄρχονται τὸ δʹʹ τῆς ἡμέρας προλαμβάνειν, ut dicit Theo, in fine §i 3tii. Adeoque non ſufficit, ad hujus quæſtionis determinationem talem

lem invenire in per. Jul., aut in annis ab Auguſto, annum, in quo Thoth Ægyptiorum vagus, & Thoth Alexandrinorum fixus in eundem anni Juliani diem incurrant: hoc enim in quatuor ſe invicem ſuccedentibus annis obtinet. Annus enim Ægyptius ab illo ipſo die, quo ſimul cum anno Alexandrino inierat, poſt quadriennium evolutum, uno die initium anni Alexandrini anticipat; ſed idem annus Ægyptius ab illo ipſo die, quo ſimul cum anno Alexandrino, inierat, poſt primum illum annum abſolutum, ſtatim in initio ſequentis anni, initium anni Alexandrini quarta diei parte anticipat, & ſic porro. Quæritur itaque hic an Auguſti anno 5° an vero 6° Alexandrini & Ægyptii ita *ſimul fecerint initium anni*, ut Ægyptii demum in initio ſequentis anni cœperint quarta diei parte anticipare.

4° Alexandrini non poſſunt cum Ægyptiis ſimul facere initium anni eo, ut dictum eſt, modo, niſi in tali anno, qui annum intercalarem, dierum 366, proxime inſequitur. Quod ex ante dictis clarum eſt.

Quæritur itaque hic an Auguſti annus 5us an vero ejus annus 6us ſit talis annus, qui annum intercalarem, dierum 366, proxime inſequitur vel inſequi concipitur.

3°

Quæſtio hæc diſtinguenda ab altera, qua quæritur, quis fuerit primus Alexandrinorum annus fixus.

Non enim neceſſario ſequitur, eundem annum, quo ἀποκατάστασις facta fuit, vel facta concipitur & ſupponitur, fuiſſe quoque primum annum fixum.

Poteſt enim fieri, ut primus annus fixus inſequatur illum annum, in quo ἀποκαταστάσεως facta concipitur & ſupponitur.

Licet enim revera dici non poteſt, quod Alexandrini in anno, qui primum ſuum annum fixum præcedit, ſimul cum Ægyptiis fecerint initium anni, tamen res ita concipi poteſt, & in computo ita concipi debet in illo caſu poſito.

4°.

Quæſtionis deciſio.

Mea ſententia nunc eſt, non anno Auguſti 6°, ſed anno ejus 5° factam eſſe ἀποκατάστασιν, ex mente Theonis.

F Judico

Judico enim Theonem ſtatuere, Alexandrinos & Ægyptios ſimul feciſſe initium anni, non anno Auguſti 6°, ſed anno ejus 5°, vel ſaltem Theonem rem hoc modo concipere, & hoc ſupponere.

Adeoque ex Theonis ſententia, ſeu ſuppoſitione, Thoth Alexandrinorum fixus, & Thoth Ægyptiorum vagus, non anno Auguſti 6°, ſed anno ejus 5°, prima vice ambo in eundem anni Juliani diem incurrunt.

Et illa Theonis, in ſecundo loco, verba μετὰ ε´ ἔτη τῆς ἀρχῆς τοῦ Αὐγούστου βασιλείας, ſic capio ac ſi ſcriptum eſſet, μετὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Αὐγούστου βασιλείας πέμπτῳ ἔτει, *anno poſt initium regni Auguſti 5°.*

5°.

Probatur primo.

Annus Auguſti 9us eſt Alexandrinis poſt annum intercalarem, dierum 366, primus annus.

Hoc patet ex Schemate, & confirmatur ex Theonis methodo.

Datur annus Alexandrinorum ab Auguſto 9us

aufer annos	5
reliquum	4
divide per	4 — Quotiens 1.
reliquum	0.

Adeoque anno Alexandrinorum ab Auguſto 9° ineunte, ante hujus anni Thoth, ſeu diem 1um jam inſertus erat unus dies intercalaris, quia quotiens eſt 1, & annus proxime præcedens Auguſti 8^{vus} fuit Alexandrinis intercalaris, dierum 366, quia reliquum eſt 0.

Si autem Auguſti annus 9us Alexandrinis erat poſt annum intercalarem, dierum 366, primus annus, ſequitur etiam annum Auguſti 5um Alexandrinis fuiſſe, poſt annum intercalarem, dierum 366, primum annum, vel ſaltem ita eſſe concipiendum.

Adeoque anno Auguſti 5° facta fuit ἀποκατάστασις. Vide ſupra, N° 2°, 4°.

6°.

Probatur ſecundo.

Anno Auguſti 6° juxta Alexandrinos ineunte, Ægyptiorum Thoth nulla.

nulla die, ſed unica tantum quarta diei parte, Alexandrinorum Thoth anticipat.

Hoc ex Schemate patet, & ex calculo juxta Theonis methodum confirmatur.

Detur annus Alexandrinorum ab Auguſto 6us
aufer annos 5
reliquum 1
divide per 4 / Quotiens o.
reliquum 1.

Adeoque anno Alexandrinorum ab Auguſto 6o ineunte, ante hujus anni Thoth nullus dies intercalaris, inde ab ἀποκαταστάσεως, inſertus erat, quia Quotiens eſt o, ſed initium anni Ægyptiorum unicâ tantum quarta diei parte, initium anni Alexandrinorum anticipat, quia reliquum hujus diviſionis per quatuor eſt 1 ſeu Quotiens $\frac{1}{4}$.

Proinde annus Auguſti 6us non eſt ipſe ille annus, quo ἀποκατάστασις facta eſt, ſed illum proxime inſequitur.

Et per conſequens, anno Auguſti 5o ἀποκατάστασις facta eſt, & eo anno Alexandrini & Ægyptii *ſimul fecerunt initium anni* præciſe; atque Thoth Alexandrinorum fixus & Thoth Ægyptiorum vagus ſimul in eundem anni Juliani diem, prima vice incurrerunt, vel ſaltem incurriſſe concipiuntur & ſupponuntur.

Vide ſupra, No 2o, 3o.

7

Probatur tertio.

Singulis quadrienniis, κατὰ τέσσαρα ἔτη, inquit Theo, *annus ſecundum Ægyptios una die anticipat, ſeu prævertit annum ſecundum Alexandrinos.*

Adeoque ab eo die, quo cœperant ἅμα ποιεῖν ἀρχὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ, elapſis quatuor annis, anni Ægyptiorum 5ti initium una die anticipat anni Alexandrinorum 5ti initium.

Hoc autem non poteſt eſſe verum, niſi Alexandrini & Ægyptii ſtatuantur, vel ſaltem concipiantur, ſimul feciſſe initium anni, Auguſti anno, non 6o, ſed 5o.

Nam initium anni ab Auguſto 9ni ſecundum Ægyptios, una die anticipat initium anni ab Auguſto 9ni ſecundum Alexandrinos.

Si autem ab initio anni ab Auguſto 9^ni^ retronumeres annos quatuor ſolidos, pervenies ad initium anni ab Auguſto 5^ti^ commune Alexandrinis & Ægyptiis.

Vide Schema, & ſupra N° 50.

8°.

Probatur quarto.

Spatio 1460 *annorum*, τῶ αυξ″ ἔτη, inquit Theo, *annus Ægyptius*, 365 *diebus*, *ſeu uno anno Ægyptio*, *anticipat ſeu prævertit annum ſecundum Alexandrinos*.

Adeoque elapſis ab eo die, quo cœperant Alexandrini & Ægyptii ſimul facere initium anni, 1460 annis, initium anni ſecundum Ægyptios 1461^mi^, 365 diebus, ſeu uno anno Ægyptio, anticipat initium anni ſecundum Alexandrinos 1461^mi^.

Hoc autem non poteſt eſſe verum, niſi Alexandrini & Ægyptii ſtatuantur, vel ſaltem concipiantur ſimul feciſſe initium anni, Auguſti anno, non 6°, ſed 5°.

Nam initium anni ab Auguſto 1465^ti^ ſecundum Ægyptios, 365 diebus, ſeu uno anno Ægyptio, anticipat initium anni ab Auguſto 1465^ti^ ſecundum Alexandrinos.

Quod probatur ex calculo, juxta Theonis methodum.

Detur annus ſecundum
Alexandrinos ab Auguſto 1465^tus^, ejuſque Thoth dies 1us.

Aufer annos 5
reliquum 1460
divide per 4 — Quotiens 365
reliquum 0
adde diem 1 menſis Thoth
ſumma 366
divide per 30 — Quotiens 12
reliquum 6
aufer 5 Epagomenas
reliquum 1

Ex hoc calculo patet,

Initium anni ſecundum Ægyptios ab Auguſto 1465^ti^, diebus 365, ſeu

ſeu uno anno Ægyptio, anticipare initium anni ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1465ti, quia Quotiens diviſionis per quaternarium eſt 365. & annum ſecundum Alexandrinos, qui hunc proxime præcedit, ab Auguſto 1464um fuiſſe intercalarem, dierum 366, quia reliquum diviſionis per quaternarium eſt o.

Si jam ab initio anni ab Auguſto 1465ti retronumeraveris annos 1460 ſolidos, pervenies ad initium anni ab Auguſto 5ti commune Alexandrinis & Ægyptiis, qui anno ab Auguſto 5° ineunte ſimul facere initium anni, idque in anni Juliani die menſis Auguſti 30°, quia annus ſecundum Alexandrinos ab Auguſto 4us fuit, vel ſaltem concipitur fuiſſe intercalaris, dierum 366.

Præterea ex hoc calculo patet.

Diem menſis Thoth 1um anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1465ti, eſſe diem 366um anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1465ti.

Dies autem 366us anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1465ti eſt revera dies 1us anni ſequentis, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1466ti, quod & ipſe calculus docet.

Adeoque dies menſis Thoth 1us anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1465ti eſt quoque dies menſis Thoth 1us anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1466ti.

Et per conſequens ineuntibus anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1465°, & anno, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1466°, facta eſt denuo ἀποκατάστασις, & Alexandrini atque Ægyptii denuo ſimul faciunt initium anni, & Thoth Alexandrinorum, una cum Thoth Ægyptiorum, ambo ſimul incurrunt in eundem ejusdem anni Juliani diem, menſis Auguſti 30um.

Ablatis itaque annis 1460 ſecundum Alexandrinos, ab anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1465° ineunte, & annis 1461 ſecundum Ægyptios (qui cum annis ſecundum Alexandrinos 1460 paria faciunt) ab anno, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1466° ineunte, pervenies ad annum ab Auguſto 5um ineuntem, quando ἀποκατάστασις facta fuerat, & Alexandrini atque Ægyptii *ſimul fecerant initium anni*. Vide ſupra N°. 1°.

9°.

Probatur quinto.

Annus, qui illum, quo ineunte ἀποκατάστασιν denuo facta fuit, & Alexandrini atque Ægyptii iterum ſimul fecerunt initium anni, proxime

inſequitur, ita a Theone deſcribitur in fine §[i] 3[tii]. Καὶ ἑξῆς ab illo die, quo iterum ſimul fecere Alexandrini & Ægyptii initium anni: τὰς ἡμέρας καὶ τοὺς μῆνας τοῦ κατ᾽ Αἰγυπτίους χρόνου ὅλον ἐνιαυτὸν προειληφότες, καὶ ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦ ἑξῆς ἐνιαυτοῦ ἄρχονται οἱ Αἰγύπτιοι τὸ δ´ τῆς ἡμέρας προλαμβάνειν, καὶ ἑξῆς πάλιν ἀκολούθως. Quæ verba ſic verterem, *& deinceps Ægyptii dies & menſes temporis ſecundum Ægyptios ſolido anno anticipantes, etiam in initio ſequentis anni incipiunt* (ultra annum ſolidum, dierum 365) *quarta diei parte anticipare, & deinceps iterum conſequenter.*

Detur annus, ſecundum
Alexandrinos, ab Auguſto 1466[us], ejusque Thoth dies 1[us]
aufer annos 5
reliquum 1461
divide per 4 — Quotiens 365
reliquum 1.
adde diem 1 menſis Thoth
ſumma 366
divide per 30 — Quotiens 12
reliquum 6
aufer 5 Epagomenas
reliquum 1.

Ex hoc calculo patet

Initium anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1466[ti], ſolido anno, dierum 365, & præterea una quarta diei parte, anticipare, ſeu prævertere initium anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1466[ti]; quia diviſionis per quaternarium Quotiens eſt 365, & reliquum 1.

Ex hoc calculo præterea patet,

Diem menſis Thoth 1[um] anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1466[ti], eſſe diem 366[tum] anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1466[ti], adeoque revera eſſe diem 1[um] anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1467[mi].

Ita ut, ineuntibus anno ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1466°, & anno, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1467[mi], Thoth Alexandrinorum, una cum Thoth Ægyptiorum, *iterum* ambo ſimul incurrant in eundem ejusdem anni Juliani diem menſis Auguſti 29[um].

Habet itaque hic annus ab Auguſto 1466[us] illos characteres, quos Theon

Theon illi anno, qui annum, quo ἀποκατάστασις denuo facta eſt, proxime inſequitur, tribuit.

Adeoque ἀποκατάστασις facta fuit anno ab Auguſto 1465°, & anno ab Auguſto 5°, ſecundum Alexandrinos, ineuntibus.

Corollarium.

Ex antedictis colligimus, quomodo Theonis Κανόνιον, ex ejus mente, poſt ἀποκατάστασιν, anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1465° ineunte denuo factam, ulterius ſit continuandum.

Nempe hoc modo

anni ab Alexand.	anni ab Aug.	Epactæ ſeu Embolim.			Tetraëterides.
1755	1461	364			4
1756	1462	364			1
1757	1463	364			2
1758	1464	364			3
1759	1465	365	+	0	4
1760	1466	365	+	0	1
1761	1467	365	+	0	2
1762	1468	365	+	0	3
1763	1469	365	+	1	4
	& ſic porro				
299	5			0	0 vel 4
300	6			0	1
301	7			0	2
302	8			0	3
303	9			1	4
	& ſic porro				

10°.

Probatur ſexto.

Ex ipſo calculo, quo in ſua methodo Theo utitur.

Certum eſt, Theonem in collectione annorum, ad capiendam eorum quartam partem, numerationem deducere non ab anno Auguſti 5°; ſed ab anno Auguſti 6° incluſive, uſque ad annum, ſecundum Alexandrinos, datum

datum incluſive. Ut ex exemplo a Theone propoſito, quam clariſſime patet.

Sed tantum abeſt, ut inde concludere liceat, ἀποκατάςασιν factam eſſe (juxta Theonem) anno Auguſti 6° ineunte, ut contra inde potius ſequatur ἀποκατάςασιν (ex mente Theonis) factam eſſe anno Auguſti 5° ineunte.

Detur enim annus, ſecundum Alexandrinos a Diocletiano 77us, qui eſt ab Auguſto 390us.

Ponatur, quod ἀποκατάςασις facta ſit anno Auguſti 5° ineunte, erit annus datus ab Auguſti 5°, quo ineunte ἀποκατάςασις facta eſt, incluſive, 386us.

Quæratur, quot diebus initium anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſti anno 5° incluſive, 386^{ti} anticipaverit initium anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſti anno 5° incluſive, 386^{ti}: ſeu quod eodem redit, quæratur, quot dies intercalares anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſti anno 5° incluſive, 386° ineunte, in annis præcedentibus 385 elapſis, ſint inſerti.

Ut huic quæſtioni ſatisfiat,

Colligendi ſunt omnes anni ab anno, quo ineunte ἀποκατάςασις facta eſt, *incluſive*, uſque ad annum datum *excluſive*. Quod ex ipſa quæſtionis natura profluit: quæritur enim quot dies intercalares in annis, ante annum datum elapſis, inſerti ſint. Sumendus itaque eſt numerus anni dati, uno dempto, ut Computiſtæ loquuntur.

Deinde numerus annorum ita collectorum dividendus eſt per quaternarium: quod Computiſtæ vocant, ejus numeri *quartam capere partem*.

Et hujus diviſionis *Quotiens* exprimit quot dies intercalares in annis ante annum datum elapſis inſerti ſint. Quod nititur in genere hoc fundamento, quod apud Alexandrinos anno unoquoque quarto ad finem anni adjiciatur dies intercalaris, qui ipſis VI^{a} Epagomena dicitur: & in ſpecie præſupponit, illum annum, quo ineunte ἀποκατάςασις facta eſt, eſſe primum ab anno intercalari, dierum 366, proxime tranſacto. Vide ſupra N° 2°, 4. Exempli gratia:

Detur, ut hic ſit, annus, ab anno Auguſt. 5°, quo ineunte ἀποκατάςασις facta eſt, incluſive, 386us

Numerus anni dati 386 ɔɔ e + 1
deme 1 1

385 ɔɔ e
divide per 4 — Quotiens 96,
reliquum 1.

Adeoque

Adeoque dies intercalares 96, in annis 385, ante annum datum elapſis, apud Alexandrinos inſerti, apud Ægyptios vero omiſſi ſunt.

Hac eadem methodo revera utitur Theo, ſed eam aliquo calculi compendio involvit. Sumit enim revera numerum anni dati, uno dempto, hoc eſt, 386 ∸ 1, ſeu 385. Sed propter compendium calculi, ipſum annum datum non excludit, ſed eum includens, ejus loco annum Auguſti 5um, quo ineunte ἀποκατάστασις facta eſt, excludit. Quod in Computo eodem redit, & calculum faciliorem reddit.

Atque hinc eſt, quod juxta Theonis methodum, ab anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto dato, ſemper anni quinque Auguſti priores ſint auferendi, & tum numeri, qui relinquitur, quarta pars ſit capienda.

Cum in methodo ordinaria ab anno, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto dato, ſemper auferantur primo anni Auguſti quatuor priores, & deinde a reliquo dematur unitas, & tum denique numeri, qui poſt ablatam unitatem, remanet, quarta pars capiatur.

Si autem quis poneret, ἀποκατάστασιν factam eſſe anno Auguſti 6° ineunte.

Tum Computus Theonis non procederet, niſi contra ipſa Theonis principia ponatur, ἀποκατάστασιν factam eſſe tali, ſecundum Alexandrinos, anno, qui ab anno intercalari, dierum 366, proxime tranſacto, ſecundus eſt, & cujus initium ab anni, ſecundum Ægyptios, initio quarta diei parte præverteretur. Vide ſupra, N° 5—9.

X X X V.

Quis fuerit Alexandrinorum primus annus fixus, juxta Theonem aliosque.

a.

Quæritur, an annus Auguſti 5us, quo ineunte ἀποκατάστασις facta eſt, ſit quoque, juxta Theonem, primus Alexandrinorum annus fixus.

Si hoc, quod viri docti ſupponere ſolent, certum eſſet, nempe illum annum, quo ineunte ἀποκατάστασις facta eſt, eſſe quoque primum Alexandrinorum

drinorum

drinorum annum fixum, etiam certum foret, annum Auguſti 5um eſſe, juxta Theonem, primum Alexandrinorum annum fixum: nam anno Auguſti 5° incunte ἀποκατάστασις, juxta Theonem, facta eſt: ut probavimus, ſupra §° 34.

Sed cum hoc certum non ſit, ob rationes quas mox proferam, etiam ex anno, quo ineunte ἀποκατάστασις, juxta Theonem, facta eſt, concludere non licet, eundem annum eſſe quoque, juxta Theonem, primum Alexandrinorum annum fixum.

Rationes autem, quare hoc incertum eſſe judico, ſunt ſequentes:

Natura enim anni vagi, qui ante fixum in uſu civili receptus erat, ſi ſpectetur in relatione ad formam anni fixi, quo Alexandrini deinceps uſi ſunt, determinat tempus ἀποκαταστάσεως. Forma autem anni fixi, deinde in uſu civili recepti, hæc eſt, quod dies intercalaris, quæ VI^{a} Epagomena dicitur, ſemper occupet in anno Juliano menſis Auguſti diem 29um, adeoque Thoth anni fixi ſemper incurrat, in anno, qui annum intercalarem, dierum 366, proxime inſequitur, in menſis Auguſti diem 30um, in tribus autem hunc ſequentibus annis, in menſis Auguſti diem 29um. Ἀποκατάστασις autem anni vagi ad annum fixum hujus formæ fit, quando Thoth anni vagi redit ad Thoth hujus anni fixi, ita ut Thoth anni vagi & Thoth hujus anni fixi prima vice, ambo ſimul in eundem anni Juliani diem incurrant, & deinceps in tribus ſequentibus annis incurrere pergant, & quidem prima vice in menſis Auguſti diem 30um, in tribus vero ſequentibus annis in menſis Auguſti diem 29um. Hæc autem ἀποκατάστασις (quæ ſpatio 1460 annorum Julianorum ſemel tantum fit) nullo alio tunc temporis anno regulariter fieri potuit, quam anno Auguſti 5° ineunte: tunc enim Alexandrini & Ægyptii ἅμα ποιοῦσι ἀρχὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ in menſis Auguſti die 30°.

Quando autem Alexandrini decreverint annum ſuum vagum figere, & hanc formam anni fixi in uſum civilem introducere, & quis in Æra Alexandrinorum, quæ ab introductione anni fixi deducitur, primus numeretur annus, eſt res facti, & quæſtio hiſtorica, quæ per teſtimonia veterum determinari debet.

b.

Primus Alexandrinorum annus fixus includitur, juxta Theonem, ſpatio quadriennii.

Certum eſt ex Theonis Κανόνι, quod *Faſtorum* nomine venit, & ex

ejus.

ejus computo, ad inveniendum, quot diebus annus Ægyptius annum Alexandrinum prævertit, primum diem intercalarem ad finem anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 8vi, eſſe adjectum.

Unde ſequitur, primum Alexandrinorum annum fixum, juxta Theonem, non infra annum Auguſti 5um retrahi, neque ultra annum Auguſti 8um protrudi poſſe: nam neutro in caſu hic dies intercalaris foret primus.

Præterea neutro in caſu caderet dies intercalaris in diem Auguſti 29um, quod tamen forma anni fixi, ab Alexandrinis recepti, requirit.

Adeoque primus Alexandrinorum annus fixus, juxta Theonem, ſpatio quadriennii includitur.

C.

Computus Theonis non determinat, quis hujus quadriennii annus ſit primus Alexandrinorum fixus.

Hoc clarum eſt; ſive enim Auguſti annus 5us, ſive 6us, ſive 7us, ſive 8us ponatur eſſe primus Alexandrinorum annus fixus, computus ad inveniendum, quot dies intercalares in annis ab Æræ fixæ anno 1° incluſive, uſque ad annum datum excluſive, adpoſiti ſint, eodem redibit.

Modo notaveris annum Auguſti 5um eſſe, vel ſaltem ita concipiendum eſſe, ac ſi eſſet, primus ab anno intercalari, dierum 366, proxime tranſacto, adeoque annum Auguſti 6um eſſe ſecundum ab intercalari, annum Auguſti 7um eſſe tertium ab intercalari, annum denique Auguſti 8um eſſe quartum ab intercalari, ſeu eſſe intercalarem, dierum 366.

Et præterea obſervaveris, quando Æræ datæ annus 1us eſt quoque 1us ab anno intercalari, tum annis collectis nihil addendum eſſe: quando autem annus Æræ datæ 1us eſt 2us ab anno intercalari, tum addendam eſſe unitatem: quando vero annus Æræ datæ 1us eſt 3us ab anno intercalari, tum binarium eſſe adjiciendum: quando denique annus Æræ datæ 1us eſt 4us ab intercalari anno, tum ternarium eſſe adjiciendum: quia abſque eo calculus in capienda quarta parte non recte ſemper procederet, ſed ſæpius falleret.

Æra data hic eſt Æra ab anno primo fixo deducta.

Sit

e. Numerus anni dati, ab Auguſti anno 5°, uno dempto. Erit
$e \div 1$. Numerus anni dati, ab Auguſti anno 6°, uno dempto.
$e \div 2$. Numerus anni dati, ab Auguſti anno 7°, uno dempto.
$e \div 3$. Numerus anni dati, ab Auguſti anno 8°, uno dempto.

Adjiciatur jam in 1° Caſu, 0. in 2° Caſu, 1. in 3° Caſu, 2. & in 4° Caſu, 3.

Erit numerus, per quaternarium dividendus,

In 1° Caſu, $e + 0$.
In 2° Caſu, $e \div 1 + 1$.
In 3° Caſu, $e \div 2 + 2$.
In 4° Caſu, $e \div 3 + 3$.

Adeoque in omnibus caſibus numerus, per quaternarium dividendus, ſemper erit e. Hoc eſt numerus anni dati, ab Auguſti anno 5°, quo ineunte ἀποκατάςασις facta eſt, incluſive, uno dempto, quo utitur, in ſuo computo, Theon.

Unde patet in Computo rem eodem redire, ſive hic, ſive ille hujus quadriennii annus ponatur primus Alexandrinorum fixus.

Quod & ex ipſa rei natura patet: quia enim annus Auguſti 5us, 6us, & 7us primum annum intercalarem præcedunt, & annus Auguſti 8us primum diem intercalarem in ſuo fine demum recipit, invenies ſemper totidem dies intercalares, uſque ad annum Diocletiani 77um ineuntem, adpoſitos eſſe, ſive ab hoc ſive ab illo horum quatuor annorum Æræ fixæ initium deduxeris.

d.

Sententia eorum, qui ſtatuunt, primum Alexandrinorum annum fixum eſſe Auguſti annum 6um.

Varii Scriptores, qui hunc Theonis Libellum εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, viderunt, hanc ſententiam amplexi ſunt. Nempe

Petavius de Doctrina Tempor. L. 10. C. 71. p. 286. C.—289. & in Auctario Operis de Doctr. Temp. L. 5. C. 4. p. 200.

Jac.

Jac. Golius in ſuo in Alfragani elementa aſtronomica, in Cap. 1um Commentario. p. 49. p. 51. 63. 48. 47.

Dodwellus in Prolegomenis ad Appendicem ad Diſſertationes Cyprianicas, §° VIII°, p. 6.

Et qui hos omnes præceſſit, a Petavio allegatus L. 10. C. 71. p. 286. C. D., Joannes Georgius Herwartus, in Chronologia nova, vera, & ad calculum aſtronomicum revocata. De quo vide Bayle Dict. Hiſt. & Crit. Tom. 2. p. 1551.

Hi ſcriptores ſupponunt, ἀποκατάστασιν, juxta Theonem, factam eſſe anno Auguſti 6° ineunte. In quo, uno anno aberrant; cum ἀποκατάστασις, juxta Theonem, facta ſit anno Auguſti 5° ineunte; ut probavimus ſupra §° 34.

Præterea ſupponunt, illum annum, quo ineunte ἀποκατάστασις facta eſt, eſſe quoque primum Alexandrinorum annum fixum. Quod, ob rationes ſupra Lit a datas, ſupponere non licet: & ſi concederetur, foret annus Auguſti 5us, quo ineunte ἀποκατάστασις, juxta Theonem, facta eſt, etiam primus, juxta Theonem, Alexandrinorum annus fixus.

Denique addunt, annum Alexandrinorum fixum deinceps ſemper adhæſiſſe diei menſis Auguſti 29°: atque inde deducunt, primum Alexandrinorum annum fixum eſſe illum, quo Thoth anni vagi rediit ad menſis Auguſti diem 29um, quod factum anno Auguſti 6° ineunte. Verum minus accurate dicitur, quod Thoth anni fixi *ſemper* adhæreat diei menſis Auguſti 29°: nam, licet Thoth anni fixi nunquam infra illum menſis Auguſti diem 29um relabatur, in unoquoque tamen quadriennio ſemel ad menſis Auguſti diem 30um protruditur, in illo anno, qui annum intercalarem, dierum 366, proxime inſequitur, quod docti illi viri non quidem ignorarunt, ſed tamen hac in re non ſatis conſiderarunt. Si enim hoc rite conſideraſſent, non putaſſent ἀποκατάστασιν factam eſſe anno Auguſti 6° ineunte, adeoque etiam annum Auguſti 6um eſſe primum Alexandrinorum annum fixum. Nam uno anno citius, anno ſcilicet Auguſti 5° ineunte, ἀποκατάστασις facta eſt, & Thoth anni vagi una cum Thoth anni fixi, ſive veri, ſive proleptici, cœperunt ambo ſimul incurrere in eundem anni Juliani diem menſis Auguſti 30um, & in tribus ſequentibus annis perrexerunt ambo ſimul incurrere in eundem anni Juliani diem menſis Auguſti 29um.

Quod autem Thoth anni Alexandrinorum fixi non ſemper adhæreat diei menſis Auguſti 29°, ſed in unoquoque quadriennio ſemel ad menſis Auguſti diem 30um protrudatur, hoc oritur ex diei intercalaris in an-

no Alexandrino, & diei Biſſextilis in anno Juliano, ſitu diverſo. Dies enim intercalaris Alexandrinorum occupat præcedentis menſis Auguſti diem 29um, dies autem Biſſextilis in anno Juliano in proxime ſequenti menſe Februario inſeritur.

Unde etiam illi, qui ſtatuunt annum Auguſti 6um eſſe primum Alexandrinorum annum fixum, non accurate loquuntur, dum dicunt Alexandrinos unoquoque anno quarto intercalare. Certum enim eſt, ex eorum hypotheſi, Alexandrinos prima vice intercalaſſe anno ſuo fixo 3°. Annus enim, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 8us fuit primus eorum annus intercalaris, dierum 366. Quod etiam docti illi viri agnoſcunt.

Si autem numeratio ab illo anno, quo ineunte ἀποκατάςασις facta eſt, incluſive, deducatur, ipſius rei natura hoc requirit, ut unoquoque anno quarto fiat intercalatio, & juxta Theonem, qui ſtatuit ἀποκατάςασιν anno Auguſti 5° ineunte factam eſſe, res ita ſe habet.

Hæc, quæ hucuſque a me dicta ſunt, oſtendunt, illa horum doctorum virorum ratiocinia, ſupra propoſita, non probare id quod intendunt.

Non nego tamen annum Auguſti 6um fuiſſe primum Alexandrinorum annum fixum, quia rationes negandi mihi deſunt.

Neque etiam ut incongruum plane rejicio.

Sed hoc monitum volo, eos, qui hanc ſententiam propugnant, debere agnoſcere, primum illum Alexandrinorum annum fixum non eſſe ipſum illum annum, quo ineunte ἀποκατάςασις facta eſt, ſed eum proxime inſequi; & præterea eſſe ſecundum ab anno intercalari, dierum 366, proxime transacto, vel ſaltem ita eſſe concipiendum.

e.

Theodori Metochitæ Teſtimonium, a Petavio adductum pro ſua ſententia.

Petavius de Doctrina Temporum L. 10. C. 71. p. 286. D. adducit teſtimonium Theodori Metochitæ, qui, teſte Cave, anno Chriſti 1301 floruit.

Idem (ſcilicet quod Theon Alexandrinus) *docet & Theodorus Metochites in Libro τῆς ἀςρονομικῆς καὶ ἐπιτομὴν ςοιχειώσεως: nempe ab Alexandri morte, ſive Epocha Philippi, ad ἀποκατάςασιν, ſive initium anni fixi, colligi annos CCXCIX: indidemque ad Octobris VI anni Mundi 6792, Chriſti* 1284, *Ægyptiacos annos intercedere* 1309.

Jam ſi ad annos 723 *completos ad uſque primum annum fixum, addideris*

ris 1309, *conſient anni Ægyptiaci Nabonaſſarei* 2032. *annus vero* 2033 *eadem ex Methodo Libri VII, cœpit Octobris VI anni Per. Jul.* 5997, *Chriſti* 1284, *Feriæ VI. Anni Ægyptiaci* 1309 *ſolidi dies colligunt* 477785, *qui ab Octobris V anni Per. Jul.* 5997 *retro putati deſinunt in XXIX Auguſti anni Per. Jul.* 4689. *Item ab anno Per. Jul* 4689, *& Auguſti XXIX, ad Octobris VI anni* 5997, *anni ſunt interjecti Juliani* 1308, *cum diebus* 38. *qui quidem ab Octobris V retro putati deſinunt in Auguſti XXIX. Anni porro Juliani* 1308 *Biſſextiles auferunt dies* 327, *qui cum* 38 *compoſiti annum integrum conficiunt: isque ad* 1308 *adjunctus Ægyptiacos annos efficit* 1309.

Vellem mihi liceret, ipſa Theodori Metochitæ verba inſpicere, ut ea, quæ Petavius explicationis gratia de ſuo addidit, ab iis diſtinguere poſſem: inter quæ, meo judicio, hæc ſunt, *ſive initium anni fixi*, & præterea illa, *Chriſti* 1284.

Dum enim Petavius cum Æræ Conſtantinopolitanæ anno 6792° componit annum Æræ vulgaris Chriſti 1284um, ſe ipſum in errorem induxit.

Annus enim Mundi Æræ C. P. 6792us, iniens a Kal. Septembris, concurrit quidem a ſequentibus Kalendis Januariis cum anno Chriſti 1284° & Per. Jul. 5997°, ſed init labente anno Chriſti 1283°, & Per. Jul. 5996°.

Adeoque dies VI^{us} Octobris hujus anni Mundi 6792^{di} cadit in annum Chriſti 1283^{tium}, & Per. Jul. 5996^{tum}, & non, ut Petavii Computus præfert, in annum Chriſti 1284um & Per. Jul. 5997um. Quod facit unius anni differentiam.

Si jam (ut modo Petaviano procedam) *ad annos* 722 *completos adusque annum Auguſti* 5um *quo ineunte ἀποκατάστασις facta eſt, addideris* 1309, *conſient anni Ægyptiaci Nabonaſſarei* 2031. *Annus vero* 2032us ex Methodo Petavii L. 7. C. 14. de Doctrina Temporum, *cœpit Octobris VII anni Periodi Julianæ* 4996^{ti}, *Chriſti* 1283^{tii}. *Anni Ægyptiaci* 1309 *ſolidi dies colligunt* 477785, *qui ab Octobris VI anni P. J.* 4996^{i} *retro putati deſinunt in XXX Auguſti anni Periodi Julianæ* 4688^{vi}. *Item ab anno Per. Jul.* 4688vo *& Auguſti XXX ad Octobris VII anni* 5996^{ti}, *anni ſunt interjecti Juliani* 1308, *cum diebus* 38, *qui quidem ab Octobris VI retro putati deſinunt in Auguſti XXX. Anni porro Juliani* 1308 *Biſſextiles auferunt* 327, *qui cum* 38 *compoſiti, annum integrum conficiunt: isque ad* 1308 *adjunctus Ægyptiacos annos efficit* 1309.

Adeoque Theodorus Metochites *idem* docet quod Theo Alexandrinus revera docuerat, ſed non *idem*, quod eum docuiſſe Petavius putabat.

At dicet Petavius, Theodorus Metochites docet a morte Alexandrini

ad

ad ἀποκατάστασιν colligi annos CCXCIX: indidemque ad Octobris VI anni Mundi 6792^{di} Ægyptiacos annos *intercedere* 1309.

Sed Petavius non animadvertit in illis annis CCXCIX, qui a morte Alexandri ad ἀποκατάστασιν colliguntur, terminum ad quem, qui eſt ille annus, quo ineunte ἀποκατάστασις facta eſt, non excludi, ſed includi. Adeoque ἀποκατάστασιν factam eſſe anno a morte Alexandri 299° ineunte, hoc eſt, anno ab Auguſto 5° ineunte. Nam ab Alexandri morte uſque ad mortem Cleopatræ numerantur anni Ægyptiaci completi 294, a Nabonaſſaro autem 718. & inde incipiunt anni ab Auguſto: adeoque annus ab Auguſto 5us eſt ab Alexandro 299us & a Nabonaſſaro 723us.

Præterea non animadvertit Petavius in illis 1309 Ægyptiacis annis, qui terminantur non ante diem, ſed in ipſo die VI Octobris anni Mundi 6792^{di}, terminum a quo eſſe annum a morte Alexandri 299um, ab Auguſto 5um, a Nabonaſſaro 723um, non excluſive, ſed incluſive ſumptum. Nam ſi a die VI° Octobris anni Mundi 6792^{di}, Per. Jul. 5996^{ti}, incluſive, retronumeres annos Ægyptiacos 1309, pervenies ad diem Auguſti 30um anni Per. Jul. 4688^{vi}, in quem diem Auguſti 30um Thoth anni Ægyptiaci vagi ab Alexandri morte 299^{ni}, a Nabonaſſaro 723^{ti}, & ab Auguſto 5^{ti}, & Thoth anni fixi ab Auguſto 5^{ti}, ambo ſimul incurrunt, quique dies Auguſti 30us eſt tertio Kalendas Septembris, a quibus Kalendis Septembris annus Mundi 5484us init.

Denique illud *intercedere* non eſt Metochitæ, ſed Petavii expreſſio; ſaltem ſi eo ſenſu capiatur, ut terminum ad quem, diem VI Octobris excludat, ut Petavius eam accipit, qui in Computo ſuo uno anno aberrans, inveniebat in illo die VI Octobris, non ultimum diem anni 1309^{ni}, ſed primum diem anni 1310^{mi}: adeoque illo verbo *intercedere* eo ſenſu opus habebat.

Quæratur, juxta methodum Theonis, dato ſecundum Alexandrinos anno ab Auguſto 1314°, ejuſque menſis Thoth die, 1°, quotus ille dies ſit anni ſecundum Ægyptios ab Auguſto 1314^{ti}.

Ab anno ſecundum Alexandrinos ab Auguſto 1314° dato
auſer annos 5
reliquum 1309
divide per 4 Quotiens 327
reliquum 1. adde 1 diem Thoth
ſumma 328.

Adeo-

Adeoque dies 328us anni ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1314^{ti}, eſt dies 1us anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1314^{ti}

labente Per. Jul. anno	init ab Auguſto annus, ſecundum Alexandrinos,
4689° Biſſ.	6us in die Auguſti 29
adde 1308	1308
5997° Biſſ.	1314us in die Aug. 29°

Adeoque dies menſis Auguſti 29us anni Per. Jul. 5997^{mi} Biſſextilis, eſt dies 1us anni, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 1314^{ti}, & ſimul dies 328us anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1314^{ti}.

Si itaque a die Auguſti 29°, anni Per. Jul. 5997^{mi} Biſſextilis, incluſive, retro numeres dies 328, invenies diem 1um anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1314^{ti} in die 7° Octobris anni Per. Jul. 5996^{ti}, & diem ultimum anni, ſecundum Ægyptios, ab Auguſto 1313^{tii}, in die 6° Octobris ejuſdem anni Per. Jul. 5996^{ti}.

Nam in anno Per. Jul. 5996°
A die 7° Octobris incluſive ad diem 31 Xbris, ſunt dies 86
Et in anno Per. Jul. 5997° Biſſextili,
A die 1° Jan. ad diem 29um Aug. incluſive ſunt dies 242
ſimul dies 328

labente Per. Jul. anno	init Æræ Mundi CP. annus
5996°	6792us a Kalendis Septembris.

Adeoque illi anni Ægyptiaci 1309, qui terminantur in die VI Octobris anni Mundi 6792^{di}, terminantur in die VI Octobris anni Per. Jul. 5996^{ti}, & annus Ægyptiacus ille 1310us init in die VII Octobris anni ejuſdem Per. Jul. 5996^{ti}.

Et per conſequens

	labente Per. Jul. anno	init ab Auguſto annus vagus	init Metochitæ annus vagus
	5996°	1314us in die 7° Oct.	1310us in die 7° Oct.
annus		1309 annos vagos	1309 annos vagos
	4688°	5us in die 30° Aug.	1us in die 30° Aug.

Adeoque Metochitæ anni illi 1309 Ægyptiaci vagi ineunt in die 30 Auguſti menſis anni Per. Jul. 4688vi, una cum anno ab Auguſto 5°, ab Alexandro 299°, a Nabonaſſaro 723°, & his annis Ægyptiacis ineuntibus facta eſt ἀποκατάστασις, juxta Theodorum Metochitam.

Nota annos Ægyptiacos 1309 facere annos Julianos 1308, cum diebus 38. qui cum Biſſextilibus diebus 327, annum Ægyptiacum implent.

	labente Periodi Jul. anno 5996° in die 7° Octob.		
auſer	1308 annos, quibus inſerti dies Biſſ. 327		
	4688° in die 7° Octob.		
auſer	dies 38 . . .		38
	4688° in die 30° Aug.		dies 365 ſeu annus Ægyptiacus

f.

Michaëlis Pſelli Teſtimonium, a Petavio adductum pro ſua ſententia.

Petavius de Doctr. Temp. L. 10. C. 71. p. 287. A. porro adducit teſtimonium Michaëlis Pſelli junioris, qui, teſte Cave, floruit anno Chriſti 1050. Vide quoque Voſſium de Scientiis Mathemat. C. 10. §° 4. pag. 38.

Rurſus (inquit) *Michael Pſellus in Libro, cujus titulus,* Ἄθροισις εὐσύνοπτος εἰς τὰς τέσσαρας Μαθηματικὰς ἐπιστήμας, *docet calculum Ægyptiorum annis ſingulis conſurgere ex die XXIX Auguſti: atque anno Mundi* 6516, *qui eſt Chriſtianæ Æræ* 1008, *dies intercalares colligi* 258.

Quare cum totidem Biſſextiles exigant annos Julianos 1032, *deſierunt ii Auguſti die XXVIII anni Chriſti* 1008: *& annus* 1033 *iniit ſequenti die. Si igitur de annis Chriſti* 1008, *ſive Per. Jul.* 5721, *ſubtrahas* 1033, *relinquentur anni* 4688. *Ergo anno* 4689 *cœpit annus primus Ægyptiorum fixus & Julianus.*

Ad hoc Pſelli teſtimonium, & Petavii ratiocinium notamus ſequentia.

1° Vel-

1° Vellem libenter ipſum Pſelli Libellum inſpicere, & Pſelli verba cum iis, quæ Petavius dicit, conferre: ſaltem illa verba, *qui eſt Chriſtianæ Æra* 1008, non ſunt Pſelli, ſed explicationis gratia a Petavio addita.

2° Si Pſellus dixit, *calculum Ægyptiorum annis ſingulis conſurgere ex die XXIX Auguſti*, minus accurate locutus eſt, & hoc voluit, Ægyptiorum annos fixos ordinario inire in die 29° Auguſti, & eorum initium nunquam infra hunc diem 29um Auguſti ad anteriora relabi, ſed minime negare voluit Ægyptiorum annorum fixorum initium ſingulis quadrienniis ſemel in diem 30um Auguſti protrudi: Vide ſupra Lit. d.

3° Petavius annum Æræ Chriſti 1008, & Per. Julianæ 5721um, ita cum anno Mundi 6516° componit, ac ſi cum eo pari paſſu ambularent: cum contra idem annus Mundi 6516us, utpote iniens a Kal. Septemb. partim cum anno Æræ Chriſti 1007° & Per. Jul. 5720°, partim cum anno Æræ Chriſti 1008° & Per. Jul. 5721° concurrat. Quod Petavius quoque non ignorabat.

4° Pſellus, quando dicit, *anno Mundi 6516° dies intercalares colligi* 258, loquitur de diebus intercalaribus in anno Ægyptiorum fixo, idque inde ab ἀποκαταστάσεως, non autem de diebus Biſſextilibus in anno Romanorum Juliano: quod dum Petavius non ſatis diſtinguit, ſe ipſum in errorem induxit.

5° Petavius, Biſſextiles Romanorum cum intercalaribus Ægyptiorum permutans, ſic ratiocinatur, quare cum totidem Biſſextiles exigant annos Julianos 1032, deſierunt ii Auguſti die XXVIII anni Chriſti 1008° Per. Jul. 5721^{mi}, & annus 1033us init ſequenti die.

Dies Biſſextiles 258 exigere annos Julianos 1032, concedo, poſito quod illorum 1032 annorum, primus annus ſit quoque primus ab anno Biſſextili proxime tranſacto, & ultimus annus ſit Biſſextilis. & ita hic in Petavii computo res ſe habet; nam annus formæ Julianæ, qui labente anno Per. Jul. 4689° Biſſextili, init a die 29° menſis Auguſti, eſt primus ab anno Biſſextili, quia dies Biſſ. VI° Kal Martiar. non in hunc annum incurrit, ſed in præcedentem, qui in die 28° Auguſti deſierat. Item annus, qui labente anno Per. Jul. 5721° Biſſextili, exit in die 28° Auguſti, eſt annus Biſſextilis, quia dies Biſſ. VI° Kal Mart. in hunc annum incurrit. Præterea a die 29° Auguſti, anni Per Jul. 4689^{ni} uſque ad diem 28um anni Per. Jul. 5721^{mi}, ſunt anni 1032 Juliani, &, in illis 1032 annis inſeruntur dies Biſſextiles 258.

Adeoque Computus Petavii procederet, ſi Pſellus de diebus Biſſextilibus in Romanorum anno Juliano locutus fuiſſet.

Sed,

Sed, cum Pſellus de diebus intercalaribus in Ægyptiorum anno fixo loquatur, Petavii computus uno anno aberrat.

Certum enim eſt, juxta Theonem, annum, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 8um eſſe primum Alexandrinorum annum intercalarem, dierum 366.

Cum autem annus, ſecundum Alexandrinos, ab Auguſto 8us ineat in die 29° menſis Auguſti, anni Per. Jul. 4691^{mi}, certum eſt eundem annum, quia eſt dierum 366, exire in die 29° menſis Auguſti, anni Per. Jul. 4692^{di}.

	adeoque anni Per. Jul.		occupat dies intercalaris
	4692^{di}	diem 29um Auguſti	1us
adde annos	1028,	in quibus dies intercalares	257
	5720^{mi}	diem 29um Auguſti	258us

Quare, cum dies intercalares 258 *exigant annos Julianos* 1032. *deſierunt ii Auguſti die* 29°, *anni Chriſti* 1007^{mi}, *Per. Jul.* 5720^{mi}, *& annus* 1033us *iniit ſequenti die Auguſti* 30°, *qui tertius dies eſt ante Kal. Sept. a quibus annus Mundi* 6516us *init.* Itaque

	habente Per. Jul. anno	init ab ἀποκαταστάσεως annus
	5720°	1033us in die 30° Auguſti
aufer	1032	1032
	4680	1us in die 30° Auguſti.

Adeoque ἀποκατάστασις facta eſt anno Auguſti 5° ineunte.

Neminem offendat, quod annus ab ἀποκαταστάσεως 1033us (quo ineunte dies intercalares 258 colliguntur) ineat in die 30° Auguſti, & annus Mundi 6516us ineat, poſt biduum, in die 1° Septembris: nam hoc non obſtante, Pſellus recte dicere potuit, anno Mundi 6516° (ineunte ſcilicet) dies intercalares colligi 258. Illa enim bidui differentia numerum dierum intercalarium minime mutat, & annus ab ἀποκαταστάσεως 1033us atque annus Mundi 6516us Pſello ſpectantur ut concurrentes.

Detur annus Ægyptiorum fixus ab ἀποκαταστάσεως 1033us, ab Auguſto 1037us, ejusque menſis Thoth dies 3us, qui eſt anni Per. Jul. 5720^{mi} dies

dies 244us, & anni Mundi 6516^{ti} dies 1us, cadens in Kalendas Septembris.

Juxta Theonis methodum

	ad menſis Thoth diem	3
adde intercalares. . . .		258
	dies	261

Hos dies 261 ſi a dicto die Septemb. 1° incluſive retronumeraveris, pervenies ad diem 15um Decembris anni Per. Jul 5719^{mi}, & Mundi 6515^{ti}, a quo Ægyptiorum annus vagus ab ἀποκαταστάσει 1033us, ab Auguſto 1037us init. Adeoque

	labente Per. Jul. anno	labente Mundi anno	init ab Auguſto annus vagus	init ab ἀποκαταστάσει annus vagus
	5719°	6515°	1037us, Xbris 15°	1033us, Xbris 15°
adde annos	277	77	277	277 vagos
	5996°	6792°	1314us, Oct. 7°	1310us, Oct. 7°

Plane ut vidimus ſupra Lit. e.

g.

Scaligeri judicium de illo Pſelli teſtimonio.

Scaliger L. 3. Iſagog. Canonum. N° XCIX. p. 302. ſic ſcribit: *Hallucinatur vero ſapientiſſimus Michael Pſellus, qui in* συνόψει γεωμετρίας *hunc* χρηματισμὸν *annorum ait putari a Philippo. Quo nihil jocularius homini erudito excidere potuit, quum ὁ* χρηματισμὸς Φιλίππου *ineat a morte Alexandri annis CCCXXIII ante* χρηματισμὸν θεῶν σεβαστῶν. (eſt error Librarii, legendum, ſi de annis Ægyptiacis loquatur, CCXCIV, ſin vero de annis Julianis loquatur, CCXCIII, dies 392.) *Neque in eo ſtetit error Pſelli; ſed etiam quod anno Chriſti MVIII, hoc eſt* 6516 *Periodi Julianæ Conſtantinopolitanæ ſcribens, biſexta CCLVIII putat ab illa Epocha. Quatuor enim annis minus dicit, quum a primo anno Auguſtorum, ad annum Chriſti MVIII, anni ſint præciſe MXXXVI, quibus manifeſto congruunt biſexta CCLIX, non CCLVIII. Verba eruditi Philoſophi, p.* 82. αἷς προστεθέντες τὰς τετραετηρίδας, αἵτινές εἰσιν ἀπὸ τοῦ βασιλείας ψηφιζόμεναι Φι-

Φιλίππου ἀρχῆς τοῦ δεῦρο, ἤγουν τοῦ ͵ϛφιϛ″ ἔτους, ΣΝΗ″, &c. *Sed & pag. 82, tollendus error, non utique Pſelli, ſed librariorum*: λαμβάνομεν δὲ καὶ τὰς εἰκοσιπενταετηρίδας ἀπὸ τοῦ Κανονίου, αἵ εἰσι κατὰ τὸ νῦν ͵ϛφιϛ″ ἔτος, ἔτη ΣΤΚΣΤ ἁπλᾶ ἔτη πέντε. *Quæ ſunt portenta, non verba.* Nam legendum, κατὰ τὸ νῦν ͵ϛφιϛ ἔτος, ἑβδομήκοντα, ἁπλᾶ ἔτη πέντε. *Nam Canonia Ptolemæi, de quibus agit, ineunt a meridie Thoth Nabonaſſari, a qua ad annum Chriſti MVIII præciſe ſunt anni Juliani MDCCLIII abſoluti, quæ fiunt εἰκοσιπενταετηρίδες ſeptuaginta Æ yptiacæ, annique inſuper Ægyptiaci quinque, dies LXXIII. Quare præclarum illum Pſelli locum, qui aſſequi cupit, fruſtra id conatur, niſi prius lectionem ita purgaverit.*

Ad hæc Scaligeri notamus ſequentia:

1° Per χρηματισμὸν Θεῶν σεβάστων intelligo Epocham annorum ab initio regni Auguſti in Ægyptum, poſt captam Alexandriam & mortem Cleopatræ, quæ init a Thoth anni Nabonaſſari 719^mi & Philippi 295^ti.

Vix autem perſuadere mihi poſſum, Pſellum dicere, annos ab Auguſto putari a Philippo, hoc eſt, a morte Alexandri: mihi potius videtur, hoc a Scaligero per conſequentiam erroneam Pſello tribui.

2° Pſellus recte, ex propria hypotheſi, quam cum Theone Alexandrino communem habet, uſque ad annum Mundi 6516um ineuntem, colligit, non dies Biſſextiles in anno Romanorum Juliano, ſed dies intercalares in anno Alexandrinorum formæ Julianæ, non plures quam CCLVIII.

Pſellus enim, non, ut Scaliger, ab hujus Epochæ initio, ſeu ab Auguſti anno 1°, cujus Thoth in diem Auguſti 31um anni Per. Jul. 4684^ti, incurrit, ſed ab Auguſti anno 5°, cujus Thoth in diem Auguſti 30um anni Per. Jul. 4688^vi incurrit, computum ſuum deducit. Illo enim anno Auguſti 5° ineunte ἀποκατάστασιν factam eſſe, Theo Alexandrinus, Michaël Pſellus, & Theodorus Metochites ſtatuunt. Adeoque Pſellus ab ἀποκαταστάσει, non, ut Scaliger, colligit annos præciſe 1036, qui terminantur in die 29° Auguſti, anni Per. Jul. 5720^mi, Chriſti 1007^mi, ſed annos præciſe 1032, qui in eodem die terminantur.

3° Illa verba ἔτη ΣΤΚΣΤ incuria Librariorum corrupta eſſe agnoſco, ſed nulla in iis video portenta; ſed pro iis legendum eſſe ἑβδομήκοντα, portentum mihi videtur.

Si Pſellus Κανονίῳ εἰκοσιπενταετηρίδων Ptolemæi uſus fuiſſet, debuiſſet in illud Κανόνιον introducere annos 1755 (qui colliguntur ab anno Nabonaſſari 1° uſque ad annum ab Auguſto 1037um) & annos in illo Κανονίῳ expoſitos, his 1755 proxime minores, qui ſunt 1751, di-

cere

cere eſſe Icoſipentaëterides, & illos reliquos 4 annos dicere annos ſimplices. Adeoque legendum eſſet ἔτη ͵αψκά, ΑΠΛΑ ΕΤΗ ΤΕΣΣΑΡΑ.

Sed quia expreſſe legitur ἅπλα ἔτη ΠΕΝΤΕ, etiam inde colligimus, Pſellum uſum eſſe Tabula Icoſipentaëteridum, non Ptolemæi, quæ a Nabonaſſaro deducitur, ſed Theonis Alexandrini, quæ a Philippo, ſeu morte Alexandri deducitur. Et in hanc Tabulam introducendi anni 1331 (qui a morte Alexandri uſque ad annum ab Auguſto 1037um colliguntur) & annos in illa Tabula expoſitos, his 1331 proxime minores, qui ſunt 1326, dicere eſſe Icoſipentaëterides, & illos reliquos 5 annos, dicere eſſe annos ſimplices. Adeoque legendum eſt, ἔτη ͵ατκϛ, ἅπλα ἔτη πέντε.

Vide ſupra.

XXXVI.

Conſiderationes circa locum Dioniſ. Lib. LI. pag. 457. A. Edit. Hanov. 1606.

Dio Caſſius, loco citato, inter decreta quæ anno U. C. 724°, Per. Jul. 4684° Nabonaſſari 719°, in honorem Cæſaris Auguſti facta ſunt, poſtquam Romæ nunciatum eſſet, Antonium interiiſſe & Alexandriam eſſe captam, etiam hoc refert, Τήν τε ἡμέραν, ἐν ᾗ ἡ Ἀλεξάνδρεια ἑάλω, ἀγαθήν τε εἶναι, καὶ εἰς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι, hoc eſt, *Cenſuerunt, ut dies, quo Alexandria capta fuit, feſtus eſſet, ab eaque reliquis deinceps annis numerandis initium ſumerent.*

Viri docti conſiderant hoc decretum ac ſi ſolos ſpectaret Alexandrinos aut Ægyptios.

Et putant, hoc decreto Alexandrinis aut Ægyptiis a Senatu Romano injunctum fuiſſe, ut ex anno illo deinceps vago & mobili anno ſuo frænos injicerent, ac Julianum atque fixum amplecterentur, eumque ab hoc ipſo die auſpicarentur.

Huic decreto, quidam putant, eos ſtatim obtemperaſſe, & annum formæ Julianæ recepiſſe, atque annum ſuum primum fixum, labente anno U. C. 724° Per. Jul. 4684us ab illo, quo Alexandria capta fuerat, die auſpicatos eſſe. Supponunt autem hi Alexandriam captam eſſe die menſis Auguſti 29°, in anno Juliano tunc vitioſo, qui erat dies menſis Auguſti 31, in anno Juliano correcto, in quem diem Thoth anni a Nabonaſſaro 719^{ni} tunc incidebat. Et putant, Alexandrinos hoc vitium,

vitium, in ſuo anno fixo admiſſum, eodem modo correxiſſe, ac Romani vitium, quod in annum ſuum Julianum irrepſerat, correxere: atque hoc modo Alexandrinorum Thoth in anno eorum fixo ad diem menſis Augusti 29um in anno Juliano correcto deveniſſe, eique deinceps adhæſiſſe.

Alii vero putant Alexandrinos hujus decreti executionem per quinque annos diſtuliſſe, & primum annum ſuum fixum auſpicatos eſſe, a menſis Auguſti die 29°, in anno Juliano correcto, labente anno U.C. 729°, Per. Jul. 4689°, in quem diem Thoth anni a Nabonaſſaro 724^ti^ tunc prima vice incidebat.

Vide Petavium de Doctrina Temp. Lib. X. C. LXXI. toto.

Et a Petavio allegatum, Scaligerum de Emendatione Temp. Lib. IV. Cap. de anno Actiaco; & in Iſagog. Can. L. III. C. XII.

Confer Dodwellum in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas, in Prolegom. §° VIII.

Conſiderationes meæ circa hoc Senatus Romani adulatorium in honorem Cæſaris Auguſti decretum, hæ ſunt.

1ª Dies, quo Alexandria capta eſt, ſeu quo Cæſar Auguſtus Alexandriam ingreſſus eſt, plane incertus eſt.

In Senatusconſulto, apud Macrobium, Saturnal. L. I. C. 12. *quo decretum, ut in honorem Auguſti menſis Sextilis vocaretur Auguſtus*, legitur, *quod Ægyptus hoc menſe in poteſtatem populi Romani redacta ſit.*

Imo, ſi Oroſio fides, qui L. 6. C. 19. ſic ſcribit, *Kalendis Sextilibus prima luce Antonius cum ad inſtruendam claſſem in portum deſcenderet, ſubito univerſæ naves ad Cæſarem tranſierunt. Cumque unico præſidio ſpoliatus eſſet, trepidus ſe cum paucis recepit in regiam. Deinde imminente Cæſare, turbataque civitate, idem Antonius ferro ſe transverberavit, ac ſemianimis ad Cleopatram in monumentum, in quod ſe illa mori certa condiderat, perlatus eſt.* Vix credibile eſt, Cæſarem demum, poſt menſem interjectum, die menſis Auguſti 29° vel 31° urbem ingreſſum, eaque potitum eſſe.

2ª Hoc decretum ſolos vel in ſpecie Alexandrinos, vel in genere Ægyptios ſpectare, & non etiam & forte imprimis Romanos reſpicere, nollem ſupponi, ſed probari. An autem ex voce ἀυτῶν hoc ſequatur, dubito.

3ª Primum, quod hoc decreto jubetur, eſt, ut dies, quo Alexandria capta fuit, feſtus eſſet. Quibus? an ſolis victis & ſubjugatis Alexandrinis, & Ægyptiis, & non etiam, imo maxime ipſis victoribus Romanis. Præterea, an Alexandrini non potuerunt hunc diem captæ urbis ſuæ ſequenti

quenti anno, &c. feſtum agere; niſi novam formam anno ſuo ab eo ipſo tempore inducerent, & vagum ſuum in fixum mutarent, & primum annum ſuum fixum ab hoc ipſo die ordirentur. At, dices, Alexandrini non potuere in anno ſuo vago diem figere, qui quotannis in menſis Augusti Romani diem 29um incurreret, niſi annum fixum formæ Julianæ reciperent. Reſpondeo, neque hoc fieri poſſe in anno eorum fixo; ubi in anno quoque 4° dies Auguſti 29us non in menſis eorum Thoth diem 1um, ſed in VI^{am} Epagomenam incurrit, & ſic in omnibus annis ſuis fixis intercalaribus hunc diem feſtum bis in eodem anno celebraſſent, anni ſcilicet die 1° & ultimo ſeu 366°, in omnibus autem annis, intercalarem ſuum immediate ſequentibus hunc diem feſtum non celebraſſent. Unde, ſi hoc Senatus Romani decretum id ab Alexandrinis exegiſſet, neceſſe habuiſſent Alexandrini, annum præciſe Julianum, cum menſibus Julianis, & die intercalari in bis VI° Kalendar. Martiarum, recipere; ſaltem non poterant talem annum fixum, occaſione hujus decreti, admittere, in quo dies eorum intercalaris hunc diem feſtum, diei Auguſti 29° affixum, ſemper occuparet. Sed quis credat Senatum Romanum, quum hoc decretum conderet, hac de re cogitaſſe, & Alexandrinis mutationem anni ſui vagi & receptionem anni Juliani injungere voluiſſe.

4^{a} Altera pars decreti jubet, diem, in quo Alexandria capta erat, εἰς τὰ ἔπειτα ἔτη ἀρχὴν τῆς ἀπαριθμήσεως αὐτῶν νομίζεσθαι.

Hæc verba dupliciter accipi poſſunt; nempe, ut reſpiciant vel ſingulorum ſequentium annorum initia, vel novæ Æræ ſeu Epochæ initium.

Si primo ſenſu capiantur tum hujus decreti hic erit ſenſus, reſpectu quidem Romanorum, ut ſingulorum ſequentium annorum initium non a Kalendis Januarii ſed ab hoc die, quo Alexandria capta erat, putaretur: reſpectu Alexandrinorum autem, ut ſingulorum ſequentium annorum initium non amplius vagaretur, ſed fixum foret, & huic diei (qui ſupponitur menſis Aug. 29us) ſemper adhæreret. NB. Si ita capiantur verba, tum vox αὐτῶν refertur ad vocem ἔτη.

Hoc decretum, ſi ita concipiatur, dicerem nunquam executioni eſſe datum. Certe non apud Romanos, qui etiam deinceps annos ſuos a Kalendis Januariis auſpicati ſunt. Neque etiam præciſe loquendo apud Alexandrinos & Ægyptios, quippe qui talem anni Juliani formam admiſerunt, quæ non patitur ut eorum Thoth ſemper diei 29° Auguſti adhæreat, ſed neceſſario hoc infert, ut unoquoque anno 4°, in diem 30um Auguſti protrudatur.

Si altero ſenſu hujus decreti verba capiantur, tum hoc decretum jubet, ut nova Epocha annorum ab hoc die initium ſumat. Sed hoc decretum non infert, ut forma anni civilis mutetur. Et hoc decretum, ita conceptum, dicerem certo ſenſu executioni datum eſſe. Et quidem a Romanis inſtitutione *annorum Actiacorum* (ſi hæc Epocha a Romanis ſit inſtituta, quod mihi non adeo conſtat) quorum annorum 1us annus in die 29 Auguſti anni U. C. Varroniani 724^{ti}, Juliani 16^{ti}, Per. Jul. 6484^{ti} init. 2us annus itidem in die 29° Auguſti, juxta naturam anni Juliani, & ſic porro. Ab Alexandrinis & Ægyptiis inſtitutione *annorum ab Auguſto*, in locum annorum ab Alexandro, quorum annorum 1us annus init ab illo die in quem incidebat eorum Thoth (ſupponitur enim Alexandria capta in die eorum Thoth 1°) anni vagi a Nabonaſſaro 719^{ni}, ab Alexandro 295^{ti}, in anno Per. Jul. 4684°. incidebat autem eo anno eorum Thoth revera in diem 31um Auguſti, qui in anno Juliano vitioſo erat dies 29us Auguſti. 2us autem annus iterum init ab illo die in quem incidebat eorum Thoth anni vagi a Nabonaſſaro 720^{mi}, ab Alexandro 296^{ti}, in anno Per. Jul. 4685°, a die ſcilicet 30° Auguſti, &c.

Confer Golium in Notis in Alfraganum p. 49. lin. 22. uſque ad p. 52.

Confer Dodwellum in Prolegom. in Appendicem ad Diſſertationes Cyprianicas, §° XXXII, in initio, & §° VII, in medio, & §° VIII.

DIS-

DISSERTATIO
DE
CANONE
REGUM ASTRONOMICO,
Ejusque Auctoribus, Editionibus, MSS^tis, & quæ eo pertinent.

I.

Quinam recentiorum de hoc Canone agunt.

SCaliger Iſagogicorum Canon. L. 3. p. 290, 91. edit. Amſtelod. anni 1658. ubi tantum ea tangit, quæ primam hujus Canonis Epocham, a Nabonaſſaro ad Alexandri mortem concernunt. Confer L. 2. p. 141.

Petavius de Doctrina Temporum, L. 9. C. 52. p. 125. D. L. 10. C. 7. p. 165. A. B. & C. 15. p. 179. D. & C. 38. p. 215. B. & C. 64. p. 272. D. L. XI. C. 22. p. 334. B. C. Item in Auctario Operis de Doctrina Temporum. L. 5. C. 4. p. 200. B. C. L. 8. C. 8. p. 303. B. & p. 304. B.

Dodwellus, non tantum in Notis huic Canoni, a ſe edito, adjunctis & ſubjunctis, ſed etiam in Prolegomenis in Appendicem ad Diſſertationes ſuas Cyprianicas, inprimis § 22—60. luculenter de hoc Canone agit.

Jungmannus in Daniele reſerato (qui prodiit 1681 in 4°) Canonem hunc ex Calviſio exhibet, eumque Ptolemæo aſſerere, illuſtrare, & confirmare conatur. L. 1. Sectione 3ª, C. 1-29. p. 673-912.

II.

Quinam veterum hujus Canonis meminerunt.

Nulla hujus Canonis mentio apud Ptolemæum in ejus Almageſto, ſeu μεγάλῃ συντάξει occurrit.

Prima, quantum mihi conſtat, hujus Canonis mentio reperitur apud Theonem Alexandrinum in fragmento εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, a Dodwello edito, §ᵒ 5ᵒ.

Crebra hujus Canonis mentio occurrit apud Georgium Syncellum in ejus Chronographia, p. 206. B.--209. C. p. 231. C. p. 261. C. p. 264. C. p. 313. A. B. p. 326. D. & 327. A.

III.

Hujus Canonis editiones breviter recenſentur.

Georgius Syncellus in ſua Chronographia p. 207. D.--208. C. edidit hujus Canonis partem, ſeu Epocham priorem, quæ a Nabonaſſaro uſque ad mortem Alexandri decurrit, & annos (Ægyptios) 424 complectitur.

Scaliger eandem hanc Canonis partem priorem, a Nabonaſſaro ad mortem Alexandri M. edidit, Græce inter reliquias Græcas partis prioris Chronicorum Euſebii p. 46. & Latine in Canonibus Iſagogicis L. 3. p. 291. & L. 2. p. 140.

Calviſius hunc Canonem ſub nomine Ptolemæi, inde a Nabonaſſaro uſque ad Antoninum Imperatorem, per annos Nabonaſſari 907 decurrentem, deſcriptum ex MSto Libro Græco Claudii Ptolemæi, continente hypotheſes Planomenωn, & a D. Overallo, Eccleſiæ Paulinæ Londini Decano, per Abrah. Scultetum, ad Calviſium anno 1613 tranſmiſſum, edidit in Operis ſui chronologici editione 2da, quæ poſt mortem ejus (quæ contigit anno 1615, Nov. 23. Æt. 60.) prodiit anno 1620, in Iſagoge Parte 2a, C. IIo p. 79, edit. 1650.

Bainbrigius hunc Canonem, decurrentem (teſte Dodwello in Notis huic

huic Canoni adjunctis, p. 24. & p. 26.) uſque ad Theodoſium Seniorem incluſive, hoc eſt, uſque ad annum a morte Alexandri 714um, qui eſt a Nabonaſſaro 1138us, edidit, una cum Libro Ptolemæi de hypotheſibus Planetarum, Londini 1620. in 4°.

Petavius hujus Canonis partem, ſeu Epocham priorem, a Nabonaſſaro uſque ad Alexandri mortem, edidit in Opere de Doctrina Temporum, L. 9. C. 52. p. 126, edit. Pariſ. 1627.

Idem Petavius in ſuo Rationario Temporum anno . . . . . edito, ad calcem, edidit hunc Canonem, a Nabonaſſaro uſque ad Antoninum, hoc eſt, uſque ad annum a Nabonaſſaro 907um.

Dodwellus hunc Canonem, inde a Nabonaſſaro usque ad annum ab Alexandri morte 1737um (a Nabon. 2161um) (ſed ultimi in hoc Canone numeri videntur corrupti) partim cum MSS^{tis}, editisque collatum, partim ex MSS. nunc primum editum, publicavit in Appendice ad Diſſertationes ſuas Cyprianicas, quæ prodiere, una cum Cypriani operibus, recognitis & illuſtratis per Joannem Oxonienſem, Oxonii 1682. in folio. (* NB. Cypriani Opera quidem prodiere anno 1682, ſed Dodwelli Diſſ. Cyprianicæ, cum Appendice, deinceps demum ſubjunctæ ſunt; & hæc Diſſ. Cyprianicarum, cum Appendice, editio in folio, plane eadem eſt cum earum editione in 8vo; quæ prodiit Oxoniæ, anno 1684.)

Confer Fabricii Biblioth. Græcam L. 4. C. 14. p. 419.

I V.

De hujus Canonis MSS^{tis}.

De hujus Canonis Manuſcriptis videndus Dodwellus in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas, in Prolegom. §. LXI. p. 23. Col. 2 & in Obſervationibus Canoni adjunctis p. 24, nec non ſparſim in Notis, quæ Canoni ſubjiciuntur. Ubi memorantur

a. Codex Savilianus 1us, qui incipit a Nabonaſſaro, & deſinit in fine Canonis, a Dodwello editi.

b. Codex Savilianus 2us, qui incipit a morte Alexandri, ſeu ab initio Philippi Aridæi, & deſinit in Leone Sapiente, anno a morte Alexandri 1234°, qui eſt a Nabonaſſaro 1658us.

c. Codex Uſſerianus, ab Uſſerio ex Codice Saviliano 1° deſcriptus,

cum Uſſerii notis marginalibus, qui incipit a Nabonaſſaro, & deſinit cum Codice Saviliano 1°.

d. Apographa Iſaaci Voſſii duo è MSS^tis duobus, quorum

1um Incipit a Nabonaſſaro, & deſinit in Phoca, anno ab Alexandri morte 933°, qui eſt annus a Nabon. 1357us.

2um Incipit a Nabonaſſaro & deſinit in Michaële Παφλαγόνι, anno ab Alexandri morte 1136°, qui eſt a Nabonaſſaro 1560us.

e. Manuſcriptum, ex quo prodiit Bainbrigii editio, quæ deſinit in Theodoſio Seniore, anno ab Alexandri morte 714°, qui eſt a Nabon. annus 1138us, non differt a Codice Saviliano 1°, judice Dodwello in Obſervationibus ad latus Canonis, p. 24. & Notis Canoni ſubjectis p. 26. Col. 2. ad N° 9.

f. Manuſcriptum, ex quo Calviſii editio (cujus nulla apud Dodwellum mentio fit) expreſſa eſt, quæ a Nabonaſſaro incipiens, in Antonino, hoc eſt, in anno ab Alexandri morte 483°, qui eſt a Nabonaſſaro annus 907us, terminatur, fuit apographum, cura D. Overalli, Eccleſiæ Paulinæ Londinenſis Decani, deſcriptum ex MS^to libro Græco Claudii Ptolemæi, continente hypotheſes Planetarum, & ad Calviſium anno 1613 tranſmiſſum.

g. Manuſcriptum (a Dodwello non collatum) in Catalogo MSS^torum Angliæ & Hiberniæ Vol. 1°, Part. 1^a, p. 44, 45. Codicis 297^mi, opuſculum 19um, cum hoc titulo: Tabulæ Aſtronomicæ plures; ubi inter alias occurrunt Tabulæ oſtendentes quot annorum regnaverint reges a Philippo Macedone ad Michaëlem Paphlagonem.

(* h. Duo MS^ta in Codice Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, ex quibus duo Voſſii Apographa exſcripta ſunt. Vide infra §° 27.)

V.

Notitia hujus Canonis ex Ptolemæo.

Inter Tabulas aſtronomicas, quas Ptolemæus edidit & ſuæ μεγάλῃ συντάξει inſeruit, nullus Canon Regum occurrit.

Imo, quod mireris, Ptolemæus in illa ſua μεγάλῃ συντάξει, nullibi, quantum obſervare potui, hujus Canonis mentionem facit.

Ptolemæus tamen, licet uno tantum in loco, Magnæ Conſtruct. ſcilicet Lib. 3° Cap. 8°, exprimit intervalla temporis a Nabonaſſaro uſque

que ad mortem Alexandri, & a morte Alexandri uſque ad regnum Auguſti poſt captam ſcilicet Alexandriam, & inde porro uſque ad Æquinoctium autumnale a ſe obſervatum anno Adriani 17°, menſis Athur die 7° poſt meridiem duabus proxime horis æqualibus; & ex tribus hiſce intervallis, ſibi invicem aggregatis, colligit diſtantiam temporis a Nabonaſſari anno 1° uſque ad hanc ſuam obſervationem. Ipſa Ptolemæi verba hæc ſunt; edit. Græc. anni 1538. p. 79.

Ἀπὸ μὲν τῆς Ναβονασσάρου βασιλείας μέχρι τῆς Ἀλεξάνδρου τελευτῆς, ἔτη συνάγεται κατ' Αἰγυπτίους υκδ'. (424)

Ἀπὸ δὲ τῆς Ἀλεξάνδρου τελευτῆς μέχρι τῆς Αὐγούστου βασιλείας, ἔτη σϟδ'. (294)

Ἀπὸ δὲ τοῦ α' ἔτους Αὐγούστου κατ' Αἰγυπτίους τῆς ἐν τῷ Θὼθ α' μεσημβρίας...... μέχρι τοῦ ιζ' ἔτους Ἀδριανοῦ, Ἀθὺρ ζ, μετὰ δύο ἰσημερινὰς ὥρας τῆς μεσημβρίας, ἔτη γίνεται ρξα', (161) καὶ ἡμέραι ξς', (66) καὶ ὧραι ἰσημεριναὶ β'.

Καὶ ἀπὸ τοῦ α' ἔτους ἄρα Ναβονασσάρου κατ' Αἰγυπτίους ἐν τῇ τοῦ Θὼθ α' μεσημβρίας, ἕως τοῦ χρόνου τῆς ἐκκειμένης μετοπωρινῆς ἰσημερίας συναχθήσεται ἔτη Αἰγυπτιακὰ ωοθ (879) καὶ ἡμέραι ξς', (66) καὶ ὧραι ἰσημεριναὶ β'.

Hæc autem intervalla exacte cum hoc Canone conveniunt.

Præterea Ptolemæus ſparſim in ſua *μεγάλῃ συντάξει*, tot obſervationes, tam veterum, quam ſuas proprias, quarum tempus, quo captæ ſunt, deſignatur per annos regum Chaldæorum, Perſarum, Ægyptiorum, & Imperatorum Romanorum, reducit ad Æram a Nabonaſſaro, exhibet.

Unde patet, Ptolemæum non tantum quantitatem majorum illorum intervallorum, ſed etiam annos Regum & Imperatorum, eorumque diſtantiam ab Epocha ſua, hoc eſt, a Nabonaſſari anno 1°, & a ſe invicem, in numerato habuiſſe: quod absque tali regum Canone, ſine magno calculi tædio, vix fieri potuit.

V I.

Notitia hujus Canonis ex Theone Alexandrino.

Prima, ut jam ſupra §° 2. monui, hujus Canonis mentio fit apud Theonem Alexandrinum in Fragmento *εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας*, a Dodwello edito, §° 5° duobus in locis.

Ubi hæc, quæ ad hujus Canonis notitiam faciunt, inveniuntur.

a. Hic Canon, non τῶν *βασιλέων*, regum, ſed τῶν *βασιλειῶν*, *regnorum*, vocatur.

b. In

b. In uno loco Κανὼν, in altero Κανόνιον appellatur.

c. Hic Canon exhibebat non tantum annos Imperii ſingulorum regum, ſed etiam horum annorum συναγωγὴν, *Collectionem*.

d. Imo hic Canon exhibebat non unam tantum συναγωγὴν, ſed plures: loquitur enim Theo de συναγωγαῖς in plurali.

e. Canon ille, de quo Theo loquitur, habebat συναγωγὴν, quæ ab ipſius Theonis Epocha, hoc eſt, ab anno 1° Philippi, τῆς μετ' Ἀλέξανδρον τὴν κλίσιν, deducebatur, & uſque ad Diocletianum colligebat annos 607. Sic enim in primo loco, ſcribit Theo, Ἐπεὶ οὖν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς Φιλίππου Βασιλείας μέχρι τῆς Διοκλητιανοῦ ἔτη χζʹ, ὡς ἐκ τῶν ἐν τῷ Κανονίῳ τῶν βασιλειῶν ἐπὶ συναγωγῶν γίνεται δῆλον. * Forte duæ illæ voces ἐπὶ συναγωγῶν, quæ in Dodwelli editione disjunguntur, conjungendæ, & legendum ἐπισυναγωγῶν. Nam ἐπισυναγωγὴ idem quod συναγωγή.

f. Præterea Canon ille, de quo loquitur Theo, habebat etiam alteram συναγογὴν, quæ ab anno 1° regni Auguſti in Ægyptum, poſt Cleopatræ mortem, deducebatur, & uſque ad Diocletianum colligebat annos 313. Sic enim in ſecundo loco ſcribit Theo, Ἐπεὶ οὖν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς Αὐγούστου μέχρι τῆς Διοκλητιανοῦ ἔτη ΟΜΟΙΩΣ συνάγεται ἐκ τοῦ τῶν βασιλειῶν Κανόνος τιγʹ.

g. Idem ille Canon, de quo loquitur Theo, videtur pertinuiſſe ad illum Κανονίων ἀστρονομικῶν faſciculum, ſeu ad illas Tabulas Aſtronomicas, in unum faſciculum collectas, quæ κυρίως vocantur οἱ πρόχειροι Κανόνες, & in quibus computus deducebatur, non, ut in Ptolemæi Almageſto fit, a Nabonaſſaro, ſed a Philippo. Theo enim in hoc commentarii ſui εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας fragmento, eodem modo de Κανονίῳ τῶν βασιλειῶν loquitur, quo §° 3. de Κανονίῳ τῶν εἰκοσιπενταετηρίδων, cujus πρῶτον σελίδιον habebat in πρώτῳ στίχῳ annum Philippi primum, locutus fuerat: ita ut admodum probabile ſit Canonem regum, de quo loquitur, æque ac Tabulam Icoſipentaëteridum, ad τοὺς προχείρους Κανόνας, ſic dictos, pertinuiſſe. Confer hujus fragmenti §um 1. & Theonis Commentarium in Ptolemæi Librum 6um, p. 282. in imâ pagina.

h. Forte illud ἐπισυναγωγῶν, *in plurali*, apud Theonem loco ſupra Lit. e. citato, reſpicit duas ſe invicem ſubſequentes ἐπισυναγωγὰς, nempe ἐπισυναγωγὴν annorum a Philippo ad Auguſtum, quæ colligit annos 294. & alteram ἐπισυναγωγὴν annorum ab Auguſto ad Diocletianum, quæ colligit annos 313. quæque ambæ per additionem aggregatæ, dant annos 607.

VII. *No-*

V I I.

Notitia hujus Canonis ex Georgio Syncello.

Georgius Syncellus, non tantum hujus Canonis partem ſeu Epocham priorem, a Nabonaſſaro uſque ad Alexandri mortem edidit, p. 207 & 208, ſed variis præterea in locis hujus Canonis meminit, & varia ſuppeditat, quæ ad ejus notitiam faciunt. Unde ſequentia obſervamus.

α. Syncellus dicit Ptolemæum in *μεγάλῃ συντάξει* computum ſuum aſtronomicum deducere a Nabonaſſaro. pag. 206. B. C. Confer pag. 207. B.

β. Eidem Ptolemæo tribuit *προχείρους Κανόνας*, in quibus Computus aſtronomicus deducitur ab Alexandri morte, ſeu ab initio Philippi, *τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην*. p. 207. A. & B. p. 261. C. p. 264. C. p. 326. D.

γ. Diſtinguit Canonem Regum in quatuor intervalla, ſeu Epochas, quarum 1ª, a Nabonaſſaro; 2ª, ab Alexandri morte, ſeu ab initio Philippi; 3ª, ab Auguſto Cæſare; 4ª, a Diocletiano exordium ſumit. p. 207. B. ubi Syncellus ſic ſcribit, *εἴ τις βουληθείη, σύνοδον, πανσέληνον, ἢ ἄλλην τινὰ ψηφοφορίαν τῶν ἀστέρων ἐπιλογίσασθαι κατὰ τὴν προκειμένην ἀκριβῆ τῶν κοσμικῶν ἐτῶν ποσότητα, ἤγουν καὶ Πασχάλιον ἄπταιστον, εὕρῃς καὶ τὴν αὐτὴν κατάληψιν τοῖς τε κατὰ τὴν μεγάλην σύνταξιν Πτολεμαίου ἀπὸ Ναβονασάρου ἔτεσιν, καὶ τοῖς ἀπὸ τῆς τελευτῆς Ἀλεξάνδρου ἤτοι ἀρχῆς Φιλίππου τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην ἕως Αὐγούστου Καίσαρος καὶ ἔτι ἕως Διοκλητιανοῦ καὶ αὖθις ἕως τοῦ παρόντος ͵ϛτνβʹ ἔτους*. Quæ verba ſic verterem: *Si quis voluerit, novilunium, plenilunium, aut aliam quandam calculationem aſtrorum, computare, juxta propoſitam accuratam mundanorum annorum quantitatem, ſive etiam juxta Paſchale infallibile, invenies etiam eandem* *κατάληψιν*, hoc eſt, *quæſtionis ſolutionem, notitiam, deprehenſionem, (quam inveniſſes, ſi pro Epocha Computi uſus eſſes) annis, juxta magnam conſtructionem Ptolemæi, a Nabonaſſaro, & annis (juxta τοὺς προχείρους Κανόνας) a morte Alexandri, ſeu ab imperio Philippi, qui poſt Alexandrum conditorem imperium adeptus eſt, uſque ad Auguſtum Cæſarem, & porro uſque ad Diocletianum, & rurſum uſque ad præſentem 6352um (Mundi) annum*. Confer p. 206. D. ubi annum Mundi 4747 componit cum Nabonaſſari anno 1°; & p. 207. A. ubi Alexandri mortem componit cum Mundi anno 5170°. Vide quoque p. 204. A.

&

& nota numerum anni præſentis ϛͷβʹ, 6352 eſſe erroneum per Librarii incuriam, quia Syncelli ætatem longe excedit; & pro eo forte legendum ϛτβʹ, vel ϛιβ, ut recte in præfatione monet Goarus. Confer p. 3. B. & p. 6. D.

δ. Hujus Canonis pars ſeu Epocha prior, a Nabonaſſaro uſque ad Alexandri magni mortem, erat annorum 424. hoc ſæpius teſtatur Syncellus; p. 206. C. p. 207. A. & C. & ipſa collectio annorum in Canonis parte priore a Syncello edita, hoc docet p. 208.

ε. Hujus Canonis pars ſeu Epocha altera, ab Alexandri morte, ſeu ab initio imperii Philippi, τῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸ πλέτην, uſque ad Cleopatræ mortem, erat annorum 294. Quod expreſſe teſtatur Syncellus, p. 327. A. ἀπὸ ɡ (inquit) τῦ αὐτῦ πρώτυ ἔτυς Φιλίππυ μέχρι τῆς καθαιρέσεως Κλεοπάτρας ἔτη κᵹ τὺς ἀστρονομικὺς Κανόνας συνάγεται σϟδʹ. (294). Ubi tamen ipſe Syncellus, quod notandum, non Alexandri annum emortualem, ſed Philippi annum 1um cum Mundi anno 5170° componit & conſequenter ab Adam uſque ad Cleopatræ interitum annos 5463 colligit. Videtur Syncellus ſui oblitus, vel p. 206. D. pro δψμζ legendum δψμϛʹ, convenienter iis, quæ in textu Græco p. 204. A. leguntur, confer quoque p. 207. A. Sed alia videntur obſtare, & inter ea, quod in Canone Eccleſiaſtico Nabonaſſaro det annos tantum 25, p. 208. D. & quod Nabii annum 1um cum M. anno 4772° componat p. 209. C. & imprimis, quod annum Philippi Aridæi cum M. anno 5171° componat p. 269. D.

ϛ. Hic Canon Regum habebat Columnam annorum collectorum, in qua ἡ συναγωγὴ, ab initio imperii Philippi inchoata, prorogabatur non tantum ad Auguſtum, ſed etiam ad Diocletianum, imo & ultra Diocletianum uſque ad Syncelli ætatem: ut ex illo, quem ſupra Lit. γ. adduximus, Syncelli loco, patet.

ζ. Huic Canoni etiam nomen Κανονὸς datur a Syncello, p. 207. C.

η. Hic Canon Regum a Syncello appellatur ἀστρονομικὸς Κανὼν. p. 231. C. p. 313. A. p. 327. A. p. 207. B.

Appellatur etiam ὁ μαθηματικὸς Κανὼν, (Aſtronomi enim etiam Mathematici vocantur) p. 207. C. p. 231. C.

Imo vocatur quoque ὁ Χαλδαϊκὸς ϗ ἀστρονομικὸς Κανὼν, p. 231. C. ubi loquitur de annis Aſtyagis, adeoque de ea hujus Canonis parte, quam ediderat: putabat enim, ut videtur, Syncellus, hunc Canonem regum Chaldæorum a Nabonaſſaro uſque ad Alexandri mortem, a Chaldæis ad Græcorum Aſtronomos perveniſſe. Vide p. 206. B. & D. item p. 207. B.

θ. Syn-

9. Syncellus, quod probe notandum, ubivis ſupponit, hunc Canonem Regum aſtronomicum pertinuiſſe ad Tabulas aſtronomicas, quibus Computus aſtronomicus peragebatur, eumque comprehenſum fuiſſe in illo Tabularum faſciculo, cui nomen τῶν προχείρων Κανόνων quaſi proprium erat. Vide in genere p. 207. A. B. p. 261. C. p. 264. C. p. 313. A. B. p. 326. D. & 327. A. B. & in ſpecie obſerva Syncelli verba, p. 262. A. ubi ſic ſcribit, Θέμενος τὸ ερο' ἔτος τοῦ κόσμου κατὰ τὸ τέλος Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ἀποδεῖξαι συντρέχον, ὡς ἂν καὶ τὰ ἀπὸ Φιλίππου μετὰ Ἀλέξανδρον ἔτη λαμβανόμενα κατὰ τοὺς Πτολεμαίου προχείρους τῆς ἀστρονομίας Κανόνας ὁμοφωνεῖν ἐν τοῖς ἐφεξῆς ἡμῖν ἔτεσιν. εὗρον Κῦρον, τὸν πρῶτον βασιλέα Περσῶν, ἐν τοῖς, ἀπὸ Ναβονασάρου καταγομένοις ἐπὶ Ἀλέξανδρον, ἔτεσιν, ἐννέα μόνον ἔτη βασιλεύσαντα Περσῶν, ἐν πᾶσι τοῖς ἀκριβέσι Κανονίοις. Quæ ſic verto. *Cum conſtituiſſem demonſtrare annum Mundi* 5170um *cum anno obitus Alexandri Macedonis eſſe concurrentem, ut & anni, a Philippo poſt Alexandrum computati juxta Ptolemæi expeditos Canones aſtronomicos, conſonarent cum annis exinde* (poſt annum Mundi 5170um) *a nobis* (in hac Chronographia noſtra) *computatis: Inveni, Cyrum, primum regem Perſarum, in annis a Nabonaſſaro deductis ad Alexandrum, novem tantum annos regnaſſe Perſis, in omnibus accuratis tabulis.* Ubi Syncellus, meo judicio, clare ſupponit inter προχείρους τῆς ἀστρονομίας Κανόνας, quos Ptolemæo tribuit, fuiſſe quoque Κανόνα τῶν βασιλειῶν, & quidem talem, in qua duplex Epocha, una a Nabonaſſaro inchoata & ad Alexandri mortem continuata; altera a Philippo, poſt Alexandrum deducta. Quomodo enim alias, τὰ ἀπὸ Φιλίππου ἔτη λαμβανόμενα κατὰ τοὺς Πτολεμαίου προχείρους τῆς ἀστρονομίας Κανόνας poterant συμφωνεῖν annis a Syncello poſt annum ſuum Mundanum 5170um, in ſua Chronographia computatis. Præterea quomodo alias poterat ἐν πᾶσι τοῖς ἀκριβέσι Κανονίοις invenire Cyrum novem tantum annos regnaſſe.

Obſerva porro Syncelli verba p. 313. A. B. ubi poſtquam locutus erat de ἀστρονομικοῖς Κανόσι in plurali, per quos Computus aſtronomicus peragebatur: Panodorum carpit, quod, συμφωνῆσαι σπουδάζων τοῖς ἔξω σοφοῖς περὶ τὴν σφαιρικὴν κίνησιν, hoc eſt, *conſonare ſtudens cum gentilibus Aſtronomis, ab anno Chriſti natali 7 annis aberraverit, dum annum Chriſti natalem anno Mundi 5493° affixerat.* Non certe ex computo aſtronomico, ſed ex Canone Regum aſtronomico, quem proinde Syncellus ſupponit faſciculo Κανόνων ἀστρονομικῶν inſertum fuiſſe.

Obſerva denique ejuſdem Syncelli verba p. 326. D. & 327. A. B. ubi iterum Panodorum accuſat, quod circa annum Chriſti natalem 7 annis aberrabat, quum eum in annum Mundi 5493um conferebat: & ut

hujus erroris cauſam exponeret, dicit, quod Ptolemæus τὴν τῶν προχείρων Κανόνων ψηφοφορίαν κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος Philippi Aridæi ἐπήξατο. agnoſcit primum illum Philippi annum coincidere cum 5170° Mundi anno. Addit, ἀπὸ δὲ τοῦ αὐτοῦ πρώτου ἔτους Φιλίππου μέχρι τῆς καθαιρέσεως Κλεοπάτρας ἔτη, κατὰ τοὺς ἀστρονομικοὺς Κανόνας, συνάγεται σϞδʹ (294). Inde conſequenter deducit, quod proinde ab ipſo 5170° Mundi anno uſque ad Cleopatræ interitum, fiant anni ab Adam 5463. *Quod*, inquit, *cum traditione Eccleſiaſtica non concinit, ut ad* 43um *annum Auguſti Cæſaris, quando Dominus noſter incarnatus eſt, (oſtendemus.)* μόνα γὰρ ἀπὸ τῆς αὐτῆς καθαιρέσεως, καὶ ὑποταγῆς Αἰγύπτου, μγʹ ἔτη λέγεται βεβασιλευκέναι παρὰ τοῖς μαθηματικοῖς ὁ Αὔγουστος. . . . . . Πανόδωρος δὲ, τῇ μαθηματικῇ ἐξακολουθῶν ἐκδόσει, τὴν μὲν ἀρχὴν τῆς Αὐγούστου βασιλείας τῷ ͵ευναʹ ἔτει τοῦ κόσμου ἐστοιχείωσεν· τὸ δὲ τέλος τῷ ͵εφϛʹ. τὴν δὲ σωτήριον γέννησιν τῷ ͵ευϞγʹ. οὐ καλῶς διανοησάμενος. Quæ ſic verto. *Solos enim, ab ejus* (Cleopatræ) *interitu, & ſubjectione Ægypti,* 43 *annos regnaſſe Auguſtus dicitur apud Mathematicos* (in prædictis ſcilicet eorum προχείροις τῆς ἀστρονομίας Κανόσι, quorum ψηφοφορίαν Ptolemæus (ut putabat Syncellus) ἐπήξατο κατὰ πρῶτον ἔτος Φιλίππου, & ſecundum quos ab illo ipſo Philippi anno primo, uſque ad Cleopatræ interitum, colligebantur anni 294.) . . . *Panodorus autem, Mathematicam ſecutus editionem,* (hoc eſt, prædictos Κανόνας, a Mathematicis editos,) *initium quidem* (totius) *regni Auguſti* 5451° *anno Mundi* ΣΤΟΙΧΕΙΩΣΕΝ (hoc eſt, in ſerie annorum Canonis ſui Chronologici appoſuit) *Finem vero* (*anno*) 5506°. *Salutarem autem Nativitatem* (*anno*) 5493°. *Non recte* (ut putabat Syncellus) *rem reputans, conſiderans.*

Qui ea, quæ hoc in loco dicit Syncellus, attente conſiderat, videbit, meo judicio, Syncellum ſupponere, quod Canon regum aſtronomicus ad προχείρους Κανόνας pertinuerit, & in eodem faſciculo cum reliquis Tabulis aſtronomicis proprie ſic dictis comprehenſus fuerit.

Ut autem pateat Panodorum in ſuo Computo ſequi Canonem regum aſtronomicum, nota, quod, ipſo hic confitente Syncello.

Philippi Aridæi annus 1us ſit Mundi	5170us,
Cleopatræ ultimus proinde Mundi	5463us.
& additis ex Canone Auguſti annis	43
Erit finis, ſeu ultimus Auguſti, M.	5506us.
& ablatis Auguſti annis . .	55
Erit Auguſti annus 1us, Mundi annus	5451us.
& additis iterum Auguſti annis .	42.
Erit Auguſti annus 43us, Mundi annus	5493us; Chriſti Natalis.

ι. Syncellus ſparſim varia habet, quibus ea Canonis pars quam edidit, confirmatur: notat enim, quod Canon

1° Cyro tribuit 9 tantum annos, p. 207. ὁ μαθηματικὸς (inquit) Κανὼν θ″ μόνα ἔτη Κύρῳ νέμει. Item p. 231. C. ὁ ἀστρονομικὸς Κανὼν θ″ μόνα (ἔτη) Κύρῳ λογίζεται. Item p. 261. C. εὗρον Κῦρον, τὸν πρῶτον βασιλέα Περσῶν, ἐν τοῖς ἀπὸ Ναβονασάρου καταγομένοις ἐπὶ Ἀλέξανδρον ἔτεσιν, ἐννέα μόνον ἔτη βασιλεύσαντα Περσῶν, ἐν πᾶσι τοῖς ἀκριβέσι Κανονίοις.

2° Colligit a Nabonaſſaro uſque ad 1um annum Darii (qui) & Aſtyages, annos 176. p. 231. C. Ἀπὸ Ναβονασάρου ἐπὶ τὸ α″ ἔτος Δαρείου καὶ Ἀστυάγους ἔτη εἰσὶν κατὰ τὸν μαθηματικῶν Κανόνα ρος″ (176.) Goarus pro ρος″ putat legendum ροε″. Sed non animadvertit, annum hujus regis primum a Syncello includi. Confer p. 206. C.

3° Aſtyagi tribuit annos 34. l. c. p. 231. C χρὴ (inquit) εἰδέναι, ὅτι ὁ Χαλδαϊκὸς καὶ ἀστρονομικὸς Κανὼν τὸν Ἀστυάγην λδ″ (ἔτη) λογίζεται Χαλδαίων βασιλεῦσαι.

4° Colligit a Nabonaſſaro uſque ad annum Alexandri 1um incluſive, annos 419. & uſque ad ejus mortem, annos 424 adeoque Alexandro tribuit annos imperii in Perſas 6. p. 206. C. πάντων γὰρ αὐτὴν ἀκριβεστέραν ὁμολογοῦσιν εἶναι, συνάγουσαν ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ Ναβονασάρου, ἐπὶ τὸ πρῶτον, ἤτοι ζ, ἔτος Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνων, καὶ Περσῶν, καὶ πάσης σχεδὸν τῆς οἰκουμένης βασιλεύσαντος, ἔτη υιθ″. ἐπὶ δὲ τὴν τελευτὴν τοῦ αὐτοῦ Ἀλεξάνδρου, ἔτη υκδ″. Syncellus in tranſcurſu monet, Alexandri annum 1um imperii in Perſas, eſſe totius imperii ejus annum 7um. Syncellus enim Alexandro tribuit annos imperii in univerſum 12. p. 260. D. Atque hinc eſt, quod dicat p. 261. A. ΕΛΛΗΝΩΝ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ, ἔτος πρῶτον ἀπὸ ἑβδόμου ἀριθμοῦσιν. Ἕλληνες γὰρ καὶ Μακέδονες οἱ αὐτοί. & ibidem addat, Ἀπὸ ἑβδόμου ἔτους Ἀλεξάνδρου, ἕως κβ″ Κλεοπάτρας ἔτη τ′. Quod verum, ſi Alexandro dentur, in Canone, anni 6 tantum, ut facit Syncellus: nam a Philippo ad 22 Cleopatræ numerat Canon annos 294; ut Syncellus dicit p. 327. A. Confer quoque l. c. p. 261. B. ubi pro σλ″ legendum σθ″, juxta Canonem p. 208.

ια. Ipſa Canonis pars prior, a Syncello, p. 207 & 208, edita.

Inſcribitur hoc modo: Τὰ ἀπὸ Ναβονασάρου, ἔτη, τοῦ καὶ Σαλμανασάρου, βασιλέως Χαλδαίων, ἕως Ἀλεξάνδρου τοῦ κτίσου τελευτῆς, κατὰ ἀστρονομικὸν Κανόνα. Quæ inſcriptio, ut per ſe patet, a Syncello addita eſt.

Columnas (σελίδια) habet quatuor, quarum

Prima numerat Reges & Interregna ab 1—31. Quæ columna, mihi videtur, a Syncello adjecta.

Secundà exhibet Regum nomina, quæ in gignendi caſu exprimuntur. Goarus Regum nomina, librarii errore corrupta, in notis ſuis marginalibus reſtituit.

Tertia annos imperii ſingulorum Regum exprimit.

Quarta continet *συναγωγὴν*, ſeu annos Regum collectos, & ſibi invicem continue aggregatos: quæ *συναγωγὴ*, a Nabonaſſaro inchoata, uſque ad Alexandri mortem propagatur, colligitque in ultima ſumma collecta annos 424.

Nullam admittit hic Syncelli Canon inter Chaldæorum & Perſarum reges diſtinctionem, aut novam inſcriptionem, ſed eſt Κανόνιον continuum, ſeu Tabula perpetua.

Ad nomen Regis *Ναβονάδιυ* additur *τοῦ καὶ Ἀσυάγους*, quod Syncelli additamentum eſt.

Rex 14ᵘˢ, Saosduchius, qui in Syncelli MSᵗᵒ deerat, a Goaro reſtituitur: quod ex regis præcedentis & ſequentis annis, & ex Tabulæ Eccleſiaſticæ collectione, facile, & certo fieri potuit.

ιβ. Huic Canoni aſtronomico ſubjunxit Syncellus aliam Tabulam Eccleſiaſticam, in quâ recenſentur (ſed abſque Columna annorum collectorum) *Τὰ ἀπὸ Σαλμονασάρ, ἤτοι Ναβονασάρου ἔτη, κατὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν στοιχείωσιν, ἕως Κύρου, καὶ ἔπειτα Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος*, ut in Inſcriptione p. 208. D. dicitur.

Hæc Tabula, cum annis collectis reperitur in *Ἱστοριῶν συναγωγῇ*, a Scaligero edita in Theſauro Temporum Euſebiano, p. 397. Sed obſerva ibi Magorum menſes 7 non computari, quos tamen ipſe Syncellus p. 241. A. pro anno uno computat: ut & Xerxis, filii Artaxerxis, menſes 2, una cum Sogdiani menſibus 7, pro anno computari, quod etiam Syncellus p. 255. facit.

De hac Tabula Eccleſiaſtica, cum Canone aſtronomico comparata, dicit Syncellus p. 207. C. quod uterque Canon, quoad ſummam collectam finalem conveniat, & annos in univerſum 424 colligat. Sed quod in quorundam Regum annis, adeoque etiam in quibusdam ſummis collectis particularibus, diſſenſus reperiatur: videlicet in annis Cyri, cui Canon Eccleſiaſticus tribuit annos 31, Aſtronomicus vero annos tantum 9. & in annis ipſius Nabonaſſari (cui Canon Eccleſ. dat annos 25, Aſtronomicus vero tantum 14.) & in annis aliorum regum (exempli gratia, Nabii, cui Canon Eccleſ. dat annos 8, Aſtronomicus vero tantum annos 2, vide quoque p. 209. C. ut & Nabonadii, qui & Aſtyages, cui Canon Eccleſ. dat annos tantum 17, Aſtronomicus vero

annos

annos 34., de quo agit p. 231. C. Ne dicam Evilmerodaci & Nerigliſſeri annos permutari, quod in ſumma annorum uſque ad Cyrum differentiam non facit.)

Præterea de utroque Canone, p. 231. C. dicit Syncellus: primo, quod a Nabonaſſaro, uſque ad Darii & Aſtyagis annum 1um (incluſive) ſint anni, juxta Canonem aſtronomicum ρος', (176) juxta Eccleſiaſticum vero ροζ' (177) ut in textu legitur errore, ut videtur, ſcioli Critici, orto ex eo quod ſequitur παρ' ἐνιαυτὸν ἕνα in fine hujus pericopæ: licet revera colligantur anni ρϟγ' (193.) Et addit; καὶ οὐδὲν διενήνοχεν, hoc eſt, ut Goarus vertit, *& nullum propterea inter utrumque diſcrimen emergit*; quo ad ſummam ſcilicet annorum uſque ad Aſtyagis imperium. *Sciendum enim eſt* (ſic pergit) *quod Chaldaicus & Aſtronomicus Canon Aſtyagem quidem annis 34 Chaldæis imperaſſe computet; Eccleſiaſticus vero 17, ad maximum; ſiquidem etiam 11 tantum (imperaſſe) quidam dicunt. Cyro autem idem ille Aſtronomicus Canon 9 tantum annos attribuit; Eccleſiaſticus vero 31.* Deinde his immediate hæc ſubjungit; ἡμεῖς οὖν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν Ἀστυάγους παρ' ἐνιαυτὸν ἕνα συμφωνοῦντας ἠγάγομεν τοὺς δύο τούτους Κανόνας. N.B. Goarus obſervat Syncellum in ſua propria Chronographia p. 231. B. Aſtyagis annum 1um componere cum Mundi anno 4921o. Obſervat præterea annum Aſtyagis 1um, qui in Canone aſtronomico eſt a Nabonaſſaro 176us, eſſe Mundi annum 4922um: quia juxta Syncellum p. 206. D. Mundi annus 4747us cum Nabonaſſari anno 1o concurrit. Et hoc fundamento hæc verba ſic vertit: *Nos demum Canone utroque conciliato, in idem tempus, anno unico minus, Aſtyagis exordium demonſtravimus.* Nam inter annum Mundi 4921um, in quem Syncelli propria Chronographia p. 231. B. Aſtyagis annum 1um confert, & annum Mundi 4922um, in quem, ex dictis p. 206. D. Canonis aſtronomici annus 176us, & Aſtyagis annus 1us incidit, eſt anni unici differentia. En (juxta hanc Goari interpretationem) ἀβλεψίαν Syncelli; hoc enim non eſt τοὺς δύο τούτους Κανόνας (de quibus locutus erat) in concordiam adducere. Nota tamen illud ἐπὶ τὴν ἀρχὴν Ἀστυάγους poſſe verti *ad imperium Aſtyagis*, & intelligi de imperio finito, & præterea obſerva, utrumque Canonem uſque ad finem imperii Aſtyagis & initium Cyri colligere annos 209. Adeoque ſi Syncellus Nabonaſſaro in Canone Eccleſiaſtico dediſſet non 25, ſed 26 annos, ut fecerat in ſua Chronographia p. 204. A. in Textu Græco, tum Canon Eccleſiaſticus collegiſſet uſque ad Imperii Aſtyagis finem annos 210, foretque inter utrumque Canonem anni unici differentia. Sed forte Syncellus, oblitus, quod ad Aſtyagis annum 1um *incluſive* collegerat annos 193, iis annos

annos Aſtyagis, non 16 reliquos, ſed omnes 17 addidit, & ſic erronëe collegit annos 210: cum Canon aſtronomicus colligat annos 209.

Denique Syncellus, p. 261. C. (cujus loci priora verba ſupra ad Lit. 9. adduxi) hæc addit, μὴ δυνάμενος τὸ Κῦρον στοιχειῶσαι, (tribuendo ſcilicet ipſi annos tantum 9) διὰ τὸ ταῖς θείαις γραφαῖς ἀντιπίπτειν. ἀπανταχοῦ γὰρ λα' ἔτος κεῖται βασιλεύσας παρὰ τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ἱστορικοῖς. ἐξ ἀνάγκης ἐκ τῶν Ὤχου χρόνων, ἀμφιβαλλομένων παρ' ἐνίοις, ὑφελῶν ἔτη, ἃ δοκοῦντα εἶναι περιττὰ, περὶ τὰ ε' Κύρου μόνα ἐπ' αὐτοῦ ἐστοιχείωσα, καὶ ἔστι ὁ Κανὼν σύμφωνος: Ultima hujus Pericopæ verba mutila & corrupta mihi videntur: Goarus in margine notat, legendum eſſe, περὶ τὰ ιε' μόνα, ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ Κύρου; & totam pericopam ita vertit; *At cum Cyri regnum nequeam hujusmodi reſtringere ſpatio, ne divinæ videar adverſus ſcripturæ, & Eccleſiaſticis Scriptoribus cunctis Cyri imperium annis 31 definire ſolitis: ex annis à quibusdam Ocho dubie conceſſis, qui ſupereſſe mihi credebantur, ſolos quindecim detractos, ad Cyri annos adjeci: eoque pacto conſonum* (*ferme*) *in cunctis laterculum haberi dignoſcitur*. Confer p. 255. D. ubi Syncellus dicit, *Ocbus annis 5. ſecundum quosdam 20. regnavit*. Sed hæc Goari correctio mihi non arridet, ſcopus enim Syncelli hoc in loco, ut mihi videtur, eſt, indicare, non quot annos Ocho abſtulerit & Cyro attribuerit, ſed quot annos tantum Ocho reliquerit, ipſique in Canone ſuo aſſignaverit: adeoque potius illud περὶ τὰ, utpote errore librarii ortum ex voce περιττὰ repetitâ, nec non illud κύρου, utpote irreptitium, delerem, & poſteriora verba ſic legerem, ἐξ ἀνάγκης ἐκ τῶν Ὤχου χρόνων, ἀμφιβαλλομένων παρ' ἐνίοις, ὑφελῶν ἔτη, ἃ δοκοῦντα εἶναι περιττὰ, ε' μόνα ἐπ' αὐτοῦ ἐστοιχείωσα καὶ ἔστι ὁ Κανὼν σύμφωνος. Eaque ita verterem; *Neceſſario, ab Ochi annis, qui apud quosdam controvertuntur* (vel, *dubii ſunt*) *auferens annos, qui videntur eſſe ſuperflui, 5 tantum ipſi aſſignavi. Et ipſe Canon redditur conſonans* (vel, *concors.*) Quo ſenſu autem Canonem hoc modo concordem fieri dicat Syncellus, vix aſſequi poſſum. Primo intuitu de concordia Canonis Eccleſiaſtici cum Canone aſtronomico cogitandum videtur, juxta ea, quæ p. 207. C. dixerat. Sed, præterquam quod Canonis Eccleſiaſtici ſumma totalis collecta iniri præciſe non poteſt, quia columna annorum collectorum ab eo abeſt, adeoque ex ipſo Canone, an Magorum, aliorumque menſes ſint negligendi, an vero & quomodo ſint computandi, determinari non poſſit, ipſe ille Canon Eccleſiaſticus, quocunque eum computaveris modo, exactam cum Canone aſtronomico in ſumma finali concordiam & ἰσότητα non ſervat, ſed eum ad minimum triennio, ad maximum quinquennio excedit. Fateor, ex Nota marginali

nali p. 209. B. colligeres Artaxerxi Longimano, non 43, ſed 41 tantum annos eſſe tribuendos; quo exceſſus biennio minueretur. Sed hæc Goari nota marginalis, ut mihi videtur, non orta eſt ex aliquo Chronographiæ Syncellianæ MS^{to}, ſed ex eo, quod Syncellus in propria ſua Chronographia p. 251. C. ei tribuat annos 41 tantum: In eo autem Syncellus a Canone recedit, idque ſtudio ut videtur, quia non tantum Magorum menſes 7 pro anno numeraverat, ſed etiam Artabanum (qui in Canone Eccleſiaſtico non comparet & forte ex eo excidit) cum menſibus 7, recenſet, eique annum unum attribuit p. 251.; ſicut etiam Xerxis menſes & Sogdiani menſes 7, ſimul pro anno numerat, p. 255. A. ita ut Syncellus in propria ſua Chronographia a Cyri anno 1° uſque ad Darii Arſami annum ultimum colligat annos 213, & additis Alexandri annis 6, ſimul annos 219. Qui adjecti ad annos 209, a Nabonaſſaro ad Cyrum, in Canone Eccleſiaſtico collectos, faciunt annos 428, non ut *oportebat*, 424. Ubi ergo illa, quam jactat Canonis concordia. Conjectura mea hac de re hæc eſt, quod Syncellus hoc in loco, de quo agimus, reſpiciat, non Canonem Eccleſiaſticum p. 208 & 209 propoſitum, ſed Canonem Regum Perſarum ſuum proprium in ſua Chronographia ſucceſſive exhibitum: nam illa annorum Ochi decurtatio, quæ annos imperii 5 tantum ipſi relinquit, hoc efficit, ut annus Darii Arſami ultimus cadat in Mundi annum 5164um, p. 256 C. & per conſequens, additis Alexandri annis 6, mors Alexandri incidat in Mundi annum 5170um; quod ſuſceperat demonſtrandum p. 206. D. 207. A. & 231. C. καὶ ἔστι ὁ Κανὼν σύμφωνος. Ab anno 1° enim Nabonaſſari, qui eſt Syncello Mundi annus 4747us uſque ad mortem Alexandri & Mundi annum 5170um incluſive, numerantur anni 424.

En alterum ἀβλεψίας Syncellianæ ſpecimen, qui de regni Perſarum fine quidem cogitavit, minime vero de ejus initio; dum Cyri annum 1um cum Mundi anno 4952° componit, p. 232. D. Nam a Mundi anno 4952° incluſive, uſque ad Mundi annum 5170um incluſive, ſunt anni 219. Qui, ab anno Canonis 424° incluſive, retronumerati, indicant Cyri annum 1um incidere in Canonis annum 206um. Ab anno autem Mundi 4747°, qui eſt annus a Nabonaſſaro 1us uſque ad Aſtyagis annum 1um excluſive, numerantur, in Canone Eccleſiaſtico, anni 192; adeoque inter annum Canonis 192um, qui eſt annus Nerigliſſari ultimus, & annum Canonis 206um, qui eſt Cyri primus, relinquuntur, pro annis imperii Aſtyagis, anni intermedii, tantum 13. Cum tamen ipſe Canon Eccleſiaſticus Aſtyagi adſcribat annos 17, ipſo Syncello hoc agnoſcente

cente p. 231. C. prætereà, quod propriam Syncelli Chronographiam attinet, Aſtyagi annus 1us ipſi eſt Mundi 4921us; p. 231. B. cum autem Cyri 1us ipſi ſit Mundi 4952us, patet, pro annis Imperii Aſtyagis, relinqui annos 31, quod nec cum Canone Eccleſ., qui ei tribuit annos 17, nec cum ipſius Chronographia, in qua ei dantur anni 38, convenit.

Hæc ad illum Canonem Eccleſiaſticum, a Syncello exhibitum fuſius notare volui, ut conſtaret, eum non adeo magnæ eſſe auctoritatis, niſi teſtimonio veterum Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum confirmetur.

His dictis hoc addo, quod Syncellus, p. 210. A. ſic ſcribat, Χαλδαίων ιϛʹ ἐβασίλευσεν Ναβοπολάσαρος ἔτη καʹ, ὁ πατὴρ τοῦ Ναβουχοδονόσορ, κατὰ δὲ ἄλλους ἔτη κεʹ. Illud *ſecundum alios*, *annos* 25. non reſpicit Canonem Aſtronomicum, aut Canonem Eccleſiaſticum, nam in utroque Canone, æque ac in Syncelli propria Chronographia, Nabopolaſſaro tribuuntur anni, non 25, ſed 21.

VIII.

Notitia hujus Canonis ex Sethi Calviſii editione.

Calviſius in Iſagoge ad opus ſuum Chronologicum, Cap. XI. de Epocha Nabonaſſarea p. 78, 79. editionis anni 1650, qua uſus ſum: de hoc Canone, & ſua hujus Canonis editione ſic ſcribit:

Ptolemæus Aſtronomus habuit Canonem Mathematicum, in quo ab initio hujus Epochæ (Nabonaſſareæ) reges Aſſyriorum, Babyloniorum, & Medorum; inde Perſarum, poſt Ægyptiorum, & tandem Romanos Imperatores ordine usque ad ſua tempora nominatim recenſet, & quot quiſque annos præfuerit annotat, eosque annos in unam ſummam ſemper colligit, & incipit ab anno primo Nabonaſſaris a meridie diei 26 Februarii Juliani Feria quarta.

Mentio hujus Canonis frequens eſt apud quosdam Eccleſiaſticos, & apud Georgium Syncellum, Anianum, & Panodorum:

Apud eosdem Joſephus Scaliger eundem invenit, ſed valde corruptum, quem inſeruit tertio Libro ſuorum Canonum Iſagogicorum.

Ego hunc Canonem Mathematicum Ptolemæi integrum & incorruptum ex Manuſcripto exemplari Ptolemæi, quod habetur Londini in Anglia, beneficio Clariſſimi Viri D. Overalli Decani Eccleſiæ Paulinæ ibidem, per Reverendum & Clariſſimum Virum Abrahamum Scultetum, Electori Palatino a con-

concionibus & conſiliis Eccleſiaſticis, accepi. Literarum ejus ad me fragmentum, quod huc pertinet, apponam. Cum Sereniſſimum Electorem ſecutus, in Anglia totam hiemem ibi transigerem, vidi in magno pretio in Anglia apud viros magnos haberi tua ſcripta, præcipue apud Doctorem Overallum, Decanum Eccleſiæ Paulinæ, virum ſupra fidem doctum. Is te per me ſalutari voluit, & mittit ex MSS. Ptolemai, quæ incluſi, cupitque ut primo quoque tempore tuum judicium ad nos perſcribas, ut ego ad ſe. Tu facies quod tibi vel amor noſtri, vel magni Overalli autoritas ſuaſerit, & ſic valebis. Heidelbergæ 1613. 30 Maji.

Tum ſequitur ipſe Ptolemæi Canon, cum hac inſcriptione; *Ex Manuſcripto libro Græco Claudii Ptolemæi, continente hypotheſes Planetarum.*

Deinde ſic pergit Calviſius: *Hic Canon omni auro pretioſior eſt. Et ſi dudum innotuiſſet, res Chronologica multo melius ſe haberent, nec adeo in diverſas ſectas Chronologi abiiſſent, &c.*

Optime igitur Ampliſſimus & Clariſſimus Vir D. Overallus de repub. literaria meritus eſt, dum nobilem hunc Canonem hac occaſione publicum fecit, pro quo beneficio & ego magnas ipſi gratias ago, & agent omnes, qui veritatem Chronologicam amant.

NB. Hæc ſcribebat Calviſius, cum Operis ſui Chronologici editionem ſecundam moliretur, cui molitioni immortuus eſt anno 1615°, die Novembris 23°, Ætatis 60°. Adeoque, ut videtur, ipſo ſuo anno emortuali, Chriſti 1615°. Prodiit autem hæc editio ſecunda, & in ea hic Canon, anno 1620°.

Quod ipſum Canonem attinet,

a. Hic Canon, a Calviſio editus, hunc habet titulum: ΚΑΝΩΝ ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ.

b. Incipit a Nabonaſſaro, deſinit in Antonino, colligitque annos Ægyptiacos 907.

c. Habet hanc ſubſcriptionem, a deſcriptore adjectam, *Huc uſque ſupputatio Ptolemæi.*

d. Hic Canon quaſi in partes diſtinguitur per has Regum vel Regnorum deſignationes.

Ἀσσυρίων καὶ Μήδων, ſcilicet βασιλειῶν.

Περσῶν βασιλειῶν.

Ἑλλήνων βασιλ.

Ἑλλήνων βασιλ. ἐν Αἰγύπτῳ.

Ῥωμαίων βασιλεῖς.

e. Habet proprie Columnas tres, quarum

 Prima

Prima continet nomina Regum,

Secunda annos imperii ſingulorum regum, cum hoc titulo ΕΤΗ.

Tertia annos regum collectos, cum hoc titulo ΣΥΝΑΓΩΓΗ.

f. Tertia hujus Canonis columna, quæ annos regum collectos continet, in duas dividitur, quarum una annos collectos literis numeralibus Græcis, altera eosdem Cyfris exprimit.

g. In hoc Canone proprie duæ tantum Epochæ dinumerantur, quarum

Prima a Nabonaſſaro inchoata, uſque ad Alexandrum M. incluſive, prorogatur, ibidemque deſinit, colligens annos 424.

Secunda inchoatur a morte Alexandri, ſeu ab initio regni Philippi Aridæi, & ad hujus Canonis finem prorogatur, colligitque annos 483. a Philippo quidem uſque ad Auguſtum annos 294. ab Auguſto vero uſque ad Antoninum, incluſive, reliquos 189.

h. Columna illa ultima, in qua Epocha a Nabonaſſaro, etiam poſt Alexandri mortem, continuatur uſque ad Canonis finem, non reperitur in Textu Græco, ſed a deſcriptore addita, & Cyfris tantum expreſſa eſt.

i. Nulla Columna in hoc Canone occurrit, in qua anni collecti ab Auguſto dinumerantur; ita ut Epocha ab Auguſto ab hoc Canone abſit.

k. In hoc Canone Alexander M. non ſub titulo Περσῶν βασιλειῶν, ſed ſub titulo Ἑλλήνων Βασιλ. ſubordinatur.

l. Omnia Regum nomina in hoc Canone, in genitivo caſu exprimuntur.

IX.

Notitia hujus Canonis ex Bainbrigii editione.

a. Quum hæc ſcriberem anno 1731, Bainbrigii editionem videre mihi non licuit. Reperitur autem ea in Biblioth. Lugduno-Batava, inter Mathem. in 4°, № 202.

b. Dodwellus, in Obſervationibus ſuis huic Canoni a ſe edito adjunctis, p. 24. de Canone a Bainbrigio edito hæc habet: *Quod in Theodoſio majori ſuum finierit Canonem Bainbrigius, eſt quod ſuſpicemur non aliqua MS^ti fide, ſed ſua potius conjectura id feciſſe Bainbrigium, & Catalo-*

talogum ſuum poſteriori parte mutilaſſe. Nullum reperit Codicem Walliſius in Cimeliis Savilianis, qui Theodoſium ultimum numerarit. Nec aliunde veriſimile eſt, ſua accepiſſe Bainbrigium. Convenit certe etiam in ſcribendis minutiis cum priori noſtro Codice Saviliano, quem deſcripſerat Uſſerius. Nec etiam uſquequaque convenit cum tempore, quo Catalogum ſuum confecit Theon, finis Theodoſii. Idem Dodwellus in Notis Canoni ſuo ſubjunctis, p. 26. col. 2, ad numerum 9um, hæc notat: *Hucusque Bainbrigius, ſed pro ſuo forte arbitrio. Inter Savilianos enim Codices, quibus uſus eſt Bainbrigius, nullum reperit Walliſius, qui hic (in Theodoſii Magni fine) deſierit.*

c. Bainbrigii editionem videre & perluſtrare primum mihi contigit menſis Martii die 17° anni 1732di: Quum in his de Canone Regum Aſtronomico Obſervationibus conſcribendis jam perveneram ad §um 20. Lit. B.

d. Habet autem hæc Bainbrigii editio hunc titulum generalem: Πρόκλυ Σφαῖρα. Πτολεμαίυ περὶ ὑποθέσεων πλανωμένων. *Procli Sphæra. Ptolemæi de hypotheſibus Planetarum liber ſingularis, nunc primum in lucem editus. Cui acceſſit ejusdem Ptolemæi Canon Regnorum. Utrumque librum ex Codicum MS. collatione ſumma diligentia reſtituit, Latine reddidit, & figuris illuſtravit Joh. Bainbridge Med. Doctor, & Aſtronomiæ in celeberrima Oxonienſi Academia Profeſſor Londini, excudebat Guilielmus Jones.* 1620.

e. Excerpta ex Bainbrigii præfatione ad Lectorem. *Duas in artibus Mathematicis profeſſiones liberalibus ſtipendiis inſtituiſſe, non magni æſtimavit magnificus & prudentiſſimus noſter Mæcenas (Henr. Savilius,) niſi antiquos etiam eosque optimos Matheſeos magiſtros in cathedras ſuas .... reſtitueret: comparatis in hunc finem variis antiquorum exemplaribus Græcis Manuſcriptis. Ad quorum regulam & normam Euclidem* τετράγωνον, καὶ ἀνεπιψόγυ *fecit facietque doctiſſimus meus collega H. Briggius. Eorundem etiam radiis Ptolemæus a me tandem (ſpero) illuſtrabitur. At cum difficilis admodum & obſcurus ſit in Magnam illam Syntaxin aditus, hanc duplicem* εἰσαγωγὴν *faculas præferentem præmittere placuit. Alteram titulo quidem Procli, jure tamen Gemini Geometræ & Aſtronomi nobiliſſimi, ex cujus in* φαινόμενα *Iſagoge eam totam & ad verbum* λογιώτατος *excerpſit Proclus. Alteram Ptolemæi & nomen præferentem, & ingenium, geniumque referentem. Sphæram ... duobus Gemini codicibus MS. uſus, jam integram & accurate ſphæricam exhibeo: &c. Ad hypotheſes reconditiſſ. Aſtronomiæ thecas venio, quas annos fere* 1500 ἐν σκότει τεθησαυρισμένας

 ex

ex eodem tandem Matheſeos ſacrario (hoc eſt, Muſeo Saviliano) *depromptas, in lucem meliorem primus profero. at quanto labore, quanta cura eas repurgavi! ex tribus enim exemplaribus MS. ne unum quidem integrum aut incorruptum fuit, omnibus ſimiliter inquinatis, eademque fere conſpurcatis labe. Multas lacunas (parentheſi incluſas) explevi. Omnes periodos & Epochas ad Magnæ Syntaxis leges & numeros analyſi non ita facili retexui, plurimasque vitiatas reſtitui.*

In latitudinem vero hypotheſibus nihil mutare volui: hic enim Ptolemæus prudens (ſi quid judico) ab illis in Syntaxi conſtitutis deſciſcit, aliasque faciles, expeditas, longeque veriores candide proponit.

His tandem adjunximus aureum illum ex pulcherrimo Κανόνων προχείρων *volumine MS. deſumptum Regnorum Canonem, in motibus cœleſtibus ad antiqua illa ſæcula ſupputandis (ut* Χρονολογίαν *præteream) perneceſſarium. Quo ad Antonini Pii regnum uſus eſt ipſe Ptolemæus. Reliquum a Theone (Ptolemæi interprete) additum fuiſſe mihi valde perſuadeo.*

Tralationem & Sphæræ & Hypotheſium Latinam feci &c.

f. Quod Ptolemæi de hypotheſibus planetarum Librum attinet;

Præfatio, ſeu procemium hujus Libri ſic incipit: Τὰς ὑποθέσεις ὦ ΣΥΡΕ τῶν οὐρανίων φορῶν ἐν μὲν τοῖς τῆς μαθηματικῆς Συντάξεως ὑπομνήμασιν ἐφοδεύσαμεν διὰ λόγων, ἀποδεικνῦντες &c. Unde patet Ptolemæum hoc opuſculum dedicaſſe eidem Syro, cui etiam magnam Syntaxin & Libros de Judiciis Aſtrorum dedicaverat, illudque poſt magnam Syntaxin ediddiſſe.

In hoc Libro videtur, Epochas quinque Planetarum, Solis item ac Lunæ, conſtituere in primo anno Philippi Aridæi. Et quidem *Solis*. C. 4. p. 14. *Lunæ*. C. 5. p. 19. *Mercurii*. C. 6. p. 25. *Veneris*. C. 7. p. 30. *Martis*. C. 8. p. 35. *Jovis*. C. 9. p. 40. *Saturni*. p. 45. C. 10. Deſignatio temporis fit hoc modo: Ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει ἀπὸ τῆς Ἀλεξάνδρου ΤΟΥ ΚΤΙΣΤΟΥ τελευτῆς, κατ' Αἰγυπτίους Θὼθ α̅, τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μεσημβρίας, p. 14. in reliquis locis eodem modo, omiſſo tamen illo ΤΟΥ ΚΤΙΣΤΟΥ.

g. Quod ipſum Canonem Regum attinet,

1. Hic Canon a Bainbrigio, cum ſua verſione Latina editus, hunc habet titulum: ΚΑΝΩΝ ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ. & nullam aliam inſcriptionem: neque etiam nomen Ptolemæi.

2. Incipit a Nabonaſſaro, deſinit in Theodoſio Magno, colligitque a Nabonaſſaro ad Alexandri mortem annos 424. & inde ad finem Theodoſii Magni annos 714.

3. Nullam habet ſubſcriptionem, ſed inter Antoninum Pium & Theodoſium Magnum ſpatium vacuum unius lineæ.

4. In partes quaſi diſtinguitur per has Regum vel Regnorum deſignationes:

Βασιλέων.

Ἀσσυρίων καὶ Μήδων.

Περσῶν βασιλ.

Ἑλλήνων βασιλ. ante Alexandrum M.

Ἑλλήνων βασιλ. ἐν Αἰγύπτῳ.

Ῥωμαίων βασιλ.

5. Habet Columnas proprie tres, quarum

Prima continet nomina Regum, in genitivo caſu expreſſa.

Secunda, annos Imperii ſingulorum Regum, cum hoc titulo ἔτη.

Tertia, annos Regum collectos, cum hoc titulo συναγωγή.

6. In hoc Canone proprie duæ tantum Epochæ dinumerantur: quarum una, a Nabonaſſaro inchoata, uſque ad Alexandri mortem prorogatur, ibidemque deſinit, colligens annos 424. Altera ab Alexandri morte, ſeu ab initio regni Philippi Aridæi inchoatur, & ad hujus Canonis finem prorogatur, colligitque annos 714.

7. Nulla itaque in hoc Canone columna occurrit, in qua anni collecti, vel ab Auguſto, vel a Diocletiano dinumerantur; ita ut utraque hæc Epocha ab hoc Canone abſit.

8. In ſerie Romanorum Imperatorum nullum inter *Carum* & *Diocletianum* interſtitium ponitur: neque ante Conſtantinum M. inſeritur hic titulus intermedius, Χριστιανῶν Ῥωμαίων βασιλεῖς, ut in Dodwelliana editione.

X.

Notitia hujus Canonis ex Petavii editione aliisque ejus ſcriptis.

a.

Ex Petavii Opere de Doctrina Temporum, quod prodiit anno 1627.

Petavius in Opere de Doctrina Temporum L. 9. C. 52. edidit Latine Canonis hujus partem priorem, a Nabonaſſaro uſque ad Alexandrum.

drum M. annorum 424. cum hoc titulo, *Canon Mathematicus Babyloniorum Regum.* p. 126.

Et ibidem p. 125. D. ſic ſcribit: *Hunc Canonem Ptolemæi nomine nuper ediderunt: quem & Scaliger in Collectaneis expreſſit. Nos ex utraque illa editione nominum* ὀρθογραφίαν, *pro eo atque probabilius viſum eſt concepimus.* Confer L. 10. C. 7. p. 165. A. ubi dicit: *Qui ex Ptolemæo ſupra redditus eſt a nobis Canon Mathematicus, quemque in Euſebianis excerptis, quæ ex Georgio Monacho concinnavit Scaliger, p. 38. deſcripſit, Chaldæos reges omnes a Nabonaſſaro ad Alexandrum uſque Magnum complectitur.* Vide quoque p. 179. D. & p. 215. B.

Idem, L. 10. C. 64. p. 272. D. notat, *Ptolemæum in Canone regum, Ægyptiorum regum tempora, hoc eſt, Græcorum ab Alexandro principum in Ægypto ſucceſſionem cum Romanis Imperatoribus pertexere: & a morte Cleopatræ, Auguſto tribuere annos Imperii* 43. Et L. 11. C. 22. p. 334. B. ſic ſcribit: *Hoc Ptolemæi a Romanis Faſtis diſſidium cum perdiu miratus eſſem; nec ullum ejus probabilem cauſam excogitare poſſem: tandem in Ptolemaicum Canonem incidi, qui inſcribitur* Κανὼν βασιλέων, *in quo regum & imperatorum a Nabonaſſaro ſeries continetur, qui Aſſyriis, Perſis, Græcis, Ægyptiis, Romanisque præfuerunt: ac Babylonem & Ægyptum obtinuerunt. In eo Canone cum Imperii cujuſque tempus, & annorum Nabonaſſareorum ſumma comprehenſa ſit, animadvertimus Romanorum principum initia a Cajo Caligula uno anno deinceps anteverti, &c.*

B.

Ex Operis de Doctrin. Tempor. Auctario, quod prodiit anno 1630.

Petavius in Auctario Operis ſui de Doctrina Temporum L. 5. C. 4. p. 200. B. *Theo* (inquit) *de Alexandrinorum anno illo verba faciens, hujus Epocham conſtituit in anno V Auguſti Cæſaris; Actiaco nimirum: quod Auguſti primordium ab Aſtronomis uſurpari ſolet; & in Canone Ptolemaico ponitur. Thoth Auguſteus Actiacus eſt Nabonaſſari 719 iniens. Annis quinque exactis, ſextus Auguſteus incipit anno Nabonaſſari 724, quo primum Thoth vagus ad Auguſti menſis 29 diem pervenit, quæ erat Epocha Actiaca. Hinc fixus annus Alexandrinorum ſive Græcorum apud Theonem & aſtronomos reliquos ab hoc capite deſcendit. Itaque Theo ab anno primo Philippi*

Aridæi

Aridæi ad initium Diocletiani numerat annos 607. ab initio Diocletiani ad Ætatem ſuam annos 77, fiunt anni 684 ab Auguſti vero anno primo ad Diocletianum annos putat 313. deductis quinque, reſtant anni τῆς ἐπικαζασάτεως, &c. NB. Hæc ſcripſit Petavius poſtquam Theonem ipſum εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας viderat. (ut dicit hac ipſa pagina 20c^a^, Lit. A.) & hunc Theonis Librum, nondum editum, penes ſe ſcriptum habebat, deſcriptum, ut videtur, ex Codice Bibliothecæ regiæ. (ut dicit, ibidem C. 3. p. 194. C.)

Idem, ibidem, L. 8. C 4. p 303. B *Fuit apud aſtronomos in uſu Canon quidam, ſive laterculum regum, qui a Nabonaſſaro ad Antoninum uſque propagatur: nimirum ad Ptolemæi tempora: qui a Chaldæis traditum Canonem Romanis Imperatoribus auxiſſe videtur. Verum in libro* προχείρων Κανόνων, *qui Tabulas Aſtronomicas complectitur, Canon idem a Philippo Aridæo incipit; ut in manuſcriptis Codicibus apparet, qui Theonis Commentarios* εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας *exhibent. Igitur a morte Alexandri, & Thoth Philippi ad mortem Cleopatræ anni colliguntur 294. Inde Auguſti Cæſaris 43. . . . Intervalla porro annorum a Neomenia Thoth, quæ principum mortem proxime conſecuta eſt, in illo Canone procedunt. Mortuus eſt Alexander M. anno primo ineunte Olympiadis CXIV^æ^, Per. Jul. 4390, anno Nabonaſſari 424°, qui cœpit Novembris 12°. Quare Thoth Philippi Aridæi, ſive mortis Alexandri, convenit in Novembris 12um anni ejusdem Per. Jul. 4390. & initium dedit anno Nabonaſſari 425°. Hæc eſt epocha* τῶν προχείρων Κανόνων *Ptolemæi à qua anni ſunt Ægyptiaci 294 abſoluti ad Thoth Actiacum &c.* Hæc (NB) ſcripſit Petavius, quum in eo eſſet, ut inſigne Georgii Syncelli fragmentum (ex ejus Chronographia, p. 325. C. & p. 327. C.) in lucem ederet, & illuſtraret: ex quo Syncelli loco, varia, quæ hic de hoc Canone dicit, haurire potuit.

y.

Ex Rationario Temporum cujus 3^a^ editio prodiit anno . . .

Petavius in ſuo Rationario Temporum, tertiæ Editionis Parte 2^a^, L. 1. C. 16. p. 54 edit. Franeq 1694. ſic ſcribit: *Id oſtendit Canon ille Mathematicus Ptolemæi, in quo Babylonii reges deſcripti ſunt: qui in fine hujus partis editus eſt Græce & Latine, extatque in Theonis libro nondum edito, qui* πρόχειροι Κανόνες *inſcribitur: cujus nos partem illam, quæ*

Babyloniorum regum ſeriem continet in L. 9° de Doctr. Temp. (C. 52) *exſcripſimus.*

Præterea in ſuo Rationario Temporum, hujus Canonis meminit. P. 1a. L. 2. C. 6. p. 75. P. 2a. L. 3. C. 3. 4. 5. 8. & L. 4. C. 6. p. 212, ubi tamen, errore, ut videtur Librarii, legitur, quod hic Canon, qui in fine hujus partis editus eſt, inſcribitur Κανὼν ΒΑΣΙΛΕΙΩΝ, cum inſcribatur Κανὼν ΒΑΣΙΛΕΩΝ: idque ex mente Petavii. Confer de Doctr. Temp. L. XI. C. 22. p. 334. B.

Denique in hujus Rationarii editione tertiâ occurrit hoc Petavii de ſua hujus Canonis editione, *ad Lectorem* monitum (quod in edit. Franeq. anni 1694. parti primæ præmittitur).

Ad Lectorem.

Cum Canonis cujuſdam Mathematici ſæpe mentionem fecerimus hoc in opere, quem Ptolemæus in computandis Regum & Imperatorum annis adhibuit, utile viſum eſt, eum hoc loco deſcribere; cujuſmodi veteribus Manuſcriptis legitur & nos eundem in Theonis Commentariis εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας deprehendimus. Hunc porro ex Græco Codice vetuſto Bibliothecæ regiæ nonnihil hac editione caſtigavimus; variantes iidem aliquot Lectiones ad marginem adſcripſimus. In tertia ſerie Græcorum regum editiones aliorum, & quæ hanc antecesſit Rationarii noſtri ſecunda, iſtud lemma præfigunt Ἑλλήνων βασιλεῖς, tum Alexandrum cum duobus reliquis ei ſubjiciunt. At Codex ille regius Alexandrum Perſicis regibus adſcribit: quod hic amplexi ſumus cum eo, quem ibidem reperimus, titulo.

Utinam Petavius illum MStum Codicem Bibliothecæ Regiæ diſtinctius deſcripſiſſet, &, an idem cum illo, in quo Theonis Commentarius εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, & forte etiam ipſi οἱ πρόχειροι Κανόνες continebantur, an vero diverſus ab illo eſſet, hic monuiſſet.

Ex ipſo Canone Regum Mathem. qui ad calcem Rationarii Petav. tertiæ editionis ſubjungitur.

1. Hic Canon hunc habet titulum, Πτολεμαίου Κανὼν βασιλείων.
2. Incipit a Nabonaſſaro, deſinit in Antonino: colligit a Nabonaſſaro ad

ad mortem Alexandri M. annos 424. & a Philippo Aridæo, qui Alexandro ſucceſſit, uſque ad mortem Antonini annos 483. Simul annos 907.

3. Nulla ei ſubſcriptio ſubjungitur.

4. Hic Canon quaſi in partes diſtinguitur per has Regum deſignationes, ſeu hos titulos intermedios:

Ἀσσυρίων καὶ Μήδων.

Περσῶν βασιλεῖς.

Ἔτη βασιλέων τῶν μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως τελευτήν.

Ἑλλήνων βασιλεῖς ἐν Αἰγύπτῳ.

Ῥωμαίων βασιλεῖς.

5. De hoc tertio titulo & de diverſa Alexandri M. ſubordinatione, vide præcedens Petavii monitum ad Lectorem.

6. Hic Canon dividitur in tres Columnas, quarum

Prima continet nomina Regum,

Secunda annos imperii ſingulorum Regum: cum hoc titulo, Ἔτη.

Tertia annos Regum collectos: cum hoc titulo, Συναγωγή.

7. Duæ tantum in hoc Canone occurrunt Epochæ, quarum

Una, a Nabonaſſaro inchoata, uſque ad Alexandri mortem prorogatur, ibidemque deſinit, colligens annos 424.

Altera a morte Alexandri ſeu ab initio Philippi Aridæi inchoatur, & uſque ad hujus Canonis finem hoc eſt Antonini mortem prorogatur, colligitque annos 483.

8. Nulla in hoc Canone columna occurrit, in qua anni collecti ab Auguſto dinumerantur: ita ut Epocha annorum, ab Auguſto ab hoc Canone abſit.

9. Variantes Lectiones ad hujus Canonis marginem adſcriptæ, ſola regum, & quidem Aſſyriorum & Medorum tantum, nomina concernunt: præterquam quod etiam ad nomen Philippi, Alexandri ſucceſſoris, varia quaſi lectio in margine adſcribatur. In Textu enim legitur, Φιλίππου τοῦ μετ᾽ Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην, uti in Theonis Commentario εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας appellatur: In margine autem notatur, Φιλίππου τοῦ Ἀριδαίου, uti Calviſii habet editio.

10. Omnia Regum nomina, in hoc Canone, *genitivo* caſu exprimuntur.

ε.

Obſervationes quædam Dodwelli in hunc Canonem, a Petavio editum.

Henricus Dodwellus in Prolegomenis in Appendicem ad Diſſertationes ſuas Cyprianicas, & in notis ſuis ad Canonem regum Aſtronomicum, a ſe editum, quædam habet, quæ ad notitiam hujus Canonis a Petavio editi, facere poſſunt:

a. Dodwellus in ea opinione erat, quod Petavius hunc Canonem, Rationario ſuo Temporum ſubjunctum, ediderat ex variis MSS^tis^. Hoc expreſſe dicit in Calce Prolegomenum, poſt §^um^ LXII. p. 23. col. 2. edit. Oxonienſis, anni 1682; in folio, poſt Cypriani Opera. Unde etiam ſæpius de Codicibus MSS^tis^ Petavii in plurali loquitur.

b. Putabat inſcriptionem Canonis Petaviani, quæ ita concepta eſt, Πτολεμαίε Κανὼν βασιλέων, eſſe ex MSS^tis^ Petavii Codicibus. Ita enim ſcribit in Prolegom. §° XXIII. p. 11, Col 1. *Ipſi certe Ptolemæo hunc etiam Canonem tribuerunt codices Petavii, tribuit Syncellus.* Et addit, *quod porro βασιλέων alii, alii βασιλειῶν hunc Canonem appellent, eadem redit utrovis modo legas.*

c. Dubitabat, an MSS^ti^ Petavii Codices in fine Imperii Antonini defierint. Sic enim ſcribit in Prolegom. §° LX. p. 23. col. 1. *& quidem, ſi recte MSS^tos^ ſuos, nec pro arbitrio mutilatos, repræſentarit Petavius, & vere illi in Antonino Pio deſierint; fieri quidem poteſt, ut ipſe Ptolemæus Canonem euſque perduxerit, (ſi tamen finem attigerit Antonini) & fieri rurſus potuit, ut ab eo ipſo loco reliqua ſuppleverint recentiores.* In Notis vero, quas Canoni, a ſe edito ſubjunxit, p. 25. col. 2. n° 14. hæc habet: *Hucuſque* (ad finem nempe Imperii Antonini Pii) *codices Petavii, & fortaſſe Ptolemæus. eſt tamen merito dubitandum, pertigeritne Ptolemæus ad finem Pii.*

ζ.

Obſervationes meæ, ad ea, quæ Petavius de Canone Regum, a ſe edito dicit in locis ſupra adductis, imprimis de MSS^tis^ ſuis Codicibus.

1°. In genere obſervamus, Petavium de MSS^tis^ ſuis Codicibus, qui-

bus in hoc Canone edendo uſus eſt, non ſatis diſtincte loqui: ut jam ſupra monui. Unde etiam ſequentes Obſervationes noſtræ pro conſiderationibus & conjecturis tantum habendæ ſunt.

2° *Hunc Canonem Ptolemæi nomine* (dicit de Doctr. Temp. L. 9. C. 52. p. 125. D.) *nuper ediderunt, quem & Scaliger in collectaneis* (Euſebianis, ex Syncello) *expreſſit. Nos ex utraque illa editione nominum* ὀϱθογϱαφίαν *pro eo atque probabilius viſum eſt concepimus* (in parte ſcilicet hujus Canonis priore, a Nabonaſſaro ad Alexandrum, quam l. c. Latine tantum edebat.).

Per *utramque illam editionem*, non intelligit, meo judicio, editionem Calviſii, atque editionem Bainbrigii, quæ nuper prodierant eodem anno 1620, ſed intelligit editionem Calviſii, & editionem Scaligeri, ex Georgii Syncelli Chronographia, tunc nondum edita, inter reliquias Græcas Canonum Chronicorum Euſebii, quæ prodiit anno 1606. Nam de utraque illa, una ſcilicet nuper edita, & altera Scaligeri, clare locutus erat. Præterea diverſitas ὀϱθογϱαφίας in regum nominibus non tam inter Calviſii & Bainbrigii editiones, quam inter Calviſii & Scaligeri editiones obtinuiſſe videtur. Quod autem ad Calviſianam potius editionem, quam ad Bainbrigianam reſpexerit Petavius, inde colligo; quia Calviſii æque ac Petavii hujus Canonis editio in Antonino deſinebat, Bainbrigii vero ulterius ſe extendebat uſque ad Theodoſium Seniorem. Unde an hæc Bainbrigii editio Petavio viſa fuerit, dubitari poteſt; nullibi enim Canonis eouſque progredientis mentionem facit, quantum mihi conſtat.

3° *Tandem* (inquit, de Doctr. Temp. L. 11. C. 22. p. 334. B.) *in Ptolemaicum Canonem incidi, qui inſcribitur* Κανὼν βασιλέων, *in quo Regum & Imperatorum a Nabonaſſaro ſeries continetur, qui Aſſyriis, Perſis, Græcis, Ægyptiis, Romaniſque præfuerunt: & Babylonem & Ægyptum obtinuerunt.*

An ille, in quem inciderat, Ptolemaicus Canon fuerit manuſcriptus, an vero ille, quem nuper ediderant, non dicit. Quæ de eo Canone dicit, cum Calviſii editione ſatis conveniunt. Si hoc unum exceperis, quod ille, ut dicit, inſcribitur Κανὼν βασιλέων, cum in Calviſii editione inſcribatur Κανὼν βασιλειῶν.

4° *Fuit* (inquit, in Auctario, L. 8. C. 4. p. 303. B.) *apud Aſtronomos in uſu Canon quidem, ſive laterculum regum, qui a Nabonaſſaro ad Antoninum uſque propagatur: nimirum ad Ptolemæi tempora: qui a Chaldæis traditum Canonem, Romanis Imperatoribus auxiſſe videtur.*

An ergo Canon ille, a Chaldæis traditus, præter Babyloniorum reges

uſque ad Alexandrum M. etiam Ægyptiorum Regis uſque ad Cleopatræ mortem continebat? vix credo. Vide Syncellum p. 206—208.

Ibidem, ſic pergit: *Verum in libro πρόχειρων Κανόνων, qui Tabulas aſtronomicas complectitur, Canon idem a Philippo Aridæo incipit, ut in Manuſcriptis Codicibus apparet, qui Theonis Commentarios εἰς τοὺς πρόχειρους Κανόνας exhibent.* Et paulo poſt, annum Philippi Aridæi 1um in periodo Juliana determinans, addit: *Hæc eſt ἐποχὴ τῶν προχείρων Κανόνων Ptolemæi.*

Inter Tabulas Aſtronomicas, quæ proprie πρόχειροι Κανόνες appellantur, & a Tabulis aſtronomicis in Ptolemæi μεγάλῃ συντάξει diſtinguuntur, fuiſſe etiam Canonem Regum aſtronomicum, Syncellus ſæpius, & etiam in inſigni illo loco, quem Petavius hic profert & illuſtrat, ſatis clare innuit, ut ſupra oſtendimus.

Certum quoque eſt, etiam ex Syncello, & hoc ex ejus Chronographiæ loco, Computum aſtronomicum, qui per illos προχείρους Κανόνας (quos Syncellus etiam Ptolemæo tribuit) peragitur, non deduci ab Epocha Nabonaſſari, ſed ab Epocha Philippi Aridæi, imprimis in Tabulis συνοδικῶν ἐκλείψεων.

Et hoc eſt, quod clariſſime apparet ex Theonis Commentario εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, qui Theonis Liber, tunc ineditus, Manuſcriptus penes Petavium erat, & in Bibliotheca Regia reperiebatur, cujus fragmentum poſtea edidit Dodwellus.

Sed an ipſe Canon Regum, qui in libro προχείρων Κανόνων, qui Tabulas aſtronomicas complectitur, occurrit, a Philippo Aridæo incipiat, ut Petavii verba præferant, hæc plane alia quæſtio eſt, quæ non ex Manuſcriptis Codicibus, qui Theonis Commentarios εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας exhibent, determinari poteſt. niſi iidem Manuſcripti Codices etiam ſimul ipſos illos προχείρους Κανόνας, & inter eos etiam hunc Canonem Regum Aſtronomicum exhibeant. Ad quos MSS^{tos} Codices, qui τοὺς προχείρους Κανόνας exhibeant, tamen Petavius non provocat, ſed ad illos, qui Theonis Commentarios εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας exhibebant.

Certe ex Theonis Commentario, qui Manuſcriptus penes Petavium tunc erat, & cujus fragmentum Dodwellus edidit, hoc non apparet: ſi enim Theo colligens numerum annorum, qui in Ιcoſipentaëteridum Tabulas introducendus erat, hanc collectionem a Philippi Aridæi anno 1° deducat, hinc non ſequitur, ipſum Canonem Regum, omiſſis prioribus regibus a Nabonaſſaro ad Alexandrum, incipere a Philippo Aridæo; ipſa enim Icoſipentaëteridum Tabula, quæ a Philippi Aridæi anno 1° inibat,

incipit. Hoc requirebat, ut illa annorum collectio non altius, quam a Philippo Aridæo repeteretur. (*)

5° *Id* (quod de annis Catalyſis dixerat) *oſtendit* (inquit in Rationario Temporum P. 2. L. 1. C. 16. p. 54.) *Canon ille Mathematicus Ptolemæi, in quo Babylonii reges deſcripti ſunt: qui in fine hujus Partis editus eſt Græce & Latine, extatque in Theonis libro nondum edito, qui πρόχειροι Κανόνες inſcribitur: cujus nos partem illam, quæ Babyloniorum regum ſeriem continet, L. 9° de Doctr. Temp. (C. 52.) exſcripſimus.*

Hic merito quæritur, quomodo Canon ille Mathematicus, in quo Babylonii reges deſcripti ſunt, qui in fine Rationarii editus eſt, dici poſſit extare in libro προχείρων Κανόνων, ſi in libro προχείρων Κανόνων (ut ſupra n° 5. vidimus) Canon ille a Philippo Aridæo incipit: & quomodo illa Babyloniorum regum ſeries, L. 9° de Doctr. Temp. edita, hujus Canonis, qui in libro προχείρων Κανόνων extat, & a Philippo Aridæo incipit, pars dici poſſit.

Notandum præterea, quod Petavius librum, qui inſcribitur πρόχειροι Κανόνες, Theoni tribuens, dum dicit hunc Canonem extare *in Theonis libro* nondum edito, qui πρόχειροι Κανόνες inſcribitur.

Unde ſuſpicio mihi oboritur, an non el πρόχειροι Κανόνες, cum Theonis εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας commentario conjuncti, vel ſaltem in eodem Codice MS^to, quo Petavius uſus eſt, comprehenſi fuerint.

6° *Cum* (inquit in Monito ad Lectorem, quod Rationario ſuo Temp. præmiſit) *Canonis cujusdam Mathematici ſæpe mentionem fecerimus hoc in opere, quem Ptolemæus in computandis regum & imperatorum annis adhibuit, utile viſum eſt, eum hoc loco deſcribere; cujusmodi (in) veteribus Manuſcriptis legitur, & nos eundem in Theonis Commentariis εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας deprehendimus.*

Hæc mihi non adeo clara fuere.

Dubitari enim poteſt, an in illis verbis, *utile viſum eſt, eum* (Canonem, quem Ptolemæus adhibuit) *hoc loco deſcribere, cujusmodi (in) veteribus Manuſcriptis legitur*, Petavius loquatur de veteribus Manuſcriptis a

(*) Quid ſi dicamus, Petavium, quando dicit, *Canon idem a Philippo Aridæo incipit*, non voluiſſe indicare, quod ſeries Regum in Canone Regum Ptolemæi non altius incipiat, quam a Philippo Aridæo, ſed hoc tantum, quod in προχείροις Κανόσι Ptolemæi, Epocha Computi non altius repetatur, quam a Philippo Aridæo: unde etiam addit, quod *hoc appareat in MSS. Codicibus qui Theonis Commentarios εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας exhibent*: quod eo ſenſu verum eſt: & paulo poſt dicit, *Hæc eſt Epocha τῶν προχείρων Κανόνων Ptolemæi.* Tum Petavio nihil aliud objici poterit, quam incongrua expreſſio.

ſe viſis & in ſua hujus Canonis editione, a ſe adhibitis; an vero loquatur de veteribus Manuſcriptis, ex quibus Calviſii editio prodierat, & Scaliger in Collectaneis Euſebianis priorem hujus Canonis partem expreſſerat.

Ratio dubitandi hæc eſt, quia Petavius illos veteres MSS^tos^, in quibus hic Canon *legebatur*, videtur diſtinguere a Theonis Commentario, qui MSS^tus^ penes ſe erat, & in quo *ipſe* hunc Canonem *deprehenderat*. Accedit, quod ſi Petavius, præter Manuſcriptum Theonis Commentarium, etiam veteribus MSS^tis^ in plurali, in hoc Canone edendo, uſus eſſet, mirum videri poſſe, quod nullas ex iis varias Lectiones annotaverit, præter eas, quas in tertia Rationarii ſui editione ad marginem Canonis adjecit.

Quo ſenſu autem dicat, *viſum eſt eum Canonem hoc loco deſcribere, cujusmodi . . . nos eundem in Theonis Commentariis εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας deprehendimus*, vix capio.

Certum quidem eſt in Theonis Commentario quædam occurrere, quæ hunc Canonem ſpectant: ſed ipſum Canonem in illo Theonis Commentario inveniri, non puto: ſaltem in hujus Commentarii fragmento, a Dodwello edito, non reperitur: dixeratque ſupra Petavius eum *extare in Theonis libro nondum edito, qui inſcribitur, non εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, quemadmodum Theonis Commentarius inſcribitur, ſed πρόχειροι Κανόνες.*

Adeoque vel nihil aliud dicit Petavius, quam hunc Canonem, cujusmodi in veteribus Manuſcriptis (ex quibus in lucem prodierat) legebatur, convenire cum iis, quæ in Theonis Commentario de hoc Canone dicta eſſe, deprehenderat.

Vel id, quod modo ſuſpicabar, nempe ipſos προχείρους Κανόνας, & inter eos hunc Canonem Regum aſtronomicum, cum Theonis εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας commentario, in MS^to^ Petaviano, conjunctos fuiſſe, admittendum erit. (*)

7° In eodem ad Lectorem monito, indicans, quid in tertia Rationarii ſui editione huic Canoni acceſſerat, aut in eo immutatum erat, ſic pergit: *Hunc* (Canonem) *porro ex Græco Codice vetuſto Bibliothecæ regiæ non nihil hac editione caſtigavimus: variantes itidem aliquot Lectiones ad marginem*

(*) Hoc admittendum eſſe, nunc poſtquam uſus Codicis Lugduno-Batavi conceſſus mihi fuit, non dubito. Sed præterea & hoc videtur admittendum, quod, quando Petavius dicit, *ſe hunc Canonem in Theonis Commentario εἰς προχείρους Κανόνας deprehendiſſe*, hoc Petavio idem valeat, ac ſi dixiſſet, *ſe hunc Canonem in Theonis Libro, qui πρόχειροι Κανόνες inſcribitur, deprehendiſſe.*

ginem adſcripſimus: In tertia ſerie Græcorum regum editiones aliorum, & quæ hanc anteceſſit Rationarii noſtri ſecunda, iſtud lemma præfigunt Ἑλλήνων βασιλεῖς, *tum Alexandrum cum duobus reliquis ei ſubjiciunt. At Codex ille regius Alexandrum Perſicis regibus adſcribit: quod hic amplexi ſumus, cum eo, quem ibidem reperimus titulo.*

Ubi primo dicit, ſe hunc Canonem *ex Græco Codice vetuſto Bibliothecæ regiæ nonnihil hac editione* (quæ erat Rationarii ſui tertia) *caſtigaſſe*.

In quo hæc caſtigatio conſiſtat, illi, quibus Rationarii Petavii editio ſecunda ad manus eſt, videre poterunt.

An Græcus ille Codex vetuſtus Bibliothecæ regiæ idem ſit cum illo Bibliothecæ regiæ Codice MSto, cujus meminit in Auctario Operis de Doctrina Temporum L. 5. C. 3. p. 194. C. qui Theonis Librum, qui inſcribitur εἰς τοὺς πρoχείρους Κανόνας, & forte etiam ipſos τοὺς προχείρους Κανόνας, atque inter eos quoque hunc Canonem Regum aſtronomicum, continebat: an vero ab illo diverſus ſit, determinent illi, quibus Bibliothecam regiam adire datum eſt. Mihi hactenus probabile videtur, hunc cum illo eundem fuiſſe Codicem.

Secundo addit, *ſe hac editione variantes itidem aliquot Lectiones ad Canonis marginem adſcripſiſſe*. An autem eas ex illo Græco Codice vetuſto hauſerit, non dicit.

Tertio, notabilem mutationem hac Rationarii ſui editione tertia in hoc Canone ex Regio illo Codice admiſſam, diſtincte exponit.

Loquitur de *editionibus aliorum* in plurali. Calviſianam & Bainbrigianam, dices, eum reſpicere. Sed Bainbrigii editionem Petavio non viſam judicavi ob rationes ſupra datas. Adeoque hanc locutionem pluralem non urgendam, ſed pro modo loquendi Petaviano habendam, puto. Confer de Doctrina Temporum L. 9. C. 52. p. 125. D. Ad Scaligeri enim editionem, qua partem hujus Canonis priorem in Collectaneis Euſebianis, ex Syncello, expreſſerat, reſpicere non potuit, quia ea, quæ de aliorum editionibus hic dicit, in Scaligeri editionem non quadrant.

Quadrant autem ea ad amuſſim in Calviſii editionem. Adeoque hic Canon, prout eum in Rationarii ſui editione ſecunda ediderat Petavius, etiam hac in parte cum Calviſii editione conveniebat.

De Codice illo Regio duo hic dicit Petavius, primo, quod Alexandrum Perſicis regibus adſcribat: deinde quod ibidem repererit alium titulum, quem in hac editione, ejecto priore, admiſit: hunc ſcilicet, ἔτη βασιλέων τῶν μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως τελευτήν. Qui titulus tamen cum paulo poſt ſequenti titulo, Ἑλλήνων βασιλεῖς ἐν Αἰγύπτῳ, non ſatis conve-

nit: hic enim titulus videtur præſupponere, alterum illum generaliorem, Ἑλλήνων βασιλεῖς, præceſſiſſe, a quo hic per illud ἐν Αἰγύπτῳ diſtinguitur.

Hæc Petavii legens, diceres Codicem illum Regium hunc Canonem Regum aſtronomicum exhibuiſſe.

Sed duo ſunt, quæ me remorantur, quo minus perſuadear.

Primo, quod ex Codice illo Regio, (quem etiam non dicit hunc Canonem exhibuiſſe) hoc tantum, & nihil aliud quod hunc Canonem concernit, proferat: ne dicam, quod hoc ipſum, quod expreſſe inde profert, mihi ſuſpectum ſit, an ad ipſum Canonem pertineat.

Secundo, & quidem præcipue, quod hic Canon in Antonino deſinat, quod quidem cum Calviſii editione convenit, ſed iis, quæ Theon in Commentario ſuo εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας dicit contrarium eſt: & quod Petavius de Codice illo Regio ne verbo quidem moneat, unde hunc Canonem ordiatur, an a Nabonaſſaro, an vero a Philippo Aridæo, & ubi eundem finiat, an in Antonino, an alibi ſerius. (*)

X I.

Notitia hujus Canonis ex Dodwelli editione.

A.

De hujus Canonis Textu in editione Dodwelliana.

α. Textus hujus Canonis a Dodwello editi, expreſſus eſt ex apographo Manuſcripti Uſſeriani, prius collato cum Codice Saviliano 1mo, unde ſuum deſcripſerat Uſſerius: de quo diſtinctius agemus infra.

β. In

(*) Hæc duo me non debuerant remorari. Nam quod primum attinet: Notamus Codicem Lugduno-Batavum etiam Alexandrum Perſicis Regibus adſcribere, & ibidem eundem reperiri titulum, quem in vetuſto Bibliothecæ Regiæ Manuſcripto ſe reperiſſe dicit Petavius, verum in Codice Lugduno-Batavo non tantum prior titulus, Ἑλλήνων βασιλεῖς, ſed etiam poſterior titulus, Ἑλλήνων βασιλεῖς ἐν Αἰγύπτῳ omittitur: quod etiam Petavius videtur facere debuiſſe, qui tamen omiſſo priore titulo, male, ut videtur, poſteriorem titulum retinuit. Quod autem ſecundum attinet, dici poteſt, quod Petavius in Rationarii ſui editione ſecunda, ſecutus Calviſii editionem, hunc Canonem jam finierat in Antonino, & quod poſtea in Rationarii editione tertia, hunc Canonem ulterius producere nolens, etiam neglexerit indicare, unde hic Canon incipiat & ubi deſierat in Codice illo Regio.

β. In hoc Textu hic Canon inſcribitur, Κανὼν βασιλειῶν.

γ. Incipit hic Canon a Nabonaſſaro.

δ. Dividitur quaſi in partes per has Regum deſignationes, ſeu hos titulos intermedios:

Βασιλέων Ἀσσυρίων καὶ Μήδων.

Περσῶν βασιλεῖς.

Ἑλλήνων βασιλεῖς.

Ἑλλήνων βασιλεῖς ἐν Αἰγύπτῳ.

Ῥωμαίων βασιλεῖς.

Χριστιανῶν Ῥωμαίων βασιλεῖς.

ε. Alexander M. in hujus Canonis textu non ſubordinatur ſub titulo Regum Perſarum, ſed ſub titulo Regum Græcorum.

ϛ. Hic Canon in Græco Textu proprie tres tantum habet Columnas, quarum

Prima continet nomina Regum: in *genitivo* caſu expreſſa.

Secunda, annos Imperii ſingulorum Regum: cum hoc titulo ΕΤΗ.

Tertia, annos Regum collectos: cum hoc titulo Συναγωγή.

ζ. Hic Canon in Græco Textu duas tantum habet Epochas annorum collectorum, quarum

Una a Nabonaſſaro inchoata, uſque ad Alexandrum M. incluſive prorogatur, ibidemque definit, colligens annos 424.

Altera a morte Alexandri M. ſeu ab initio Philippi Aridæi inchoatur, & ad hujus Canonis finem prorogatur, colligens (ſi numerus ultimus recte ſe habeat) annos 1737.

η. Dodwellus præterea duas Columnas alias de ſuo adjecit, quarum

Una Æram Nabonaſſari continuat inde a morte Alexandri, ſeu ab initio Philippi Aridæi, uſque ad regnum Diocletiani.

Altera exhibet novam Æram ſeu Epocham, quæ ab initio Imperii Auguſti, poſt mortem Cleopatræ, inchoatur, & ad initium regni Diocletiani producitur.

Utramque hanc Columnam numeris Indicis, ſeu Cyfris ſignavit, ne eas MS^to tribueret Lector.

Ut ipſe Dodwellus monet in Obſervationibus ſuis Canoni adjunctis p. 24 & 25. ubi in priori loco, ſic ſcribit: *Hinc nova ſequitur Epocha a morte Alexandri, ſive ab initio Philippi. Utroque eidem modo illam deſignant Scriptores, qui hunc Canonem in temporum ratione ſequuntur, omiſſa deinde Æra Nabonaſſari. Quoniam vero Ptolemæus hanc etiam Epocham cum priori Nabonaſſari Epocha plerumque conjungit, aliam deinde* στήλην,

 (colum-

(columnam) *apponere viſum eſt; ſed numeris Indicis ſignatam; ne MSto ea tribueret Lector, quæ nos facilioris duntaxat ſupputationis gratia ſubjecimus. Ita enim facile intelligetur, quæ in his rurſus intervallis Nabonaſſari Epochâ notat Ptolemæus, quam illa accurate cum noſtri Canonis fide conſentiant.* In poſteriori autem loco, hæc habet: *Sequitur deinde tertia jam Æra, Auguſti, a morte viz. Cleopatræ. Eam quia ſæpe adhibent, qui hoc Canone uſi ſunt, Ægyptii, placuit & hanc ſubjicere, ſed, quod in Æra Nabonaſſari jam fecimus, numeris Indicis, non Græcis.*

9. Hic Canon in Textu ſe extendit ultra Conſtantinopolim a Turcis captam.

In annis Imperii ultimorum Regum, ut & in eorum annis collectis errores irrepſerunt, qui an Librariorum incuriæ in MSti deſcriptione, an Typographorum errori in Canonis editione, tribuendi ſint, mihi non conſtat. De iis enim in notis nihil monet Dodwellus.

In Textu ita leguntur	anni	Collectio
Ἀνδρονίκου τοῦ Παλαιολόγου	ς.	αχκ.
Ἰωάννου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.	μθ.	αχξθ.
Μανουὴλ ὁ υἱὸς αὐτοῦ.	λε.	αχοθ.*
Ἰωάννου τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.	κβ.	αψνα.*
Κωνσταντίνου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ.	γ.	αψνδ.*
Καὶ ὁ Ἀμηρᾶς ὁμυρέτης.	ξγ.*	αψλζ.

Hæc forte ita ſunt corrigenda ut.

pro αχοθ, legatur αχϟθ. 1699.

Et pro αψνα & αψνδ legatur ἀψκα & αψκδ·

& denique pro ξγ, legatur ιγ. quod ultimum ex mera conjectura ita ponitur, ut annorum Collectorum numerus ultimus retineri poſſit.

Dodwellus nullibi, quantum mihi conſtat, expreſſe dicit, quouſque Canon, in Textu expreſſus, ſe extendit. Neque hoc opus erat, quia ipſe hujus Canonis textus id oſtendebat.

Unde etiam colligo, MStum Uſſerianum, ex cujus apographo Canonis hujus textus expreſſus eſt, adeoque & Codicem Savilianum 1um, ex quo Uſſerius ſuum deſcripſit, eo uſque ſe extendiſſe.

Quod etiam ex eo confirmatur, quod in Notis, hujus Canonis textui ſubjectis, diſtincte notet Dodwellus, ubi unumquodque Manuſcriptum, ex quorum cum Textu collatione variantes ſuas Lectiones hauſit, deſinat; & nullum inter ea reperiatur, quod non longe ante captam Conſtantinopolim finem capiat: Codex enim Savilianus 2us, qui longius cæteris ſe extendit, in Leone Sapiente deficit.

B. De-

B.

De Manuſcripto, ex quo hujus Canonis Textus in editione Dodwelliana expreſſus eſt.

a. Fons hujus Canonis, prout in Textu editionis Dodwellianæ legitur, eſt Codex Manuſcriptus Savilianus: qui ut ab altero Codice MSto Saviliano, in quo alius Canon continebatur, quem ſecundum Savilianum appellat Dodwellus, diſtinguatur, Savilianus primus dici poteſt.

Sic enim in Prolegomenis, §o XXII. p. 11. col. 1. ſcribit Dodwellus: *Canones Regum aſtronomicos omnino dignos cenſui qui præfigerentur. Plane enim pertinent ad eandem temporum ſeriem, & in eodem MSto continebantur, unde Theonianos Coſſ. deſcripſimus, tam Uſſeriano, quam etiam Saviliano.* In titulo autem hujus Appendicis legitur: *Faſti Græci priores, Theonis forſitan Alexandrini . . . nunc primum editi, e MSto Saviliano.*

Unde etiam hic Codex Savilianus ut hujus Canonis autographum conſideratur, & *autographum Savilianum* appellatur, in Prolegom. §o LXII. p. 23. col. 2. & ad finem Canonis p. 27. col. 2. in ima pagina.

Quare etiam in notis nullas reperi variantes ex Codice Saviliano 1o proferri Lectiones, ut congruum erat, quia ipſe hujus Canonis textus ex hoc fonte profluxerat. Niſi forte pro variantibus Lectionibus habendæ, de quibus in ultima notâ judicium ſuum exponit Walliſius, de quo infra.

b. An hic Codex Savilianus in Archivis, aut Cimeliis Savilianis, ut loquitur Dodwellus, ſeu in Muſeo Saviliano, quod Oxonii ſervatur, adhuc extet, dubitari vix poteſt. Sed ubinam in illo Muſeo reperiatur, merito quæritur.

Nam in Catalogo manuſcriptorum Librorum Angliæ & Hiberniæ, qui prodiit Oxonii anno 1697, in folio. Ubi in Tomi 1mi, Parte 1a, p. 299—301 recenſentur Codices MSSti *Muſei Saviliani*, quorum uſum Geometriæ & Aſtronomiæ Lectoribus, a ſe præclara munificentia conſtitutis, conceſſit H. Savilius: nulla, quod mireris, hujus Canonis expreſſa mentio fit, neque etiam Faſtorum Græcorum Theonis, qui in eodem, cum Canone, MSto continentur.

Admodum tamen mihi probabile eſt, Canonem hunc Regum aſtro-

nomicum, una cum Faſtis illis Græcis, qui Theonis judicantur, comprehendi in illo Codice MS^to^ Muſei Saviliani, qui in Bibliothecâ Oxonienſi, quæ a fundatore ſuo *Bodleiana* appellatur, 6549us, in Muſeo autem Saviliano, 2us numeratur.

Hujus Codicis contenta, in Muſei Saviliani catalogo, quem fecit Joannes Caswellus, hæc recenſentur Opuſcula ſex.

Ptolemæi hypotheſes Planetarum.

Ptolemæi Canones πρόχειροι.

Theonis ἐξήγησις *in Canones* προχ.

Theonis λογικὴ ἔφοδος *in Canones* προχ. *Sectionibus* 4.

Inſtitutionis Aſtronomicæ Epitome imperf.

Ariſtidis Quintiliani Muſicæ Libri 3.

Ratio autem, quæ hunc Canonem hoc Muſei Saviliani Codice MS^to^ comprehendi, probabile reddit, hæc eſt, quod hic Canon in Calviſii editione, hanc Inſcriptionem præferat, *ex Manuſcripto Libro Græco Claudii Ptolemæi, continente hypotheſes Planomenon:* & quod Bainbrigius hunc Canonem, una cum Libro Ptolemæi de hypotheſibus Planetarum, nondum edito, ſimul ediderit. Hinc enim probabile mihi videtur, hunc Canonem in tali Muſei Saviliani Codice comprehendi, in quo etiam Ptolemæi Hypotheſes Planetarum continebantur, & quidem primum locum obtiſſebant, ita ut totus ille Codex inde denominari potuerit.

Non enim puto hunc Canonem in ipſo Ptolemæi de hypotheſibus Planetarum libro comprehenſum eſſe, ut Calviſii editio videtur inferre, ſed potius in hujus Codicis opuſculo 2do, quod Ptolemæi Canones πρόχειροι inſcribitur, inter προχείρους Κανόνας, comprehenſum eſſe, conjicio: & hæc conjectura firmatur, quia Faſti illi Græci, qui Theonis judicantur, in eodem, cum Canone, Codice continebantur; ſcriptum enim hocce Theonis, quod *Faſtorum* nomine a Dodwello editum eſt, proprie eſt Κανὼν, ſeu Κανόνιον Computo Aſtronomico inſerviens, æque ac Κανὼν βασιλειῶν, ut ex Theone Alexandrino εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας diſcimus; unde etiam hic Canon, & hi Faſti, proprium inter προχείρους Κανόνας locum inveniunt.

Sed quid de hac mea conjectura ſit, viderint illi, quibus MSS^tos^ Codices Muſei Saviliani perluſtrare licet.

Interim obſervo, in eodem Catalogo Librorum manuſcriptorum Angliæ & Hiberniæ, Tomo 1°, Parte 1^a^, p. 152. numero 2946. recenſeri Codicem MS^tum^, qui huic Muſei Saviliani Codici plane ſimilis

milis eſt, & præciſe eadem ſex Opuſcula, nec plura, eodem ordine continet. Cum quo etiam conferri meretur Codex MS^{tus} alter, qui recenſetur in eodem Catalogo, Tom. 1°, Parte 1^{a}, p. 44, 45. eſtque numero 297us.

c. Ex hoc Codice Saviliano derivatum eſt hujus Canonis *Manuſcriptum Uſſerianum.*

Jacobus enim Uſſerius hunc Canonem ex hoc Codice Saviliano 1mo deſcripſit: teſte Dodwello, in Prolegom. §° LXII. p. 23. col. 2. & in Obſervationibus ad Canonis latus, p. 24. *Convenit* (inquit) *certe* (Bainbrigius) *etiam in ſcribendis minutiis cum priori noſtro Codice Saviliano, quem deſcripſerat Uſſerius.*

Huic ſuo MS^{to} ad marginem notas quasdam adſcripſerat Uſſerius, quibus in ſuis ad hunc Canonem notis, uſus eſt Dodwellus, ut indicat p. 23, col. 2. & ſparſim in Dodwelli notis videre licet.

Servabatur hoc Uſſerii Manuſcriptum in Collegio Dublinienſi: unde Dodwello dicitur, *MS^{tum} Uſſerianum Collegii noſtri Dublinienſis.*

In Catalogo Librorum manuſcriptorum Angliæ & Hiberniæ, Tom. 2°, Parte 2^{a}, quæ Bibliothecarum aliquot Hibernicarum Codices MSS^{tos} complectitur. In Librorum MSS^{torum} Collegii S. Trinitatis apud Dublinium Catalogo, qui præter alia, Jacobi Uſſerii, totius Hiberniæ primatis Bibliothecam ſelectam explicat recenſetur p. 25. Codex, qui hujus Partis 318us, Collegii vero 178us numeratur, continens XV Opuſcula; quorum 8^{vum} inſcribitur *Canon regum aſtronomicus.* Qui Canon, ut videtur, eſt ille, quem e Codice Saviliano deſcripſerat Uſſerius.

d. Apographum ex dicto MS^{to} Uſſeriano deſcriptum, ſed prius cum Autographo Saviliano collatum, hujus Canonis editioni Dodwellianæ proxime inſerviit, atque hujus Canonis textum nobis dedit.

De hac collatione ſic ſcribit Dodwellus, in Prolegomenis §° LXII. p. 23. col. 2. *Idem Pater Oxonienſis* (Johannes Fell Epiſcopus Oxonienſis) *Apographa e MS^{to} Uſſeriano Collegii noſtri Dublinienſis deſcripta, cum Autographis Savilianis conferenda curavit, unde ſua deſcripſerat noſter Uſſerius. Uſus eſt in ea collatione opera Cl. D. D. Walliſii Profeſſoris Saviliani digniſſimi.*

Cave tibi, ne hæc Dodwelli verba in plurali numero te in errorem abripiant; non enim hunc Canonem Uſſerius ex pluribus Codicibus Savilianis, deſcripſerat, ſed ex unico, quem priorem Savilianum vocat ipſe Dodwellus p. 24., & a Saviliano 2° diſtinguit, p. 23. col. 2. & unicum MS^{tum} Uſſerianum non habebat plura Autographa Saviliana, ſed unicum,

unicum, Codicem Savilianum 1um: neque plura Apographa e MSto Uſſeriano deſcripta, ſed unicum contulit Walliſius cum illo Codice Saviliano, unde hunc Canonem deſcripſerat Uſſerius. Adeoque hæc in numero plurali prolata, pro modo loquendi, qui viris doctis non infrequens eſt, habenda ſunt. Niſi potius velis, Dodwellum hic reſpicere duo illa ſcripta, quæ ex eodem Codice Saviliano deſcripſerat Uſſerius, Canonem ſcilicet regum, & Faſtos Theonianos, quorum unumquodque ſuum Apographum, licet ex eodem MSto Uſſeriano, & ſuum Autographum, licet in eodem Codice Saviliano habebat; & utriusque ſcripti Apographum cum utriusque Autographo conferendum erat. Confer quæ Dodwellus dixerat in Prolegomenis §o XXII. Verba ſupra adduximus.

Hæc collatio, operâ Walliſii præſtita, efficit, ut hujus Canonis in editione Dodwelli textus ſit habendus pro ectypo non tam MSti Uſſeriani, quam ipſius Codicis Saviliani.

Neque mirum nullas in Dodwelli notis ex Codice Saviliano 1o proferri variantes Lectiones. Mirum potius quod ſub finem Canonis quædam ex Autographo Saviliano in notis proferantur, in quibus illud Autographum Savilianum a MSto Uſſeriano, ſeu potius ejus Apographo, quod textus ibidem ſequitur, diſſideat.

Nempe in Textu legitur ex Apographo, e MSto Uſſeriano deſcripto, hoc modo:

Nomina	anni		Collecti	
Μιχαὴλ τοῦ Παφλαγόνος.	ζ.		αλκθ.	Correctio in
Μιχαὴλ τοῦ Καλαφάτου.	ζ.		αλλε.	Notis ex
Κωνσταντίνου τοῦ Μονομάχου.	ιβ.		αλμζ.	C. Sav.
Μιχαήλ.	α.	a	αλμθ.	αλμη.
Θεοδώρας.	ω.	b	αλμζ.	αλμθ.
Ισαακίου τοῦ Κομνηνοῦ.	β.	c	αλνθ.	αλνα.
Κωνσταντίνου τοῦ Δούκα.	ζ.	d	αλνβ.	αλνη.
Ρωμανοῦ τοῦ Διογένους.	δ.		αλξβ.	

In Dodwelli Notis autem profertur hæc Walliſii annotatio.

a αλμη. b αλμθ. c αλνα. d αλνη.

Ambigua hæc, vel emendata, in Autographo Savilii. Wallis.

Wal-

Wallisius, meo judicio, dum apographum e MS° Uſſeriano deſcriptum, cum Codice Saviliano, e quo hunc Canonem deſcripſerat Uſſerius, confert, quatuor haſce diverſas Lectiones in autographo Saviliano invenit, atque inde enotavit. Et ſuum, ut videtur, de iis judicium adjecit his verbis, *Ambigua hæc, vel emendata, in autographo Saviliano.* Quibus videtur indicare, ſe hæc reperiſſe in autographo Saviliano; eaque, ſuo judicio, vel pro ambiguis Lectionibus, de quibus dubitari poterat, an Lectionibus apographi Uſſeriani præferendæ eſſent, vel pro emendatis Lectionibus, quæ in textum recipi deberent, habenda eſſent.

Miror autem, cur eas in textum non receperit Dodwellus, vel ſaltem, cur hoc non fecerit, rationem non reddiderit.

Lectiones enim, quas textus exhibet, in quibusdam ſaltem, notorie vitioſæ ſunt.

Præterea etiam hoc obſervo, quod Michaëli Kalephato, ſi numerus annorum collectorum ͵αλε″, 1035, recte ſe habet, tum ei non 7 annos Imperii, ſed 6 tantum eſſe tribuendos, & ϛ″ loco ζ″ eſſe legendum. An autem hic error Librarii, an vero Typographi ſit, neſcio.

C.

Quid porro in hac ſua editione præſtiterit Dodwellus.

Hoc ipſe docet in hujus Appendicis titulo, ubi, Appendicis contenta recenſens, ſic ſcribit: *Canon Regum aſtronomicus, partim cum MSS. editisque collatus, partim e MSS. nunc primùm editus.*

Et in Prolegomenis, §° XXII. p. 11. col. 1. *Illos* (Canones Regum aſtronomicos) *itaque cum MSS. & qua parte editi erant, cum editis contulimus, ad tempora nimirum Magni Theodoſii*, (quo uſque editio Bainbrigiana ſe extendebat.) *Reliquos* (ultra tempora Magni Theodoſii progredientes) *nunc primum edimus, & quidem illos a recentioribus, ſed longe tamen imperitioribus, ad ſua cujusque tempora perductos. Et in notis ea omnia congeſſimus, quæ Lectoris intererat, ut uni ejus intuitu repræſentarentur, quippe quæ videri poſſent neceſſaria, ad judicium de nominibus, temporibusque antiquiſſimis.*

Confer quoque p. 23. col. 2. ubi exhibet *Notas Autorum, e quibus* (inquit) *hæc* (quæ in Notis ad Canonem occurrunt) *collegimus, vel confirmavimus.*

D.

De Editis, cum quibus Textum, e Codice Saviliano 1° expreſſum, contulit in notis ſuis Dodwellus.

Editiones, cum quibus Dodwellus collationem inſtituit, ſunt ſequentes.

1ª *Syncelliana*, quam Georgius monachus, Taraſii Patriarchæ C. P. quondam Syncellus, Chronographiæ ſuæ inſeruerat: quæque incipit a Nabonaſſaro & deſinit in Alexandri M. morte; colligens annos 424.

a. Hunc Canonem Regum aſtronomicum Syncellianum, ex Syncelli Chronographia, tunc inedita, primus in lucem edidit Scaliger, inter Chronicorum Euſebii reliquias Græcas, a ſe collectas, p. 38, edit. Lugd. Bat. 1606. ſed p. 46. ed. Amſtel. 1658, quæ longe poſt Scaligeri mortem prodiit.

b. Ipſa autem Syncelli Chronographia, & in ea hic Canon, primum prodiit, cura Jac. Goar, Pariſ. e Typographia regia, 1652. inter Scriptores Byzant. ubi hic Canon occurrit p. 207, & 208.

Utramque hanc Syncelliani Canonis editionem contulit Dodwellus.

* Imo quoque contulit Ἐκκλησιαστικὴν στοιχείωσιν,

Quam Syncellus in ſua Chronographia Canoni ſuo regum aſtronomico ſubjungit, p. 208, & 209. edit. Pariſ.

Quæque jam ante prodierat, ſed additâ columnâ annorum collectorum, in Scaligeri Theſauro Euſebiano, in Ἱστορίων Συναγωγῇ, p. 397, edit. Amſtelod.

2ª *Bainbrigiana*, quæ prodiit Londini 1620. in 4°.

3ª *Petaviana:* & quidem ea, quam Petavius Rationarii ſui editioni tertiæ ſubjunxit.

* Calviſianam editionem, quæ lucem vidit anno 1620, in editione 2ᵈᵃ Operis ejus Chronologici, in Iſagoge, cui immortuus erat anno 1615. non videtur vidiſſe Dodwellus, ſaltem ejus nullibi meminit.

E.

Obſervationes in collationem cum editione Syncelliana.

1ª In anteceſſum obſervo, editionem hujus Canonis Syncellianam, Scaligeri & Goari, licet inter ſe differant in quibusdam Regum, imprimis

mis Aſſyriorum & Medorum, nominibus, convenire tamen inter ſe in annis imperii ſingulorum Regum, adeoque etiam in eorundem Regum annis collectis. Hoc tantum moneo, quod etiam Dodwellus obſervat, Scaligerum ubi recenſet Nabopolaſſari, patris Nabochodonoſoris, annos κα*, eorumque in collectione annorum rationem habet, addere ἐξ ὧ ἄλλοι, κα*. Quod non habet ex Canone regum aſtronomico Syncelliano, in quo hoc non reperitur; neque de ſuo hoc adjecit; ſed illud ex ipſius Syncelli Chronographia petiit, ubi hoc legitur p. 210. A. Quid autem ſibi velit Dodwellus, quando in Notis hæc adjicit: *Qui ita ſenſerunt, huic Nabopolaſſaro Nabuchodonoſori annos tribuerunt*, non capio.

2ª Collatio Canonis Syncelliani, tam ex Scaligeri, quam ex Goari editione, plures Dodwello ſuppeditavit variantes in Regum, imprimis Aſſyriorum & Medorum nominibus, Lectiones, quas ad minutias uſque accuratiſſime in notis ſuis recenſet.

3ª Quod annos imperii ſingulorum Regum, & proinde eorundem regum annos collectos in Syncelliano Canone attinet, tam in ſerie Regum Aſſyriorum & Medorum, quam in ſerie Regum Perſarum, variantes aliquot notavit Lectiones Dodwellus.

4ª Variantes Lectiones in ſerie Regum Aſſyriorum & Medorum, a Nabonaſſaro uſque ad Nabonadium, ſunt ſequentes:

Syncelli	anni	Collectio	Cod. Saviliani 1^{mi} anni	Collectio
Ισαρινδίνυ	ιγ	π	ιγ	π.
Σαοσδυχῖ	θ*	πθ*	κ	ρ.
Κινιλαδάλυ	ιδ*	ργ*	κβ	ρκβ.
Ναβοπολασσάρυ πατρὸς Ναβυχοδονόσορ	κα	ρκδ*	κα	ρμγ.
Ναβυπολασσάρυ τῦ καὶ Ναβυχοδονόσορ	μγ	ρξζ*	μγ	ρπϛ.
Ιλλυαρυδάμυ	γ*	ρο*	β	ρπη.
Νηριγασολασάρυ	ϛ*	ροϛ*	δ	ρϟβ.
Ναβοναδίυ τῦ καὶ Αστυάγυς	λδ*	σθ	ιζ	σθ.

5ª Conſiderationes circa ſupradictas variantes Lectiones:

Dodwellus in Notis, Nº 37, hæc habet: *Vᵐ Nabopolaſſari CXXVII* Na-

Nabonaſſari. Ptol. Magn. Synt. V. 14. *Male itaque Syncellus ſecutus errores ἐκκλησιαστικῆς στοιχειώσεως.*

Recte ex Claudii Ptolemæi Magna Syntaxi L. 5°, C. 14. Canonem Syncellianum erroris arguit Dodwellus, & ſimul Lectiones Codicis Saviliani 1mi defendit.

Sed an recte harum variantium Lectionum cauſam atque originem in eo conſtituat, quod Syncellus errores ἐκκλησιαστικῆς στοιχειώσεως ſecutus ſit, dubito.

Non enim affirmare auſim, quod Syncellus Canonem regum aſtronomicum ſciens immutaverit: ſed eum ἐκκλησιαστικὴν στοιχείωσιν interpolaſſe, ut eam Canoni aſtronomico quodammodo conformem redderet, certum eſt, ut ſupra vidimus.

Ego potius judicarem, Syncellum in tale hujus Canonis exemplar incidiſſe, in quod hi errores jam irrepſerant. Syncellus enim p. 231. C. expreſſe dicit: Ἀπὸ Ναβονασσάρου ἐπὶ τὸ α″ ἔτος Δαρείου καὶ Ἀστυάγους (incluſive) ἔτη εἰσὶν κατὰ μὲν τὸν Μαθηματικῶν Κανόνα ρος″. κατὰ δὲ τὸν παρόντα Ἐκκλησιαστικὸν, ροζ″. (lege, ρϟγ″.) καὶ οὐδὲν διενήνοχεν. Χρὴ γὰρ εἰδέναι, ὅτι ὁ Χαλδαικὸς καὶ Ἀστρονομικὸς Κανὼν τὸν μὲν Ἀστυάγην λδ″ λογίζεται Χαλδαίων βασιλεῦσαι. ὁ δὲ Ἐκκλησιαστικὸς ιζ″ τὸ πλεῖστον. ἐπεὶ καὶ ια″ τινὲς φασίν. . . . . ἡμεῖς οὖν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν Ἀστυάγους, παρ᾽ ἐνιαυτὸν ἕνα, συμφωνοῦντας ἠγάγομεν τοὺς δύο τούτους Κανόνας. Qua fronte autem ac fide hæc ſcribere potuiſſet Syncellus, ſi ipſe has mutationes in Canonem aſtronomicum intuliſſet. &, ſi errores ἐκκλησιαστικῆς στοιχειώσεως in reliquis Regum annis ſecutus eſſet, cur non in Nabonadii, qui & Aſtyages, annis idem feciſſet: præcipue cum illi Aſtyagis anni 34 ipſi crucem figebant: quapropter etiam Aſtyagi in Canone annos 17 conceſſit, ut Canonem Eccleſiaſticum ad finem Imperii Aſtyagis, in ſumma totali annorum a Nabonaſſaro collectorum, conſonantem cum Canone aſtronomico redderet; in quo tamen unius anni diſſenſum eſſe, putabat. Vide quæ ſupra notavimus.

Variantes autem illæ Lectiones, quæ non per Librariorum incuriam, ſed dedita operâ, forte a Chriſtianis Chronologis, in hunc Canonem aſtronomicum introductæ ſunt, videntur eum in finem factæ ut intervallum annorum a Nabonaſſaro, qui & Salmanaſſar, uſque ad Nabuchodonoſorem contraheretur, & contra intervallum annorum a Nabuchodonoſore uſque ad finem Imperii Babylonici extenderetur. Primum ablatis ab Iſarindino 11 & a Saosduchio 8, ſimul 19 annis, unde hoc intervallum fit 124, loco 143 annorum. Alterum obtinuerunt, totidem annis Regibus tribus ultimis adjectis, unde hoc poſterius intervallum fit 85, loco

66 an-

66 annorum, atque ſic ſumma totalis annorum a Nabonaſſaro ad finem Imperii Babylonici collectorum iterum redditur concors, annorum 209. Non autem videntur Nabonadio, qui & Aſtyages, plures annos voluiſſe tribuere, quam 34, & propterea tam Evilmerodachi, quam Nerigiaſſari annos uno anno auxiſſe.

6ª Variantes Lectiones in ſerie Regum Perſarum, a Cyro uſque ad Alexandri mortem ſunt ſequentes.

Syncelli Δαρείου τρίτου τοῦ χρὴ	anni	Collectio	Cod. Saviliani 1mi anni	Collectio
Ἀρσάμης . . .	ϛ*. .	υιη*.	δ. . .	υιϛ.
Ἀλεξάνδρου τοῦ μεγάλου . . .	ϛ*. .	υκδ.	η. .	υκδ.

& forte illa Syncelli verba, p. 206. C. Πάντων γὰρ αὐτὴν (ϛοιχείωσιν) ἀκριβεστέραν ὁμολογοῦσιν εἶναι, συνάγουσαν &c. ſic vertenda: *Omnium enim eam* (ϛοιχείωσιν) *accuratiorem confitentur eſſe, quæ colligit a Nabonaſſaro ad primum, ſive 7um annum Alexandri Macedonibus, & Perſis, & toti ferme orbi dominantis, annos* (NB) 419, *ad mortem vero ejusdem Alexandri, annos* 424. Unde videtur, quod etiam aliæ ϛοιχειώσεις, Syncello cognitæ fuerint, & inter eas forte etiam illa, quæ a Nabonaſſaro ad primum ſive 5um annum Alexandri incluſive, colligebat annos (NB) 417, ad mortem vero ejusdem Alexandri annos 424, & quod altera accuratior tempore Syncelli a quibusdam habita fuerit.

7ª Conſiderationes circa ſupradictas duas variantes Lectiones.

Darii, ultimi Perſarum regis, annos biennio augeri, & Alexandri Magni annos iterum biennio minui in Syncelliano Canone aſtronomico; ac proinde eandem emergere ſummam annorum collectorum finalem, annorum 424, per ſe patet.

Syncellus, meo judicio, tali Canonis aſtronomici exemplari uſus eſt, in quo hæc ita legebantur. Id colligo ex iis Syncelli locis, quæ ſupra §º 7. Lit. 1. Nº 4º adduxi, quæque etiam in Notis ſuis indicat Dodwellus.

F.

Obſervationes in collationem editionis Bainbrigianæ.

1° Dodwellus, in Obſervationibus ſuis, ad latus Canonis, p. 24, in genere obſervat, *Bainbrigium convenire, etiam in ſcribendis minutiis, cum priore Codice Saviliano.*

2° In Notis Dodwelli quoque nullam ex Bainbrigii editione obſervavi variantem Lectionem in annis Imperii ſingulorum Regum, aut in eorundem annis collectis.

3° Tres tamen in nominibus Regum deprehendi in Notis Dodwellianis, ex Bainbrigii editione variantes Lectiones, ſed admodum leves. Legitur enim

	in editione Bainbrigii.	in editione Dodwelli.
N° 41.	Ιλȣαρȣδαμȣ	Ιλοαρȣδαμȣ
— 15.	Μαρκȣ Κομοδȣ	Μαρκȣ ϗ Κομοδȣ
— 16.	Σεβερȣ.	Σεβηρȣ.

4° Conſiderationes circa ſupradictas variantes Lectiones.

Hæ variantes Lectiones ejus ſunt generis, ut vel errore calami aut oculi in deſcribendo, vel errore typographico, facillime in Bainbrigii editionem potuerint irrepere.

Adeoque inde colligi non poteſt, Bainbrigii editionem ex alio Codice, quam Saviliano 1° profluxiſſe.

Imo ex tanta cum illo Codice convenientia contrarium potius inde eliciendum eſſe, recte judicat Dodwellus.

Nec obſtat, quod Bainbrigii editio non eouſque, ac Codex Savilianus 1us ſe extendat, ſed in Theodoſio ſeniore deſinat. Potuit enim ſuas habuiſſe rationes Bainbrigius, quare illum Codicem non ulterius deſcribere, ſed hic deſinere voluerit. Forte quia putabat, Theonis Alexandrini Canonem eouſque & non ulterius proceſſiſſe.

G. Col-

G.

Collatio editionis Calviſianæ juxta Operis Chronolog. edit. anni 1650.

α. Quod Regum nomina attinet

edit. Calviſii.	edit. Dodwelli.
Απρωναδιȣ.	Απεγναδιȣ.
Αβυασιλασυλȣ β.	Αβυασιλ ΔΕΥΤΕΡΟΥ.
Σαοσδυχινȣ.	Σαοσδυχινȣ.
Ιλυαροδαμȣ.	Ιλοαρυδαμȣ.
Δαρειȣ α.	Δαρειȣ ΠΡΩΤΟΥ.
Αρταξερξȣ α.	Αρταξερξȣ ΠΡΩΤΟΥ.
Δαρειȣ β.	Δαρειȣ ΔΕΥΤΕΡΟΥ.
Αρταξερξȣ β.	Αρταξερξȣ ΔΕΥΤΕΡΟΥ.
Αρωστȣ.	Αρωγȣ.
Δαρειȣ γ.	Δαρειȣ ΤΡΙΤΟΥ.
Αλεξανδρȣ ΑΙΓΟΥ	Αλεξανδρȣ ΑΛΛΟΥ.
Πτωλεμαιȣ Λαγȣ.	Πτολεμαιȣ Λαγȣ.
Πτ. Ευεργετȣ β.	Πτολ. Ευεργ. ΑΛΛΟΥ.
Διονυσȣ.	Διονυσιȣ.

Poſt Ptolemæum Lagi reliquorum Ptolemæorum nomina in Calviſii editione notantur hoc modo Πτ. per abbreviationem, in Dodwelli vero editione ſemper legitur Πτολεμαιȣ plene.

β. Quod autem annos Imperii ſingulorum regum, & eorundem annos collectos attinet: nullas in iis deprehendi variantes Lectiones: licet quibusdam in locis errores typographici occurrant notorii.

γ. Supradictæ variantes Lectiones duplicis ſunt generis.

Primum genus diverſam in regum nominibus exhibet orthographiam. Quæ diverſitas tamen tanta non eſt, quin vel ex errore oculi aut calami deſcribentis, vel ex errore typographico, oriri potuerit. Inter has imprimis notandæ, illa, quæ Αρώστȣ legit pro Αρώγȣ, errore, ut mihi videtur, typographico non in primâ, ſed in ea, quâ uſus ſum, editione; & altera, quæ legit ΑΙΓΟΥ, pro ΑΛΛΟΥ vitio deſcribentis.

Alterum

Alterum genus exhibet, non variantes Lectiones proprie dictas, ſed ſcribendi compendia, a deſcriptore ſtudio adhibita, ut laborem deſcribendi minueret.

Ex neutro genere itaque colligi poteſt, hanc Calviſii editionem ex alio, quam ex Codice Saviliano 1° profluxiſſe. Imo ex tanta cum hoc Codice convenientia potius concludendum, Calviſii Canonem eſſe hujus Codicis apographum.

Nec obſtat, quod Calviſii editio in Antonino Pio deſinat. Scopus enim D. Overalli, qui hujus Canonis apographum Londino ad Calviſium deferri curavit, videtur fuiſſe, eam tantum hujus Canonis partem, ex illo Codice Saviliano deſcriptam, cum Calviſio communicare, quæ Ptolemæo tribui, & ſub Ptolemæi nomine edi poterat. Quod etiam ſubſcriptio, huic Canoni ſubjuncta, innuit: quæ his verbis concepta eſt. *Huc uſque ſupputatio Ptolemai.*

H.

Obſervationes in collationem editionis Petavianæ.

1ª Canon Regum Aſtronomicus, prout a Petavio editus eſt in Rationarii ſui editione tertia, plures in nominibus regum, imprimis Aſſyriorum & Medorum, variantes Lectiones, tam ex ipſo Canonis Textu, quam ex Textus margine, Dodwello ſuppeditavit.

2ª Nulla autem in annis Imperii ſingulorum Regum, aut in annis Regum collectis varians Lectio occurrit.

3ª Dodwellus tamen in Notis ad ſeriem regum a Philippo ad Cleopatræ mortem, & quidem ad ultimum annorum collectorum hujus Epochæ numerum, qui in Canonis ſui textu erat, ut oportebat, σϟδ. 294. hæc notat N° 31. σϟβ. *male Petav.* Et certum eſt in Rationarii Petaviani editionibus ſic legi. Sed itidem certum eſt, non eſſe variantem Lectionem, ſed mendum ſolummodo typographicum: quod etiam in poſterioribus editionibus propagatum, & propter Notæ numeri nonagenarii ignorantiam auctum eſt; nam in editione Franequerana anni 1694 legitur σξβ. & in Lugduno-Batava anni 1710 legitur σλβ.

4ª In Petavii Canone eadem occurrunt ſcribendi compendia, quæ in Calviſii Canone obſervavimus, ut α" loco πρώτου, & β" loco δευτέρου, vel ἄλλου, & γ" loco τρίτου. Et poſt Πτολεμαίου Λάγου, ſemper per abbreviationem legitur Πτ. loco Πτολεμαίου.

5ª Præ-

5ª Præterea Canon Petavii hoc cum Calviſii Canone, & quidem ſolo, commune habet, quod legat Αλεξάνδρυ ΑΙΓΟΥ, loco Αλεξάνδρυ ΑΛΑΟΥ. Item, cum Calviſio, legit Petavius Διονύσυ, loco Διονυσίυ.

6ª Quod attinet variantes Lectiones Canonis Petaviani, tam ex ipſo Textu, quam ex Textus margine, a Dodwello enotatas quæ concernunt nomina Regum a Nabonaſſaro uſque ad Nabonadium, illæ ulteriorem & diſtinctiorem merentur conſiderationem. Eum in finem notandum, Petavium jam L. 9. de Doctr. Temp. C. 52. priorem hujus Canonis partem, Latine edidiſſe, ibidemque monuiſſe, quod *ex utraque editione*, Calviſii ſcilicet nuper edita, & Scaligeri in collectaneis Euſebii Græcis ex Syncello expreſſâ, *nominum ὀρθογραφίαν pro eo atque probabilius viſum eſt, concepit*. Præterea notandum, Petavium demum in Rationarii ſui editione tertia varias illas Lectiones ad Canonis marginem adſcripſiſſe. Conſiderabimus itaque nomina regum Petaviana primo ex Canone in Opere de Doctrina Temporum, Latine edito; ſecundo ex textu Canonis juxta Rationarii editionem tertiam; & tertio ex textus margine, ubi occurrunt: eaque conferemus cum nominibus regum Scaligerianis in collectaneis Euſebii Græcis, ex Syncello, & cum nominibus regum Calviſianis in ejus hujus Canonis editione: ut inde pateſcat unde ſua regum nomina hauſerit Petavius, imprimis ea, quæ in textu Canonis ad calcem Rationarii Græce editi, occurrunt.

Petavius

1° Nabonaſſarus. Scaliger Ναβονασαρυ.
2° Ναβονασαρυ. Calviſius Ναβονασαρυ.
1° Nadius. ex Calviſio. Scaliger Ναβιυ.
2° Ναδιυ. Calviſius Ναδιυ.
1° Chozirus & Porus. Scaliger Χινζηρυ καὶ Πορυ.
2° Χωζιρυ καὶ Πορυ. Calviſius Χινζιρυ καὶ Πωρυ.
3° Κινζηρος καὶ Πυρυ. Syncellus Goari. Χινζηρυ καὶ Πυρρυ.

NB. Illud Chozirus in Latino Canone videtur ortum ex propria Petavii conjectura, qua ipſi hoc probabilius viſum eſt: atque inde illud Χωζιρυ in Græco Canone profluxit.

Illud Κινζηρος in margine videtur ortum ex Scaligeri Χινζηρυ, & forte error Librarii aut typographi eſt, quod Κ loco Χ legatur, & quod non in gignendi, ſed in nominandi Caſu conceptum ſit.

Illud Πυρυ in margine videtur originem debere illi Πυρρυ, quod in

Syncelli Chronographia MSta Petavio non incognita, lectum fuiſſe, teſtis eſt ejus editor Jac. Goar.

1° Ilulæus. ex Scaligeri Ιλȣλαιȣ.
2° Ιȣγαιȣ. ex Calviſii Ιȣγαιȣ.
1° Mardokempadus. Scaligeri Μαρδοκεμπαδȣ.
2° Μαρδοκεμπαδȣ. Calviſii Μαρδοκεμπαδȣ.
1° Arcianus. non ex Scaligeri, qui habet Αρκεανȣ.
2° Αρκιανȣ. ex Calviſii, qui habet Αρκιανȣ.
3° Αρκαιανȣ. unde hoc neſcio.
1° Interregnum. ex Scaligeri ἀβασιλευτȣ.
2° Αβασιλευτον πρωτον. Calviſii Αβασιλευτȣ πρωτȣ.
1° Belithus. ex Scaligeri Βηλιθȣ.
2° Βηλιβȣ. ex Calviſii Βηλιβȣ.
1° Apronadius. non ex Scaligeri, qui habet Αποροναδιȣȣ.
2° Απροναδιȣ. ex Calviſii Απρωναδιȣ.
3° Απερωναδιȣ. unde hoc neſcio. Dodwel. & Bainbr. Απερωναδ.
1° Rigebelus. non ex Scaligeri, qui habet Ηριγεβαλȣ.
2° Ριγηβηλȣ. ex Calviſii Ριγηβηλȣ.
1° Meſeſſimordacus. non ex Scaligeri, qui habet Νεσνοιμορδακȣ.
2° Μεσεσσιμορδακȣ. ex Calviſii Μεσεσσιμορδακȣ.
3° Μεσησσιμορσακȣ. forte ex Syncelli Μεσησιμορδακȣ.
1° Interregnum. Scaliger Αβασιλευτȣ ἄλλȣ.
2° Αβασιλευτον β. Calviſius Αβασιλευτȣ β.
1° Jeariedinus. ex Scaligeri Ιεαρηδινȣ.
2° Αοσαρεδινȣ. ex Calviſii Αοσαρεδινȣ.
3° Ασαρεδινȣ. unde hoc neſcio.
1° Saosducheus }
2° Σαοσδȣχηȣ. } ex Calviſii Σαοσδȣχηȣ.
3° Σαοσδȣχινȣ. ex Scaligeri Σαοσδȣχινȣ.
1° Chyniladanus }
2° Χυνιλαδανȣ. } ex Calviſii Χυνιλαδανȣ.
3° Κυνιλασανȣ. Scaliger Κινιλαδαλȣ.
1° Nabopolaſſarus pater Nabuchod. . . . ex Scaligero.
2° Ναβοπολασαρȣ, ex Calviſii Ναβοπολασαρȣ.
3° Λαβοπολασαρȣ. unde hoc neſcio.
1° Nabopolaſſarus, ſive Nabuchodon. . . . ex Scaligero.
2° Ναβονολασαρȣ. ex Calviſii Ναβονολασαρȣ.
3° Λαβονολασαρȣ, unde hoc neſcio.

1° Ilus-

1° Iluarodamus } ex Calviſii Ιλȣαροδαμȣ. Scal. habet Ιλλοαρȣδαμȣ.
2° Ιλȣαροδαμȣ. }
3° Ιαλοαροσαμȣ. unde hoc neſcio.
1° Neregaſolaſarus. ex Scaligeri Νηρηγασολασαρȣ.
2° Νεριγασσολασσαρȣ. ex Calviſii Νεριγασσολασσαρȣ.
1° Nabonadius } ex Scaligeri & Calviſii Ναβοναδιȣ.
2° Ναβοναδιȣ. }

Ex hac collatione patet, Petavium in Canone ſuo, in Opere de Doctrina Temporum, Latine edito, modo Scaligeri, modo Calviſii editionem ſequi, *pro eo atque probabilius tunc temporis ipſi viſum fuit.*

Præterea inde patet, Petavium in Textu Canonis ſui, ad calcem Rationarii Temporum, Græce editi, ſemper ſequi editionem Calviſii: idque non tantum iis in locis, in quibus antea in Canone ſuo Latino editionem Scaligeri prætulerat, ſed etiam iis in locis, in quibus ipſa Calviſii editio a ſuo Autographo aberravit. Excepto tantum nomine tertii regis, quod in Canone Petavii Latino Chozirus, & in Græco Χωζίρου legitur, quod nec ex Scaligero, nec ex Calviſio, ſed ex propria Petavii conjectura, ut ſupra diximus. Nam, quod Petavius bis ο, Calviſius vero ω habeat in nomine Pori & Apronadii, nullius momenti eſt, & idem obtinet in nomine Ptolemæi Lagi & Antonini. Ut &, quod Petavius de ſuo ſcripſerit Αβασιλευτον, ubi Scaliger & Calviſius habent Αβασιλεύτου: cum potius hoc notandum, quod Petavius ad primum interregnum adſcripſerit plene πρῶτον, ad alterum vero interregnum literam numeralem β utrumque cum Calviſio, neutrum cum Scaligero, quo confirmatur Petavium in Canonis ſui Textu Græco exhibuiſſe Calviſii editionem.

Denique inde patet, Petavium in Canonis ſui Græci margine in Rationarii ſui editione tertia, decem variantes adſcripſiſſe Lectiones, & inter eas eſſe quatuor, quarum origo ſatis clare deprehenditur. Sex autem reliquarum originem hactenus mihi non conſtare. Utinam autem hæ ſex tales eſſent, ut inde merito concludere liceret, Petavium eas deſcripſiſſe ex Codice MS^to^ ipſi viſo, & ab eo, ex quo editio Calviſii profluxit, diverſo: ſed tales mihi non videntur, aliquot enim admodum leves ſunt, & nullæ tales, quin ex diverſa ſcriptione in Chronologia Syncelli MS^ta^, qua uſus eſt Petavius, oriri potuerint. Quibus accedit, quod mirum foret, ſi Codice hujus Canonis MS^to^ uſus eſſet Petavius, iſtum Codicem ipſi, in reliquis Regum deinceps nominibus, nullas omnino variantes ſuppeditaſſe Lectiones. (*)

(*) Hæ rationes non probant, quod Petavius illas variantes Lectiones, vel ſaltem earum

7ª In ſerie Regum Perſarum notandum, quod Petavius qui in Canone Latino recte ſcripſerat Arſus, ex Scaligeri Ἀρσου, deinceps in Canone Græco, ſecutus Calviſium, ediderit Αρώγου, ita enim in prima Calviſii editione lectum fuiſſe, judico, convenienter Codici Saviliano 1°, licet in poſteriori, qua utor, Calviſii editione, legatur Αρώϛου, vitio, ut puto, typographico.

8ª In Petavii Canone Græco in ſecunda Rationarii ejus editione legebatur, ut in Calviſii editione, hic titulus Ἑλλήνων βασιλεῖς, & huic ſubjuncti Alexander M. cum duobus reliquis. Vide ſupra §° 10, Lit. γ.

9ª In Petavii Canone Latino legitur Alexander M. quod videtur eſſe Alexander Magnus, ex Scaligeri Ἀλεξάνδρου τοῦ μεγάλου; ſed in ejus Canone Græco legitur Ἀλεξάνδρου Μακεδόνος, ut Calviſii habet editio.

10ª Titulus ille, quem Petavius, ex vetuſto Codice Bibliothecæ Regiæ, in Rationarii ſui editione tertia in Canonem intulit, & poſt Alexandrum locavit, remoto illo titulo, qui in Rationarii ſui editione ſecunda in Canone legebatur, & ante Alexandrum poſitus erat, titulus ille, (inquam) qui his verbis conceptus eſt, Ἔτη βασιλέων τῶν μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως τελευτὴν, non quadrat cum præcedenti titulo Περσῶν βασιλεῖς & adhuc minus cum ſequenti titulo, Ἑλλήνων βασιλεῖς ἐν Αἰγύπτῳ, & ab ordinaria forma titulorum, in Canone occurrentium, recedit: unde dubito, an vetuſtus ille Codex Bibliothecæ Regiæ ipſum Canonem Regum aſtronomicum continuerit, & in eam inducor ſuſpicionem, an non hic titulus profluxerit ex inſcriptione columnæ primæ in Tabula εἰκοσιπενταετηρίδων, quæ in προχείροις Κανόσι incipiebat a morte Alexandri. Vide ſupra §° 10. (*)

11ª Quod

earum aliquas, non deſcripſerit ex illo Bibliothecæ Regiæ vetuſto Codice: in Monito enim ad Lectorem, in Rationarii ſui editione tertia expreſſe dicit, *Hunc* (Canonem) *porro ex Græco Codice vetuſto Bibliothecæ Regiæ non nihil hac editione caſtigavimus.* & deinde hæc addit, *variantes itidem aliquot Lectiones ad marginem adſcripſimus.* non dicit quidem expreſſe, ſe illas variantes Lectiones ex eodem illo vetuſto Codice deſumpſiſſe, ſed cohærentia orationis videtur nos eo ducere: Mirum fateor videri poteſt, hunc Codicem ipſi in reliquis Regum deinceps nominibus nullas omnino variantes ſuppeditaſſe Lectiones. Sed hæc ratio tanti non eſt, ut dubitationem ingerere poſſit, an Codice hujus Canonis manuſcripto uſus ſit Petavius. Dici enim poteſt, Petavium vel perfunctorie hanc poſteriorem Canonis partem cum vetuſto illo Manuſcripto contuliſſe; vel nullas in nominibus Regum variantes Lectiones deprehendiſſe, quas dignas judicaverit, ut eas ad marginem annotaret.

(*) Titulus ille, ἔτη βασιλέων τῶν μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρου τοῦ βασιλέως τελευτὴν, quem Petavius ex vetuſto Codice Bibliothecæ Regiæ, in Rationarii ſui editione tertia, in

11ª Quod in Rationarii Petaviani editione tertia in Canonis textu legatur, Φιλίππȣ τȣ͂ μετ' Ἀλέξανδρον τ' κτίσιν, ad marginem vero Φιλίππȣ τȣ͂ Ἀῤῥιδαίȣ, videtur etiam ex vetuſto illo Codice Bibliothecæ regiæ profluxiſſe, ex quo, ut dicit, hunc *Canonem, in tertia Rationarii editione, nonnihil caſtigavit.* Certum enim eſt in Libro Theonis Alexandrini εἰς τȣ͂ς προχείρους Κανόνας, qui (quum Auctarium Operis ſui de Doctrina Temporum ederet) manuſcriptus penes Petavium erat, & in Bibliotheca Regia reperiebatur, initium Computi aſtrorum deduci a Philippo, qui poſt mortem Alexandri imperium adeptus eſt, & hunc Philippum ibidem ita circumſcribi, Φιλίππȣ τȣ͂ μετ' Ἀλέξανδρον τ' κτίσιν. Unde Petavius, ut mihi videtur, in Rationarii ſui tertia editione, hoc in Canonis Textum tranſtulit, & illud Φιλίππȣ τȣ͂ Ἀῤῥιδαίου, quod antea, ut puto, in Canonis ſui Textu, ex Calviſio, legebatur, in marginem relegavit. Atque hinc magis in illa confirmor ſuſpicione, quod ille vetuſtus Bibliothecæ Regiæ Codex Græcus Librum Theonis Alexandri εἰς τȣ͂ς προχείρους Κανόνας continuerit, cujus Apographum penes Petavium erat. (*)

12ª Quod Petavii Canon Græcus inſcribatur, Πτολεμαίου Κανὼν ΒΑΣΙΛΕΩΝ, cum & in Calviſii editione, & in Theonis εἰς τȣ͂ς προχείρους Κανόνας commentario legatur, non βασιλέων, ſed βασιλειῶν, miror. Non tamen puto eſſe variantem Lectionem, ex aliquo hujus Canonis Codice MSº a Petavio deſcriptam. Sed videtur vel ex ejus Canone Latino, vel ex errore oculi, quo apud Calviſium pro βασιλειῶν, legerit βασιλέων, vel aliunde ortum eſſe: ſicut etiam nomen Πτολεμαίου de ſuo præpoſuit; quod tamen ex ſuperſcriptione hujus Canonis, quæ in Calviſii editione reperitur, colligere potuit, quemadmodum etiam ipſe Calviſius, hoc fundamento nixus, Canonem ſuum Ptolemæo tribuit.

3ª Ex

Canonem Regum intulit, etiam reperitur in Codice Lugduno-Batavo in Canone Regum: unde potius contrarium concludendum, nempe Codicem Bibliothecæ Regiæ æque ipſum Canonem Regum aſtronomicum exhibuiſſe, ac hoc in Codice Lugduno-Batavo ad oculum videre licet infra §º 28. Sed obſervandum Petavium, hoc titulo admiſſo, debuiſſe non tantum priorem titulum, Ἑλλήνων βασιλεῖς omittere, ſed etiam poſteriorem Ἑλλήνων βασιλεῖς ἐν Αἰγύπτῳ, ſicut utrumque titulum in Codice Lugduno-Batavo omitti videre licet l. c.

(*) Illud Φιλίππȣ τȣ͂ μετ' Ἀλέξανδρον τ' κτίσιν, quod in Rationarii Petaviani editione tertia in Canonis Textu legitur, etiam reperitur in Canonis Textu in Codice Lugduno-Batavo, ut infra §º 28 videre licet. Unde videtur concludendum, Canonem Regum in Codice Bibliothecæ Regiæ ſatis magnam habuiſſe convenientiam cum primo Regum Canone in Codice Lugduno-Batavo.

13ª Ex iis, quæ hactenus obſervavimus tandem concludimus.

Petavium in Rationarii ſui editione ſecunda Canonem ſuum Græcum, non ex aliquo hujus Canonis Codice MS^to^, ſed ex Calviſii editione expreſſiſſe.

Et ea, quæ in Rationarii ejus editione tertia, huic Canoni, ex vetuſto illo Bibliothecæ Regiæ Codice Græco, acceſſerunt, vel potius in eo immutata ſunt, minime probare, Canonem Regum aſtronomicum in illo dicto Codice fuiſſe contentum. (*)

I.

De MSS^tis^, cum quibus Textum, e Codice Saviliano 1° expreſſum, contulit in Notis ſuis Dodwellus.

Dodwellus Textum hujus Canonis a ſe editi, contulit cum tribus MSS^tis^, cum *Codice* ſcilicet *Saviliano* 2°, & cum *duobus apographis Voſſii.*

a. Codicem Savilianum 2um detexit & deſcripſit, atque cum Dodwello communicavit Walliſius Profeſſor Savilianus. Sic enim ſcribit Dodwellus in Prolegom. §° LXII. p. 23. col. 2. *Non noſtra modo cum Savilianis contuliſſe contentus eſt Cl. D. D. Walliſius Profeſſor Savilianus digniſſimus. Sed & alium nobis Canonem ex iisdem Archivis Savilianis ipſe deſcripſit.* Et paulo infra, eadem paginâ, in Notis Auctorum, hæc habet: *S. 2. MS. Savilii ſecundum, quod Theonis fuiſſe puto uſque ad Diocletianum, nunc primum a Cl. Walliſio communicatum.* Et ſequenti p. 24. in Obſervationibus ad latus Canonis: *Et quidem* (inquit) *e Theſauro Saviliano alium, & ex alio Codice, Catalogum deſcripſit Cl. Walliſius, a Philippo incipientem, quem nos proinde Theoni tribuendum eſſe cenſemus, a recentioribus tamen aliis ad ſua uſque tempora perductum, & fortaſſe conſpurcatum.*

Incipit itaque in hoc Codice Saviliano 2°, Canon Regum aſtronomicus (ut ex loco proxime citato patet) non a Nabonaſſaro, ſed a Philippo Aridæo, Alexandri M. ſucceſſore.

Et pertingit, ut dicit Dodwellus in Prolegomenis §° LXII. p. 23. col. 2. *a ſecunda Canonis Epocha, initio nimirum Philippi Aridæi, ad Leonem Sapientem.*

Quem

(*) Ex iis, quæ modo in inferiori margine notavimus, merito contrarium concludimus, nempe ipſum Canonem Regum aſtronomicum in dicto illo Bibliothecæ Regiæ Codice fuiſſe contentum.

Quem Leonem, ut dicit in Notis, p. 27, col. 1. Dodwellus, hic Codex Savilianus 2us, ultimo loco nominat, ſed ſine annorum numero, & ſic in eo deficit. *Ut* (inquit ibidem Dodwellus) *veriſimile ſit ſub hoc Leone vixiſſe hunc continuatorem.*

De hoc Codice ita Walliſius: *nomina cum rubris literis pene fugientibus ſcripta; numeri atris & clarioribus*, ut loco citato notat Dodwellus.

Extat hic Codex, & hujus Canonis expreſſa mentio ſit, in Catalogo Librorum manuſcriptorum Angliæ & Hiberniæ, Tomo 1°, Parte 1^a^, p. 301. eſtque Bibliothecæ Bodleianæ, ſive Oxonienſis Codex 6611us; Muſæi autem Saviliani Codex 64us. Cujus contenta ita recenſentur.

Heraclii Imperatoris in Cl. Ptolemæi Canones προχείρους *commentarius, cum Tabella Regum a Philippo Aridæo ad Leonem II. Græce. Alia quædam aſtronomica.*

Hunc Canonem Regum, ex hoc Codice Saviliano a Walliſio deſcriptum, Dodwellus proprie non edidit, (quod utinam feciſſet!) ſed tantum cum Canonis textu, ex Codice Saviliano 1° a ſe edito, contulit, atque omnes variantes Lectiones accuratiſſime ad minutias uſque in Notis ſuis annotavit, & nos magno conferendi labore ſublevavit.

β. *De duobus Apographis Voſſii*, ſic ſcribit Dodwellus, in Prolegom. §° LXII. p. 23. columna 2^a^. *Alia præterea Canonis Apographa duo, cum Faſtis etiam Conſularibus Græcis ſecundis, ſuppeditarunt ſchedæ viri longe præſtantiſſimi Iſaaci Voſſii.* Et ibidem paulo inferius in Notis Auctorum *Voſſ. V. Cl. Iſ. Voſſii Apographa duo e MSS^tis^ duobus: Primum Heraclii Imperatoris fuiſſe puto. Secundum ex eodem, a recentiore tamen Auctore, concinnatum.* Et in Notis, p. 26. col. 2. ad N. 21. *Deſinit hoc in loco* (hoc eſt, in Phocæ fine, ubi colligit annos 933, Voſſii 1um, ut & Voſſii 2^dum^) *Voſſii 1um, quem proinde Heraclio Imperatori tribuendum cenſeo, qui ſcripſit in Canones* προχείρους; *ut proinde illud Imperatorum* Κανόνιον *ab eo auctum eſſe veroſimile ſit; præſertim cum & Faſti Voſſiani Conſulares deſinant ſimiliter in annum hujus Epochæ* (a Philippo) 953. *Heraclii nempe annum pro hac ſupputatione XX^um^. Convenit autem ut plurimum cum ſecundo Voſſiano, etiam in erroribus manifeſtis, ut proinde non alium fuiſſe credam Canonem, quem ob oculos habuerit ille etiam continuator.* Et ibidem, paulo inferius, ad N. 39. (vel potius 40) notat, loco Μιχαὴλ Ραγκαβὲς. Voſſ. 2. legere Μιχαὴλ σὺν τῷ υἱῷ. & addit: *hic deſinit Voſſii 2um.*

Incipiunt autem 1um & 2um Voſſii Apographum a Nabonaſſaro, ut ex variantibus Lectionibus, quas ex utroque Voſſii Apographo 1° & 2°

inde

inde a Nabonaſſaro etiam in priore Canonis parte, profert in Notis ſuis Dodwellus, videre licet.

Quando Dodwellus loquitur *de Voſſii Apographis*, non ſtatim apparet, quo ſenſu hoc ſit accipiendum.

Vel enim hoc vult, inter ſchedas Voſſii fuiſſe duo hujus Canonis Apographa ab ipſo Voſſio e duobus MSS[tis] deſcripta, & hæc ipſa apographa manu Voſſii ſcripta Dodwello a Voſſio tradita & communicata eſſe.

Vel ſimpliciter hoc vult, inter ſchedas Voſſii fuiſſe hujus Canonis duo diverſa Manuſcripta, quæ Voſſius in gratiam Dodwelli deſcribi curavit vel permiſit, & ſic alia Canonis apographa duo ſuppeditarunt ſchedæ Iſaaci Voſſii.

Si priori ſenſu hoc capiatur, miror Voſſium ad ſua apographa non annotaſſe ex quibus Manuſcriptis ea deſcripſerat, vel Dodwellum ex Voſſio, tunc adhuc vivente, hoc non inquiſiviſſe.

Si poſteriori ſenſu hoc accipiatur (quod hactenus præfero) tum merito quæritur, quo illæ Voſſii ſchedæ, & in ſpecie illa hujus Canonis duo diverſa Manuſcripta devenerint, & an in Voſſiana Bibliotheca, quæ in Lugduno-Batavam migravit, adhuc reperiantur.

Ego perluſtravi Catalogum Librorum manuſcriptorum Iſaaci Voſſii, juſſu Guil. Sancrofti Cantuarienſis Archiepiſcopi, a Paulo Colomeſio Rupellenſi confectum: qui inſertus eſt in Catalogo Librorum MSS[torum] Angliæ & Hiberniæ, Tomo 2°, Parte 1ª, p. 57. Sed nullam expreſſam horum duorum Manuſcriptorum inveni in eo mentionem.

Sed occurrit mihi in eo, p. 60. col. 2. Codex, qui hujus Partis 2240[us], ſed inter Voſſii Græcos 129[us] numeratur, continens varia opuſcula, inter quæ primo loco occurrit

Theonis Smyrnæi Canones Aſtronomici & Chronologici.

Perluſtravi quoque, in Catalogo Bibliothecæ Lugduno-Batavæ, quæ prodiit anno 1716 in folio, recenſionem Librorum manuſcriptorum Bibliothecæ quondam Voſſianæ; neque etiam in ea ullam horum Manuſcriptorum expreſſam repperi mentionem.

Sed ibidem p. 397. col. 2. N° 44. inter MSS[ta] Voſſii Græca in 4° occurrit quoque modo dictum opuſculum, quod hoc modo recenſetur.

Canones Aſtronomici & Chronologici, qui dicuntur eſſe Theonis Smyrnæi: in libro enim non exſtat nomen.

An autem hoc opuſculum huc pertineat, nec ne, mihi non conſtat: videant Lugdunenſes, quibus illud perluſtrare datum eſt.

Gerardus

Gerardus Joannes Voſſius, Iſaaci Pater, Libro de Scientiis Mathematicis, C. 31. §° 10. p. 140. edit. Amſt. 1650. in 4°, ſic ſcribit: *Habemus Canonem Mathematicum Ptolemæi de Regum & Imperatorum annis: cujus magna quidem pars eſt in Theonis Commentariis: plenius autem editus a Setho Calviſio, Petavio, aliis: ſpero autem, hoc ipſo integrius proditurum aliquando filii Iſaaci opera.* Ubi videtur reſpicere ad illa hujus Canonis duo MSS^ta^, quæ penes filium Iſaacum Voſſium erant. Vide omnino quæ notamus infra §° 27. Lit. H. N° 3°, 4°, 5°.

Dodwellus tamen illa hujus Canonis apographa duo, quæ ſchedæ Iſaaci Voſſii ipſi ſuppeditarant, proprie non edidit, ſed variantes eorum Lectiones, quas accuratiſſime ad minutias uſque in Notis ſuis annotavit.

K.

Obſervationes in collationem Codicis Saviliani 2^di^.

1^a^ De titulo generali huic Canoni in hoc Codice ſuperſcripto; an eum habuerit, nec ne; & qualis fuerit, mihi non conſtat.

2^a^ Tituli intermedii videlicet, Ἑλλήνων βασιλεῖς ἐν Αἰγύπτῳ; Ρωμαίων βασιλεῖς, & Χριστιανῶν Ρωμαίων βασιλεῖς, in hujus Codicis Canone deſunt.

3^a^ Omnia Regum & Imperatorum nomina, non in gignendi, ſed in *nominandi caſu* concepta ſunt.

4^a^ Regum & Imperatorum nomina fere ſemper ſimpliciter & nude exhibet, omiſſis cognominibus, titulis, aliisque, quæ diſtinctionis, aut ulterioris diſtinctionis gratia addi ſolent, & in Codice Saviliano 1° addita reperiuntur.

5^a^ Contra in ſerie Ptolemæorum, poſt Ptolemæum Lagi, ſola eorum Epitheta quibus a ſe invicem diſtinguuntur, expreſſit, omiſſo nomine Ptolemæi. Ita ut compendium ſcribendi in hoc hujus Codicis Canone ubivis quæſitum videatur.

6^a^ Præter jam dicta, non multæ in Regum & Imperatorum nominibus variantes occurrunt Lectiones: deprehendi enim in Dodwelli Notis ſolummodo ſequentes, nempe,

In Savil. 2° legitur
Μαρκος Κομοδος, loco Μαρκου ΚΑΙ Κομοδου.
Κωνσταντινος, loco Κωνσταντος. N° 24.
Λεων, loco Λεοντιου. N° 27.
Κωνσταντινος, loco Ειρηνης καὶ Κωνσ῀. N° 37. *

Q

7^a^ No-

7ª Nomini Imperatoris Auguſti ſingularis quædam in hoc Codice nota adjicitur. Legitur enim hoc modo Αυγουςος λῆλα. De qua ita Dodwellus: *Quid ſibi velit neſcio, ſed puto eum innuere novæ Epochæ initium.*

8ª Nomini Imperatoris Cari adjicitur etiam Nota quædam in hoc Codice adhuc magis ſingularis. Legitur enim hoc modo Καρος G↓GC λα. De qua ita Dodwellus: *Quid ſibi priores illæ notæ velint, plane neſcio. Poſtrema innuit, ni fallor, hic λείπειν, hoc eſt, deficere priorem illam Epocham Philippi, inde novam eſſe Diocletiani inchoandam.*

9ª In hujus Codicis Canone unica tantum obtinet Epocha, quæ a Philippo Aridæo inchoatur, & ad Leonem Sapientem, in quo Canon deſinit, prorogatur. Eſtque, Leone ipſo excluſo, annorum ασθ' (1209).

10ª In ſerie Regum a Philippo Aridæo uſque ad Cleopatræ mortem, ſtatim in initio turpis in hoc Canone error committitur annorum XX. Nam Philippo Aridæo hic Canon tribuit annos Imperii κζ loco ζ. Unde anni collecti uſque ad finem Ptolemæi Epiphanis, continuo viginti annis ſuperabundant.

Ne autem totius hujus intervalli ſumma totalis propterea ultra annos σϟδ, 294 excreſceret, cavetur hoc modo. Primo a Ptolemæi Philometoris annis unum decennium aufertur, eique tribuuntur tantum anni κε, loco λε. Unde anni collecti ad finem Philometoris & Euergetæ II, decem tantum annis ſuperabundant. Deinde a Ptolemæi Soteris annis alterum decennium aufertur, eique tribuuntur tantum anni κϛ, loco λϛ. unde anni collecti ad finem Soteris non amplius ſuperabundant, ſed in concordiam redeunt. Atque ita ſumma hujus intervalli totalis etiam in hoc Codice Saviliano 2º fit in Cleopatræ morte annorum 294, æque ac in Codice Saviliano 1º.

11º In illo, quem modo vidimus, errore videor mihi videre lapſum Librarii in annis Philippi Aridæi, qui in annis collectis per imprudentiam aliquouſque ab eo continuatus, & tum animadverſus, eo, quo vidimus, modo, per ablationem duplicis decennii, ubi id ipſi commodum videbatur, ab eo correctus fuit, ne cogeretur lituras facere, quibus Manuſcriptum ſuum ſtatim in initio commacularetur.

12ª In ſerie autem Imperatorum Romanorum, inde ab Auguſto uſque ad hujus Canonis finem, in annis ſingulorum Imperatorum, nec non proinde in eorundem annis collectis nulla, quantum in Dodwelli notis obſervavi, inter hunc Codicem Savilianum 2um, & Codicem Savilianum 1um differentia occurrit.

E. Ob-

L.

Obſervationes in collationem MSStorum Voſſii 1mi *&* 2di.

1a Duo hæc Voſſii MSSta hic conjungimus, quia plurima habent communia, & in quibus a ſe invicem diſſentiunt, facilius indicari poterit.

2a Inſcriptio illa Κανὼν βασιλειῶν in utroque MSto Voſſii, 1o & 2o deëſt.

3a De Titulis intermediis, quibus Canon regum quaſi in partes diſtinguitur.

Primus ille Ἀσσυρίων καὶ Μήδων videtur in utroque Voſſiano deëſſe.

Secundus ille Περσῶν βασιλεῖς in Voſſ. 1o & 2o reperitur.

Tertius ille Ἑλλήνων βασιλεῖς in Voſſ. 1o & 2o reperitur, & quidem ſuo loco immediate ante Alexandrum M. (ſaltem Dodwellus non indicat eum in Voſſ. 1o & 2o deëſſe. Verum in Codice Lugduno-Batavo hic titulus ab utroque Voſſ. 1o & 2o abeſt.)

Quartus ille Ἑλλήνων βασιλεῖς ἐν Αἰγύπτῳ, in utroque Voſſiano deëſt.

Quintus ille Ῥωμαίων βασιλεῖς adeſt, ſed Ῥωμαίων duntaxat habet Voſſ. 1, βασ. Ῥωμ. Voſſ. 2. ut notat Dodwellus.

Sextus ille Χριστιανῶν Ῥωμαίων βασιλ. in utroque Voſſiano deëſt.

4a In utroque MSto Voſſiano Canon regum duas tantum admittit Epochas, quarum

Una a Nabonaſſaro inchoatur, & in Alexandri Magni morte terminatur, eſtque annorum 424.

Altera a Philippo Alexandri ſucceſſore initium ducit, & uſque ad Canonis finem prorogatur. Eſtque

In Voſſiano 1o annorum 933.

In Voſſiano 2o annorum 1136.

5a Nomina Regum in prima Epocha, a Nabonaſſaro ad Alexandri mortem, concepta ſunt in *genitivo* caſu, in utroque Voſſiano, 1o & 2o. In altera autem Epocha, a Philippo uſque ad Canonis finem, concepta ſunt in *nominativo* caſu in Voſſiano 1o. In *genitivo* vero caſu, ut antea, in Voſſiano 2o.

6a Quod attinet annos Imperii ſingulorum Regum, & eorundem annos collectos, inde a Nabonaſſaro uſque ad Antoninum Pium, in utroque MSto Voſſiano, 1o & 2o, nullæ variantes occurrunt Lectiones.

 7a Circa

7ª Circa nomina regum a Nabonaſſaro uſque ad Nabonadium obſervo.

Primo in genere, Voſſii MSS^tum 1um & 2um non exacte inter ſe, & neutrum eorum exacte cum Codice Saviliano 1° convenire, ſed plures variantes ſuppeditare Lectiones, quæ tamen pleræque levis ſunt momenti: excepta illa unica, quæ circa quarti Regis nomen occurrit, quod ſcribitur Ιουγαιου, in Voſſ. 1°, convenienter Savil. 1°. Ιλουλαιου vero in Voſſ. 2°, ut apud Syncellum.

Secundo in ſpecie obſervo, quod in Voſſiano 1° quædam regum nomina ita ſcribantur, ut exacte vel proxime conveniant cum variantibus aliquot Lectionibus, quas in Rationarii ſui tertia editione, ad Canonis marginem adſcripſit Petavius. Scribitur enim

in Voſſ. 1°	in Petavii margine.
Αρκειανου	Αρκιανου.
Απεραναδιου.	Απαραναδιου.
Μεσησημορδακου	Μεσησιμορδακου.
Ασαριδινου.	Ασαραδινου.

Tertio etiam hoc noto, quod in Voſſ. 2° ſcribatur Αβασίλευτον πρῶτον in *nominandi* caſu, quod etiam in Canone Petaviano hoc modo reperitur. Sed in Voſſ. 2° hoc ex lapſu calami factum videtur, pro Αβασιλεύτου πρώτου. ſicut paulo inferius in *gignendi* caſu ſcribitur Αβασιλευτου β.

8ª Circa nomina regum a Cyro ad Alexandrum M. nulla, ſaltem notabilis, inter Voſſianum 1um & 2um inter ſe, & inter utrumque & Savilianum 1um differentia occurrit.

Nam quod in Voſſ. 1° legatur Κήρου, loco Κύρου, merus calami lapſus eſt, ſicut etiam, quod in eodem Voſſ. 1° bis legatur πρότου, loco πρώτου.

Et quod in Voſſiano 2° legatur ſimpliciter Αλεξάνδρου, loco Αλεξάνδρου Μακεδόνος ad compendia ſcribendi pertinet, quæ in Voſſ. 2° ſæpius obtinent. Quorſum etiam referendum eſt, quod in utroque Voſſ. 1° & 2° literæ numerales β. γ. adhibeantur loco δευτέρου, & τρίτου.

9ª Circa nomina Regum, a Philippo Aridæo uſque ad Cleopatram, notamus ſequentia.

Primo, in Voſſ. 1° legitur Φιλ. τ. μ. Α. τ. κτ. ut Dodwelli Notæ habent, quod plene foret Φιλίππου τοῦ μετ' Αλέξανδρον τὸν κτίστην: quod cum Petavii

Petavii Canone, in Rationarii editione tertia convenit. (In qua Lectione hoc mirum, quod Regis hujus Epochæ primi nomen exprimatur in genitivo caſu, cum ſequentium Regum nomina in nominativo caſu exprimantur) In Voſſ. 2° vero legitur ſimpliciter Φιλίππȣ. Savilianus 1us habet Φιλίππȣ Αριδαίȣ.

Secundo, in Voſſ. 1° & 2° exprimuntur tantum Ptolemæorum Epitheta, ipſo Ptolemæi nomine omiſſo; cum hac tamen differentia, quod in Voſſ. 1° hoc fiat demum poſt Ptolemæum Philadelphum: in Voſſ. 2° autem ſtatim poſt Ptolemæum Lagi.

Tertio, in Voſſ. 1° legitur Αλέξανδρος ἕτερος. In Voſſ. 2° vero ſimpliciter Αλεξάνδρου. Savil. 1us autem habet Αλεξάνδρου ἄλλου. Savil. 2us denique ſimpliciter Αλέξανδρος.

Quarto, quod in Voſſ. 1° ſcribatur Ευεργέτις, Επιφανις, Ευεργέτις β. cum ι loco η notandum. An autem infimæ Græcitati adſcribendum, neſcio.

Quinto, quod in Voſſ. 1° ſcribatur Φιλοπατορ, Φιλομητορ, cum ο μικρῶ, loco ω μέγα, etiam notandum; & dubito, an pro ſimplici errore calami ſit habendum.

Sexto, in Voſſ. 1° legitur: Νεοσδιόνυσος in Voſſ. 2°, autem, Διονύσου ναίου. In Savil. 1° denique etiam ſimpliciter Διονυσίου. In Savil. 2° denique etiam ſimpliciter Διονύσιος.

Septimo, in Voſſ. 1° ad nomen Cleopatræ adjicitur hæc nota ΓΥΓ. *Qua nota* (inquit Dodwellus) *eam γυναικα fuiſſe, ni fallor, innuit.*

10^a Circa nomina Imperatorum ab Auguſto uſque ad Antoninum Pium, hæc duo tantum occurrunt obſervanda.

Primum, quod in Voſſ. 1° Caji Caligulæ nomen ſcribatur hoc modo, Γαιος Ιουλιος Καισαρ. Cum in Voſſ. 2° & Savil. 1° ſcribatur ſimpliciter Γαιου: ut & in Savil. 2° ſimpliciter Γαιος.

Alterum, quod in Voſſ. 1° ſcribatur Αιλιος Αντονινος. In Voſſ. 2° vero Ελιου Αντονινου. In Savil. 2° autem ſimpliciter Αντωνινος. ut & in Savil. 1° ſimpliciter Αντωνινου, & quidem in utroque cum ω μεγα.

11^a Quod attinet intervallum ab Antonino Pio excluſive uſque ad Diocletianum excluſive: licet in ejus fine Voſſii 1us & 2us totidem a Philippo colligat annos, quot Savilianus 1us & 2us, nempe annos 607. tamen ſtatim in hujus intervalli initio, & deinceps major occurrit diſſenſio. Nam

Primo ad illa, in Canonis textu, ex Codice Saviliano 1° expreſſa verba, Μαρκου και Κομοδου anni λβ. colliguntur φιε. hæc notat Dodwellus:

Diſjunctim hæc ſecundus Voſſii Cod. MS. ita: Μαρκου Αντωνινου και Βηρου ιθ. φβ. Κομμοδου ιγ. φιε. *Sed conjunctim alii omnes. . . . . .* Κομοδος, *Voſſ. 1us, ita tamen ut utriusque tempora, tam Antonini, quam Commodi, ſuo Commodo tribuat.* λβ. φιε. *Recentioribus itaque hæc videtur tribuenda variatio.*

Secundo, ad illa in Canonis textu, ex Codice Saviliano 1° expreſſa verba; Σεβηρου anni κε, colliguntur φμ. hæc notat Dodwellus: Συηρος και Αντωνινος (κε. φμ.) Voſſ. 1. *& quidem Antonini Caracallæ annos Severi annis accenſeri conſtat, cum Severo anni XXV tribuuntur, qui tamen ſolus XVIII duntaxat imperarit, ad eandem plane formam, qua & Commodi annos cum Patre communes fecerunt noſtri Canonis concinnatores. Idem tamen Voſſii Cod. ſecundus, qui filium ſuperius a Patre ſejunxerat, hic etiam ab invicem ſeparat, ita enim ille:* Σεβηρου ιη. φλγ. Αντονινου Καρακαλου ζ. φμ.

Tertio, in Voſſ. 1° & 2°, Philippo tribuuntur anni Imperii ζ, loco ς, adeoque colliguntur φξγ, loco φοβ. Decio quidem in Voſſianis, æque ac in Savilianis, tribuitur tantum annus Imperii α, ſed in annis collectis illa unius anni differentia prorogatur: colligunt enim Voſſii 1us & 2us φοδ, loco φογ. Verum in Voſſ. 1° & 2°, Gallo & Voluſiano tribuuntur anni Imperii β, loco γ, atque hoc modo in annis collectis Voſſiani cum Savilianis iterum in concordiam redeunt, colliguntque omnes pariter φος. Nam quod in Voſſ. 1° hic legatur φοα, notorius calami error eſt.

Quarto, in nominibus Imperatorum præterea hæc differentia occurrit:

Voſſ. 1.	Voſſ. 2.	Savil. 1.
Αντωνινος νεος	Αντωνινου αλλου.	Αντωνινου.
Αλεξανδρος ὁ Μαμαιας.	Αλεξανδρου του Μαμαιας.	Αλεξ. Μαμαία.
Γαλος και Βιλλουσιανος.	Γαλλος και Βολλουσιαν.	Γαλλου.
Ουαλεριος και Γαλλινος.	Ουαλεριανου και Γαλλινου.	Γαλληνου.
Αυριλιος.	Αυριλλιανου.	Αυρηλιανου.
Καρος και Καρινος.	Καρου και Καρινου.	Καρου.

12a Quod attinet intervallum a Diocletiano uſque ad Heraclium excluſive, ubi Voſſii MStum 1um deſinit. In eo tanta diverſitas, & tam magna variantium Lectionum ſeges occurrit, tam in ipſis Imperatoribus, quam in

in eorum annis Imperii atque annis collectis, ut in ſpecie hic recenſeri non poſſint, ſed ipſæ Dodwelli notæ ſint conſulendæ. Quædam tamen hic notanda ſunt.

Primo in genere obſervo concinnatorem ſeu continuatorem Canonis Voſſiani 1mi voluiſſe hanc Canonis partem quaſi ſupplere, conjungendo Imperatores Occidentis cum Imperatoribus Orientis. Cujus rei etiam quædam veſtigia in Voſſiano 2° conſpiciuntur.

Secundo, in Voſſ. 1° cum Diocletiano conjungitur, in Voſſ. 2° autem ſeparatim Diocletiano ſubjungitur Κωνςαντῖνος cum quatuor Imperii annis, & deinde ſequitur Κωνςαντῖνος cum κθ Imperii annis, quot in Saviliano 1° & 2° Conſtantino Magno tribuuntur. Unde ſuſpicor priorem illum Conſtantinum eſſe Conſtantium Chlorum, Conſtantini Magni patrem.

Tertio, notandum Voſſianum 1um & 2um ſatis exacte inter ſe convenire in annis Imperii ſingulorum Imperatorum, & eorundem annis collectis: modo tollantur in utroque Canone pauca quædam Librarii errata, meo judicio, notoria, ut antecedentia & conſequentia produnt: & præterea obſerventur, quæ infra notabo, hoc ipſo §° litt. O. obſerv. 3tia.

Quarto notandum in Voſſ. 2° Valenti tribui annos ιδ, & colligi annos ψα. in Voſſ. 1° autem hoc ſpatium XIV annorum in duo diſpeſci, ita ut Valentiniano & Valenti tribuantur anni ι & colligantur anni χϟζ. & porro Valenti & Gratiano in Roma tribuuntur anni δ, & tum colliguntur etiam ψα. Quod dum concinnator Canonis Voſſiani 2di animadvertit, hinc ipſi nata eſt hæc nota, Ουαλεντινιανε (anni) ι (colliguntur, χϟζ, pro quo erroneè legitur ψϟζ, nullo ſenſu. Cui adfuiſſe videtur altera, quæ excidit nota, qua Gratiano, ut videtur, reliqui, ex XIV, anni δ" tribuebantur, & ſic colligebantur, ut ſupra ψα anni. (Errores in Imperatorum nominibus nunc non curo.)

Quinto notandum, in Voſſ. 2° Theodoſio Juniori tribui annos μβ. in Voſſ. 1° autem hoc ſpatium XLII annorum in tria minora diſpeſci, quæ ſimul juncta, præciſe eandem ſummam reddunt.

Sexto, Voſſiani duo, propter illum Conſtantinum cum quatuor Imperii annis inſertum, ſtatim in hujus intervalli initio, a Saviliano 1° recedunt, & anni collecti quatuor annis ſuperabundant: idque, cum levi interim mutatione, continuatur uſque ad finem Theodoſii Junioris, a cujus annis iterum quatuor annos auferunt, tribuentes ei annos imperii tantum μβ', loco μϛ'. Quo facto, Voſſiani duo, ad finem Theodoſii Junioris, cum Saviliano 1° iterum in concordiam redeunt, colligentes pariter

riter annos ψογ′. Inde Voſſiani duo, tribuentes Marciano annos ϛ′, loco ζ′, rurſus diſſident a Saviliano 1° anno uno; ſed quia Leoni, qui Marcianum immediate ſequitur, tribuunt annos ιη′, loco ιζ′, denuo cum Saviliano 1°, ad finem hujus Leonis in concordiam redeunt, colligentes pariter annos ψϟζ′. Tum porro Voſſiani duo, tribuentes Zenoni, qui Leonem immediate ſequitur, annos ιζ′, loco ιη′, iterum a Saviliano 1° incipiunt diſſidere anno uno; atque illa unius anni diſſenſio continuatur uſque ad Juſtinum Juniorem, cui tribuunt annos ιγ′, loco ιβ′, atque hoc modo cum Saviliano 1°, ad finem Juſtini Junioris, rurſum in concordiam redeunt, colligentes pariter annos 901. Atque hæc concordia perſeverat uſque ad Phocæ mortem, in qua Voſſiani duo, cum Saviliano 1° & 2°, colligunt annos 933. & ubi Voſſianus 1ᵘˢ deſinit.

Septimo, quid ſibi velit Voſſii 1ᵘˢ, dum (teſte Dodwello in Notis ſuis, N. 4.) ſic ſcribit: Κωνςαντιν☉ κδ. χπδ. και οι υιοι α. χπζ. non capio. An hic, de Conſtantino Magno loquens, voluerit indicare eum, ultra annos XXIX modo ipſi adſcriptos, etiam aliquo tempore cum filiis ſuis conregnaſſe. & an per illud α. χπζ. (quod nullum ſenſum habet) voluerit indicare quouſque Conſtantini Junioris, qui filiorum Conſtantini M. primus (α) erat, imperium, quod circiter triennale fuit, ſe extenderit: quod triennium ab ipſo Canonis concinnatore, vel ab alio, erroneè ad annos collectos χπδ adjectum, produxerit illud χπζ′. Judicent alii. Melius certe Voſſii 2ᵘˢ, omiſſa hac lacinia, habet, Κωνςαντιν κλ′. χπα′. ubi tamen pro κλ′ (quod nihili eſt) legendum κδ′. & per conſequens pro χπα′ legendum χπδ′. quod utrumque etiam antecedentia & conſequentia poſtulant.

Octavo, quæ ad Juliani Apoſtatæ nomen in Voſſ. 1° adſcribuntur, ingenioſe a Dodwello in Notis ſuis illuſtrantur.

Nono, quod in Voſſ. 1° legatur Λεων μεγας ιη. ψϟζ. Λεων και Ανθεμι☉ ἐν Ρωμῃ . . . . . Λεων μικρ☉. . . . Nullum ſcrupulum faciunt, quia illa additamenta literis numeralibus carent, & Canonem non ingrediuntur.

Decimo, annus Nabon. 1358ᵘˢ & Philippi 934ᵘˢ init Martii die 24° labente anno Chriſti 610°, teſte Calviſio. Et eodem anno Chriſti 610° Octobris die 6°, interiit Phocas, & veſpera ejuſdem diei coronatus Heraclius, teſte Chronico Paſchali. Quod non male convenit cum Voſſianis & Savilianis, qui omnes Phocæ ultimum numerant Philippi 933ᵘᵐ, & Heraclii primum Philippi 934ᵘᵐ.

13ᵃ Quod

13ª Quod attinet intervallum ab Heraclio uſque ad finem Michaëlis Rancabæi, ubi Voſſii 2^{dus} deſinit. In eo, licet Voſſii 2us plures variantes Lectiones Dodwello ſuppeditet, pauca tamen notanda ſunt.

Primo notamus, quod ſtatim in hujus intervalli initio, Voſſii 2us incipiat uno anno a Saviliano 1° diſſidere; quia Voſſii 2us Heraclio tribuit annos imperii tantum λ″, loco λα″. Unde anni collecti in Voſſ. 2° uno anno deficiunt, donec ad finem Conſtantini Copronymi tandem cum annis collectis in Savil. 1° iterum in concordiam redeant.

Secundo notamus, quod in Voſſ. 2° Artabaſſus, cum annis imperii γ, non recenſeatur, quanquam ejus anni imperii tres ſequentis Imperatoris Conſtantini Copronymi annis accenſeantur. Quod in Voſſ. 2° ita fit ut ad ſummam annorum unus præterea annus ſuperaddatur: tribuuntur enim Conſtantino Copronymo anni, non λ″ + γ″, ſeu λγ″, ſed λδ′. Atque hoc modo unus ille annus, Heraclio ablatus, hic iterum reſtituitur, & Voſſii 2us cum Savil. 1° in concordiam reducitur, dum ambo colligunt annos αϟη″. 1098.

Tertio notamus, quod hæc modo dicta concordia revera perſeveret uſque ad Voſſiani 2^{di} finem, ubi colligunt ambo annos αρλϛ. 1136. Sed ſimul obſervandum eſt, quod illi anni ιζ, qui in Saviliano 1° tribuuntur Ειρηνη και Κωνϛαντινῳ, ita in Voſſiano 2° diſpeſcantur, ut Κωνϛαντινῳ και Ειρηνη tribuantur anni ι″. & deinde Κωνϛαντινῳ ſoli tribuantur anni ζ″. qui ſimul juncti illos ιζ″ annos conſtituunt.

Quarto notamus, quod ad Conſtantini, Heraclii filii, nomen in Voſſ. 2° quædam adſcribantur, quæ in Notis ſuis profert Dodwellus hoc modo Κωνϛαντ. τ. σισιν δυσιν ιξ ηϙχλ͂. α″. 964. quæ nec legere, nec capere poſſum. Videntur autem reſpicere ad conſortium imperii hujus Conſtantini cum patre Heraclio. Nam illud ιξ valet και, ut alibi in his Notis obſervat Dodwellus.

M.

Obſervationes in Collationem Catalogi Impp. Roman. ab Auguſto ad Commodi mortem, apud Clementem Alexandrinum Stromat. L. I. p. 339. A. ed. Par. 1629.

1ª Dodwellus in Notis ſuis, N. 1. ſic ſcribit: *Hinc* (ab initio ſcilicet imperii Auguſti poſt Cleopatræ mortem) *ad mortem Commodi Imperatorum Romanorum Catalogum tranſcripſit Clem. Alex. Strom. I. p. 339.*

 Deinde,

Deinde, N. 7. notat, Γάλβας ἔτ. α´ *non inſeritur a Clemente Alexandrino.* Quod deinceps ex variis Claudii Ptolemæi Obſervationibus cæleſtibus, quæ in ejus magnâ Syntaxi memorantur, probat: quippe quæ illum Galbæ annum unum excludunt, qui etiam in Canone regum aſtronomico non recenſetur, Galba enim plane ab hoc Canone abeſt. Vide N. 10. 12. 13. 14.

Denique N. 15. hæc habet: *Hucuſque Clemens Alexandrinus, qui ab Auguſto ad finem Commodi annos numerat CCXXII, & quidem bis (ne mendum ſubeſſe ſuſpicemur) cum tamen ſummæ particulares non ultra CCXX conſurgant. Peccarat nimirum in Antonino Pio, cui annos duntaxat XXI aſſignarat, cum tamen XXIII eſſent illi e noſtro Canone reponendi. Quod vero Galbæ annum unum tribuat, id hauſit, ni fallor, ex Eccleſiaſticis aliquo ſcriptore de Canone Paſchali Alexandrino. Illos conſtat temporum fuiſſe admodum imperitos, & tamen omnia quo jure quave injuria ſuis hypotheſibus accommodaſſe.*

2ª Recte, dicit Dodwellus, Clementem Alexandrinum ab Auguſto ad Commodi mortem numerare annos 222., idque *bis*, videlicet l. c. pag. 339. B. & paulo ſuperius p. 337. C. & recte inde concludit, eo tolli ſuſpicionem mendi in numero annorum 222., qui bis occurrit, & quidem p. 337. C. plenis verbis exprimitur.

Recte etiam monet Dodwellus, ſummas particulares tamen, a Clemente recenſitas, non ultra 220 conſurgere. Quod cuique eas in unam colligenti, experiri licet. Et hoc (vitio, ut videtur, Librarii) ſæpius apud Clementem Alexandrinum contingit, ut ſummæ particulares, ſi in unam colligantur, non conveniant cum ſumma totali ab Auctore expreſſa.

Unde etiam mihi jam antea viſum fuit, Antonini annos, binario eſſe augendos, & pro κα´´ legendum eſſe κγ´´., ut ſumma totalis annorum 222. (quæ tentari non poterat) ex particularibus rite conſurgeret.

3ª Dodwellus ſtatuit Clementem Alexandrinum Catalogum Romanorum Imperatorum, ab Auguſto ad Commodi mortem, tranſcripſiſſe ex Canone regum aſtronomico; ut ex ejus verbis, ſupra, obſervatione 1ª adductis, patet. Confer, quæ in Prolegomenis, §º 50. p. 19. col. 2. ſcribit Dodwellus, his verbis: *Commodus non unum duntaxat, ut Hadrianus, ſed plures habuit annos cum patre communes. Proinde ne bis iidem numerarentur, aut utriusvis anni plures prætermitterentur; placuit aſtronomis in unum numerum utriusque tempora conferre. Sic enim vetuſtiſſimus noſtri Canonis exſcriptor Clemens Alexandrinus, quamvis recentiores alii ſuos utrique annos ſigillatim aſſignarint.*

Dubito

Dubito autem an, quid in ſua hac ſententia ſupponatur, ſatis ad animum revocaverit Dodwellus. Hæc enim Dodwelli ſententia ſupponit, tunc temporis, quando hæc ſcribebat Clemens Alexandrinus, non tantum in genere jam extitiſſe Canonem Regum aſtronomicum, qui ad Claudii Ptolemæi tempora ſe extendebat, ſed præterea in ſpecie hunc Canonem jam ab aſtronomis ultra Cl. Ptolemæi tempora, uſque ad Commodi mortem continuatum, tunc exſtitiſſe, & Clementi Alexandrino innotuiſſe, ut eum exſcribere potuerit, & juxta placita aſtronomorum, utriusque Antonini & Commodi annos in unum numerum conferre. Licet enim Clemens Alexandrinus adhuc aliquo tempore ſupervixerit, & forte poſteriora Antonini Caracallæ tempora attigerit, admodum tamen probabile eſt, eum hæc non longe poſt Commodi mortem ſcripſiſſe.

At dices, ipſa, quæ inter Clementis Catalogum & Canonem aſtronomicum reperitur, convenientia, tanta eſt, ut Clementem Canonis exſcriptorem ſatis clare prodat. Fateor, magnam inter Clementis Catalogum & hunc Canonem eſſe convenientiam; ſed inter utrumque etiam notabilis agnoſcenda eſt differentia, tam in Imperatoris Galbæ inſertione apud Clementem, qui ab hoc Canone abeſt, quam in collectione ſummæ totalis, quæ apud Clementem eſt annorum 222, in Canone vero 221. Quod certe exſcriptoris non eſt.

Verum quidem eſt, hoc aſtronomis proprium eſſe, quod annos Imperii Auguſti à Cleopatræ morte deducant, eique annos Imperii duntaxat 43 tribuant. Sed tamen his non ita privum hoc fuit, quin & cum aliis ſcriptoribus Ægyptiis ſeu Alexandrinis commune habuerint. Certe Clemens Alexandrinus etiam aliis in locis Chronologiam ſuam ita inſtituit, & annos Auguſti hoc modo computat: & jam ante Clementem, Philo Judæus in Libro de Legatione ad Cajum, p. 1013. D. edit. Pariſ. 1640. ſcripſerat, *Auguſtum annis tribus & quadraginta Ægyptum tenuiſſe*.

Et cur quæſo non potuit Clemens ſua aliunde, quam ex hoc Canone, haurire, & tamen in plurimis cum hoc Canone convenire: fontes enim unde hujus Canonis concinnatores ſua hauſerant, quos juxta ſuas hypotheſes canonice diſpoſuerunt, æque Clementi patebant, ac ipſis.

Certe Clemens hunc Romanorum Imperatorum Catalogum non proponit, tanquam ex aliorum auctoritate, ut mox ſequentem facit, multominus tanquam ex aſtronomorum Canone transſcriptum, neque ullum apud Clementem indicium mihi occurrit, eum cum aſtronomis Alexandrinis gentilibus ullum habuiſſe commercium. Sed hunc Catalogum

proponit tanquam ſuum ex propria Chronologia; ſic enim ſcribit, *οὐδὲν ἦ οἶμαι ἐπὶ τούτοις χεῖρον καὶ τοὺς χρόνους τῶν Ρωμαικῶν βασιλέων παραθέσθαι, εἰς ἐπίδειξιν τῆς τοῦ Σωτῆρος γενέσεως.* pag. 339. A. & tum hunc profert Catalogum: cui deinde ſubjungit alium, ex aliorum ſententia. Tum eadem p. 339. D. dicit *Chriſtum natum anno viceſimo octavo Auguſti Cæſaris*, a morte ſcilicet Cleopatræ computato. Quod deinde p. 340. probare conatur ex Lucæ Euangelio. Et tum p. 140. B. hæc ſubjicit: *Fiunt autem ex quo natus eſt Dominus uſque ad Commodi mortem, anni omnes centum nonaginta quatuor, menſis unus, dies* 13. Si autem ad hos annos 194 adjeceris modo dictos annos 28, fient anni 222, ab Auguſto ad Commodi mortem, ut ſupra.

Accedit, quod etiam Catalogus Regum Macedonicorum, qui Ægyptum tenuerunt, quem Clemens Alexandrinus exhibet p. 331. D. etiam maximam cum Canone regum aſtronomico habeat convenientiam, & quidem majorem, quam primo intuitu videtur: nemo tamen, ut puto, facile dixerit, Clementem hæc ex Canone illo Mathematico tranſcripſiſſe. Præſertim cum conſtet, eum etiam alios conſuluiſſe Chronologos, qui ab Alexandri morte ad Auguſti Victoriam, quando Antonius ſeipſum interfecit in Alexandria, numerabant annos præciſe 294. & hanc Victoriam Auguſti & mortem Antonii componebant cum Auguſti Conſulatu quarto: ut videre licet apud Clementem, Stromat. I. p. 336. C.

4ª *Quod vero* (inquit Dodwellus) *Galbæ annum unum tribuat, id hauſit, ni fallor, ex Eccleſiaſtico aliquo Scriptore de Canone Paſchali Alexandrino.* Et addit: *illos conſtat temporum fuiſſe admodum imperitos, & tamen omnia, quo jure quavo injuria ſuis hypotheſibus accommodaſſe.* Quod nollem viro doctiſſimo hic, ubi de tempore quo vixit Clemens agitur, excidiſſet.

Non enim, quantum mihi conſtat, ulli Scriptores, de Canone Paſchali Alexandrino ſuperſunt, qui ante Commodi mortem ſcripſerunt, ex quorum ſcriptis de eorum, in ordinandis Romanorum Imperatorum temporibus, peritia vel imperitia, dijudicari poſſit.

Neque video Clementem per inſertionem Galbæ, qua uno tantum anno in ſuo Romanorum Imperatorum Catalogo, ab hoc Canone aſtronomico aberravit, tam graviter peccaſſe, ut ejuſmodi obſervationi præbuerit occaſionem.

Præſertim cum Dodwello incognitum eſſe non poterat, quantum ipſe laboraverat in Prolegomenis ſuis, ut hujus Canonis Romanorum Im-

Imperatorum Chronologiam cum veritate hiſtorica conciliaret: in quo tamen egregiam ad Canonis confirmationem præſtitit operam.

N.

Obſervationes in ſpecialia quædam quæ in Dodwelli Notis occurrunt.

1ª Dodwellus ſparſim in Notis ſuis hunc Canonem ex pluribus Claudii Ptolemæi Obſervationibus, quæ in ejus magna conſtructione memorantur, egregie confirmavit.

2ª De *Titulo*, quem Theo Alexandrinus (ut putabat Dodwellus) huic Canoni tribuit, hæc habet in Notis, p. 24. col. 1. N. 1. Κανόνιον τῶν *βασιλειῶν ἐπὶ συναγωγῶν. Theon. Fragm* Male, meo judicio. Nam illud ἐπισυναγωγῶν, quod ita conjunctim legendum, ad Titulum Canonis non pertinet. Vide ipſum Theonis locum, & noſtras in eum Obſervationes, ſupra §° 6. Lit. e.

3ª De *Alexandro* Roxanæ filio, & annis 12, qui in Canone ipſi tribuuntur, hæc notat Dodwellus p. 25. col. 1. N. 5.

Κασσάνδρου legendum putat Uſſerius, vel ipſum ſaltem intelligendum, quomodo Lycophroni Alexandra & Caſſandra eadem. Fallitur vir doctiſſimus. Eſt enim Alexander filius, quem regem agnoverunt Macedones, propterea a Caſſandro poſt duodecimum regni annum extinctus Olympiadis 117 *anno ſecundo, teſte Diodoro.*

Hallucinatur tamen Canonis Autor, quod XII annos putet a morte Aridæi eſſe numerandos. Vide Syncell. p. 264. Vide Jungmannum, in Daniele reſerato, L. 1. Sect. 3. C. 16. p. 757. & van Alphen, in Danielis Cap. IXum. Uplagen 4de Deel / 2de Hoofdſt. p. 290—296.

4ª De *Antonino Caracalla*, cujus nomen in Codicibus Savilianis reticetur, licet annorum Imperii ejus ratio habeatur. Sic ſcribit in Notis Dodwellus p. 25. col. 2. N. 16.

Antonini Caracallæ annos Severi annis accenſeri conſtat, cum Severo anni XXV tribuuntur, qui tamen ſolus XVIII duntaxat imperavit, ad eandem plane formam, qua & Commodi annos cum patre communes fecerant Canonis noſtri concinnatores.

Cum hac tamen notabili differentia, quod ibi expreſſe legatur, Μάρκου καὶ Κομόδου, hic autem ſimpliciter, Σεβήρου.

Confer Lectiones Codicum Voſſianorum, 1^{mi} & 2^{di}, de quibus ſupra.

5^{a} De *Macrino* plane omiſſo ſimpliciter notat Dodwellus p. 25. col. 2. N. 17.

Macrini nullam habet (hic Canon) *rationem*. Confer Prolegomena, §° LI. p. 20.

6^{a} De *Maximini* Imperii annis ſic ſcribit Dodwellus in Notis pag. 25. col. 2. N. 19.

Maximini annos numerat ad cædem Maximi & Balbini, quo tempore Imperium Auguſteum adeptus eſt Gordianus Junior.

7^{a} De *Gordiani* Imperii initio (cujus annus primus in Canone cum anno Nabonaſſari 985°, Philippi 561°, & Auguſti 267° connectitur) hæc notat Dodwellus, p. 25. col. 2. N. 20.

Primum Gordiani annum ita notat Cenſorinus, quod fuerit Nabonaſſari 986us, Philippi, ſive ab exceſſu Alexandri M. 562us, Auguſtorum 267us. Quæ ſibi invicem non conſentiunt. Recte quidem ille in Imperio Auguſtorum. Reliquæ itaque Epochæ ad illum corrigendæ. Niſi forte Galbæ illum, quem diximus, annum cum Clemente retinendum cenſueris. Quod porro initium Thoth in VII. Kal. Jul. (Junii viz. XXV) hoc anno incidiſſe tradit, & verum eſt, & locum huic anno certum in Periodi Julianæ ſaltem quadriennio aſſerit, & cum ſit Tetraëteridis ultimus, facit ne poſſit in ulteriora protrudi. Hæc Cenſ. de die Nat. C. 21. Vide Bucher. Doctrin. Temp. p. 233.

Ad quæ Dodwelli verba notamus ſequentia:

Primo, de Gordiano, ejusque primo Imperii anno, nullam facit mentionem Cenſorinus, ſaltem illo in loco, qui hic citatur, & in quo de his Epochis agit, de die Natali C. 21. Sed ibidem Cenſorinus hos illarum Epocharum annos connectit cum Conſulatu Ulpii & Pontiani, qui Conſules fuere anno Æræ Chriſti vulgaris 238. conſentiente Petavio, Bucherio & ipſo Dodwello. (Notandum tamen, quod in Faſtis Theonis Pontiano in Conſulatu collega adjungatur, non Ulpius, ſed Gordianus; quorſum reſpexiſſe videtur Dodwellus.)

Secundo, cum hoc Ulpii & Pontiani Conſulatu, atque anno Chriſti 238° componit Cenſorinus non tantum annum Julianum 283um & Auguſtorum, juxta Romanos 265um, ex Kal. Jan. ineuntes, & ſic cum Ulpii & Pontiani Conſulatu atque anno Chriſti 238° pari paſſu ambulantes, ſed etiam annum a prima Olympiade 1014um, hoc eſt, Olympiadis CCLIV^{a} annum 2um, ex diebus æſtivis ineuntem. Adeoque, quum

quum hoc ſcribebat Cenſorinus, habebatur jam hic annus Olympiadicus ex diebus æſtivis anni Chriſti 238^{vi}. Et per conſequens labebatur quoque jam annus Nabonaſſari 986us & Philippi 562us, ex die VII Kal. Jul. hoc eſt, ex die Junii 25° ejuſdem anni Chriſti 238^{vi} Conſulatum gerentibus Ulpio & Pontiano. Unde patet duas hasce Epochas, a Nabonaſſaro ſcilicet, & a Philippo, apud Cenſorinum recte ſe habere & non ad Epocham ab Auguſto eſſe corrigendas, ſed contra, ſi correctio neceſſaria eſt, potius illa ab Auguſto Epocha ad has duas corrigenda erit.

Tertio, *ſed Ægyptii* (inquit Cenſorinus) *habent hunc Auguſtorum annum* 267um quorum verborum, ſi quid video, hic ſenſus eſt, ſed hunc annum Auguſtorum qui Romanis numeratur 265us & ex Kal. Jan. init, Ægyptii, qui biennio ante in poteſtatem ditionemque Pop. Rom. venerant, habent Auguſtorum annum 267um. Quod ad concurſum utriusque anni Auguſtorum, Romani ſcilicet & Ægyptii, referri poteſt. Annus enim Auguſtorum Ægyptius fixus 267us majori ſui parte, per octo fere menſes, cum anno Auguſtorum Romano 265° concurrit. Probabile enim eſt Cenſorinum hic loqui de anno Auguſtorum Ægyptio fixo, quem poſtquam in poteſtatem ditionemque Pop. Rom. venerant, brevi poſt receperunt, & quorum dinumerationem ab eo anno, quo in poteſtatem, ditionemque Pop. Rom. venerant, deducebant. Quod ſi admittatur & praeterea ponatur, Cenſorinum hæc ſcripſiſſe intra illud temporis ſpatium, quod ex diebus æſtivis, quibus agon Olympicus celebratur, uſque ad menſis Auguſti diem 29um, a quo annus Auguſtorum Ægyptius fixus 268us init, decurrit, (quod, ni fallor, Petavio viſum fuit) tum recte & accurate ſcripſit Cenſorinus, quod Ægyptii habent Auguſtorum annum 267um, quia ille annus, quando hæc ſcribebat, adhuc habebatur. Atque tum nulla correctione opus erit?

Quarto, fateor hoc modo dictis obſtare, quod tum Cenſorinus non exprimat ex quo die anni Auguſtorum Ægyptii conſurgant, quod tamen in omnibus aliis Æris facit. Quod ſi tanti alicui videatur, ut propterea judicet Cenſorinum loqui de anno Auguſtorum Ægyptio vago, cujus initium hoc anno fuerat, una cum anno Nabonaſſari, & Philippi, ante diem VII Kal. Jul. non admodum repugnabo. Sed tum certiſſimum eſt, annum Auguſtorum eſſe corrigendum, & pro CCLXVII legendum CCLXVIII. Cujus lectionis indicium videmus in *Germanica & Aldina* editione, quæ, teſte Lindenbrogio, habent CCLVIII, loco CCLXVIII, omiſſione Notæ numeri denarii.

Sexto, quid autem ſibi velit Dodwellus, dum dicit hunc annum

eſſe

eſſe Tetraëteridis ultimum, fateor me non intelligere. annus enim Nabonaſſari 984us, Philippi 560us & Auguſti 266us eſt primus eorum, qui a VII Kal. Jul. ineunt, & annus Nabon. 987us, Philippi 563us, & Auguſti 269us eſt ultimus eorum, qui a VII Kal. Jul., hoc eſt, Junii die 25 ineunt. Teſte Petavio.

8ª De *Decii* anno unico & *Galli* annis tribus notat Dodwellus p. 26. col. 1. N. 23.

Gallo tempus tribuit Canon, quo Decium truncaverat. Confer Prolegomena.

9ª De ſumma annorum a Philippo ad Diocletianum, ut & ab Auguſto ad eundem & de initio annorum a Diocletiano, agit Dodwellus in Notis p. 26. col. 1. N. 29.

In hoc numero (inquit) *annorum Philippi* (χζʹ. 607.) *ante Æram Diocletiani conſentiunt omnes hujus Canonis ſive deſcriptores, ſive etiam concinnatores: & præterea Faſti noſtri Voſſiani; & fragmentum, quod hic damus, Theonis.*

Sed & aliud illud ab Auguſto intervallum ſimiliter confirmat Theon. CCCXIII annos numerat ab Auguſto, ex Æra Diocletiani perpetuo ſubtrahendos. * Quid hæc detractio ſibi velit, non capio.

Deſinunt autem (illi 607 a Philippo anni) *in A. D. Æra Chriſtiana vulgaris* 284°, *ita ut* 285us *pro primo Diocletiani habeatur.* (quia ſcilicet annus Diocletiani primus majori ſui parte cum anno Chriſti 285° concurrit, & Paſcha anni Diocletiani primi in annum Chriſti 285um incurrit.)

Incidit eo anno (Chriſti 284°) *Neomenia Thoth in Jun. XIII. Ita conſtabit unde numerandi ſint anni hujus Epochæ, in anno Alexandrino fixo, ſi quidem, quod in aliis Epochis ſolebant, id in hac etiam Epocha obſervarint, ut ab ineunte Thoth* (vago ſcilicet) *annum ſuum ordirentur.*

Convenit porro accuratiſſime idem Theon in ſextum Ptolemæi, p. 277, 281, 284, 332. *ubi annum Nabonaſſari* 1112. *Philippi* 688, *cum anno Diocletiani* 81 *componit.* (an autem ibidem annum Diocletiani 81um, æque ac annum Nabonaſſari 1112, & Philippi 688, a Thoth mobili ordiatur, inquirendum. Confer Fragmentum Theonis a Dodwello editum, §° 3, & 5) Vide infra §° 16.

Conveniunt etiam Scriptores Epiſtolarum Paſchalium, & Epiphanius. (Scriptores tamen Epiſtolarum Paſchalium annos Diocletiani a Thoth fixo, vel Kal. Septembris ordiuntur.)

O. Ob-

O.

Obſervationes in Dodwelli judicium, de Canonis parte poſteriore inde a Diocletiano.

1° Dodwellus in Canone, in Epochæ Diocletiani inſcriptione, p. 26. col. 1 ſic ſcribit: *Quarta Epocha Diocletiani mendoſiſſima.* Et ibidem in Notis, N° 29. in fine; *Statueram* (inquit) *quod hucusque feci idem ulterius ad finem uſque perducere, ut viz. Epochas alias cum hac etiam Diocletiani Epocha, numeris Indicis ſubnotarem. Verum ita mendoſa ſunt quæ deinceps ſequuntur omnia, ut nequeant ad certum Canonem exigi. Proinde varias duntaxat Lectiones deinceps Lector expectet.* Et eadem p. 26. col. 2. N. 9. in medio: *Quæ enim Æram Diocletiani* (inquit) *ſequuntur, Theone prorſus indigna ſunt.*

2° Hoc Dodwelli judicium reſpicit Codicem Savilianum primum, ex quo Canonis Textum expreſſit: cum quo etiam hac in parte Codex Savilianus ſecundus convenit.

Menda autem quæ in Canone, ex Codice Saviliano 1° expreſſo, inde a Diocletiano uſque ad Heraclium, (ulterius enim examen non inſtitui) mihi occurrere, ſunt imprimis ſequentia.

Statim in Epochæ Diocletiani initio inſignis in Canone error occurrit. Dum enim Conſtantinus Magnus Diocletiano immediate ſubjungitur, eique duntaxat anni Imperii 29 tribuuntur, fit ut Canon ad finem Conſtantini Magni quatuor annis anticipando aberret.

Et hæc quatuor annorum anticipatio deinceps continuo prorogatur uſque ad Theodoſii Junioris initium. Dum autem huic Theodoſio Juniori tribuuntur anni Imperii, non 42, ſed 46, adeoque quatuor ultra debitum; illa quatuor annorum anticipatio ad Theodoſii Junioris finem iterum tollitur, atque anni eousque collecti, a Philippo 773, qui ſunt a Nabonaſſaro 1197, recte ſe habent, deſinunt enim in anno Chriſti 450° Maji die 2°. & Theodoſius Junior moritur eodem anno Chriſti 450° Julii die 29°; ac proinde, juxta Canonis morem, Marcianus recte init cum anno Philippi 774° cujus Thoth cadit in Maji diem 3um ejusdem anni Chriſti 450mi.

Deinceps autem inde a Marciano uſque ad finem Phocæ, ſeu initium Heraclii, ille Canon ſatis bene ſe habet: niſi quod inde ab Anaſtaſio aliquot Imperatorum initia non retrahantur, juxta Canonis

morem, ad Thoth illius a Philippo anni, quo labente Imperium inierunt, ſed contra ad Thoth ſequentis anni protrudantur. Ad finem vero Phocæ Canon recte ſe habet.

3ª Minime autem hoc Dodwelli judicium applicari debet ad Canonem, qui in Codicibus Voſſianis exhibetur. Licet enim hic Canon etiam ſuos habeat nævos, illorum tamen quatuor annorum evitavit anticipationem: & præterea Imperatorum initia fere ſemper, juxta Canonis morem, recte collocavit. Vide omnino quæ notamus infra §° 30, 31, & 32.

X I I.

De variis, quæ in hoc Canone occurrunt, Epochis, ſeu Æris, in genere.

In hoc Canone, qualem nunc habemus, duæ duntaxat Epochæ ſeu Æræ occurrunt, Æra nempe Nabonaſſari, & Æra a Philippo, Aridæo ſcilicet, vel a morte Alexandri.

Quarum prima, in Codice Saviliano 1° & in duobus Voſſianis, cum Canone incipit a Nabonaſſaro, & deſinit in morte Alexandri Magni. Quam deinceps, in iiſdem Codicibus, excipit Æra Philippi, quæ a morte Alexandri Magni, ſeu ab initio Imperii Philippi Aridæi incipiens, ad Canonis finem ſeu eousque, quo ſinguli hi Codices progrediuntur, decurrit.

In Codice autem Saviliano 2°, in quo Canon demum a Philippo Aridæo incipit, etiam ſola Æra Philippi occurrit.

Quia autem in antiquiore Canone, qui Ptolemæo tribuitur, nec non in illo, quo uſus eſt Theon Alexandrinus, etiam Æra Auguſti adhibita fuiſſe videtur. & præterea dictus Theon Æra Diocletiani quoque uſus eſt.

De his quatuor Æris, quatenus earum uſus vel hunc Canonem concernit vel ad aſtronomos ſpectat, diſtinctius agere conſtitui. Et quidem

De Æra Nabonaſſari, §° 13.
De Æra Philippi, §° 14.
De Æra Auguſti, §° 15.
De Æra Diocletiani, §° 16.

XIII. De

XIII.

De Æra Nabonaſſari.

Æra Nabonaſſari, ſeu a Nabonaſſaro, cujus uſus frequens apud Ptolemæum in Magna Conſtructione, conſtat annis Ægyptiis vagis, dierum 365 tantum, abſque quadrante, & initium ſumit a Nabonaſſari imperio, a menſis Ægyptii Thoth die primo, qui cadit in menſis Februarii diem 26um, anni Per. Jul. 3967^{mi}, ante Chriſt. 747^{mi}.

Varia de hac Æra hic in conſiderationem venire poſſunt.

a.

Cur Aſtronomi Epocham Computi ſui aſtronomici inceperint demum a Nabonaſſaro, & eam non altius repetiverint.

1. Hujus rei hanc tradit rationem Syncellus in ſua Chronographia, p. 207. C. Ἐπειδὴ, ὡς ὁ Ἀλέξανδρος καὶ Βήρωσσος φασὶν οἱ τὰς Χαλδαϊκὰς ἀρχαιολογίας περιειληφότες, Ναβονάσαρος συναγαγὼν τὰς πράξεις τῶν πρὸ αὐτοῦ βασιλέων, ἠφάνισεν, ὅπως ἀπ' αὐτοῦ ἡ καταρίθμησις γίνεται τῶν Χαλδαίων βασιλέων.

Dodwellus in Prolegom. §° 25. ſic ſcribit: *Quod vero a Nabonaſſaro Epocham inceperint Chaldæi, occaſionem refert ex Alexandro Polyhiſtore & Beroſo, Syncellus, quod geſta regum antiquiorum Nabonaſſarus ipſe corruperat.* (ἠφάνισεν, dixerat Syncellus.) *Ita factum ut ab eo incipere neceſſe eſſet, cum jam rerum antiquiorum fides eſſet ſuſpecta. Suntque illa ſane veriſimilia, ſed quæ ſola ſufficiunt ad Beroſi fidem atque Polyhiſtoris elevandam. Unde enim illi (hæc ſi vera ſint) tam immenſam nobis hiſtoriarum ſeriem prætexuerunt Nabonaſſaro antiquiorem? Corruptis monumentis deërant ſaltem argumenta, quibus poſſent rerum adeo antiquarum fidem aliis commendare. Unde & illas etiam aſtronomicas Calliſthenis obſervationes, quarum meminit Simplicius, annorum ante Alexandrum MDCCCCIII, quas ad Ariſtotelem fabulatur etiam a Calliſthene miſſas! &c.* Vide quoque §^{um} 24. ubi agit inter alia, de inſigni Plinii loco Hiſt. Nat. L. 7. C. 56. ut & de ætate Beroſi, & confer §^{os} ſequentes.

De hoc Syncelli loco, & Dodwelli ratiocinio fuſe agit Jac. Perizonius in Originibus Babylonicis, C. 1. 2. p. 5—29. & in addendis, p. 333—343. ubi Calliſthenianam obſervationum, Babylone factarum, 1903 annorum antiquitatem defendit, Plinii locum in numeris corruptum eſſe, & ad Æram Nabonaſſari non pertinere, oſtendit, Beroſi ætatem preſſius determinat, Syncelli locum explicat, & ad Dodwelli ratiocinium ac rogata reſpondet.

2. Claudius Ptolemæus rationem reddens, cur Epocham computi ſui aſtronomici deduxerit a Nabonaſſaro, ſic ſcribit in Magna Conſtruct. Lib. 3°. p. 77, edit. Græcæ, Baſil. anni 1538, in folio: in Titulo capitis, Περὶ τῆς κατὰ τὴν μέσην τοῦ ἡλίου πάροδον ἐποχῆς. & deinde in ipſo Textu, Λοιποῦ δὲ ὄντος, τοῦ, τὴν ἐποχὴν τῆς ὁμαλῆς τοῦ ἡλίου κινήσεως συστήσασθαι, πρὸς τὰς τῶν μέρους ἑκάστοτε παρόδων ἐπισκέψεις, ἐποιησάμεθα καὶ τὴν τοιαύτην ἔκθεσιν, ἀκολουθοῦντες μὲν καθόλου πάλιν, ἐπί τε τοῦ ἡλίου καὶ τῶν ἄλλων ταῖς ὑφ' ἡμῶν αὐτῶν ἀκριβέστατα τετηρημέναις παρόδοις, ἀναβιβάζοντες δὲ ἀπ' αὐτῶν τὰς τῶν ἐποχῶν συστάσεις εἰς τὴν ἀρχὴν τῆς Ναβονασσάρου βασιλείας, διὰ τῶν ἀποδεικνυμένων μέσων κινήσεων, ἀφ' οὗ χρόνου καὶ τὰς παλαιὰς τηρήσεις ἔχομεν, ὡς ἐπίπαν μέχρι τοῦ δεῦρο διασωζομένας. Quæ in editione Latina, Baſil. anni 1551, in folio, L. 3. C. 8. p. 73. ex verſione Georgii Trapezuntii, ſic exprimuntur, in Titulo: *De inveniendo loco medii motus* ☉. deinde in Textu: *Cum autem reſtet, ut æqualis motus ſolaris loca ad quotidianos progreſſus conſtituamus, id quoque ita fecimus ut univerſaliter rurſus, tam in* ☉ *quam in aliis eorum motus æquemus, qui nobis exactiſſime obſervati ſunt, & ab iſtis per medios motus jam demonſtratos, ad initium regni Nabonaſſaris, ex quo tempore priſcas habemus obſervationes continue ad hoc uſque tempus conſervatas, locorum radices reducamus.* Confer ultima hujus capitis verba & nota Theonem, in fragmento a Dodwello edito, in initio, dicere, quod initium motus aſtrorum ſit *locus & tempus*. Confer quoque L. 4. C. 8. p. 94. L. 6. C. 2, 3. p. 128. & L. 9. C. 9. 10. 11. ut & Theonis Comment. in Ptolemæi Lib. 3um, p. 180.

Perizonius in Orig. Babyl. C. 2. p. 24. illud ὡς ἐπίπαν vertit *prorſus*, vel *in univerſum*: Latinus Ptolemæi interpres autem vertit *continue*: neuter illam particulam ΩΣ ſatis conſideravit, quæ voci ἐπίπαν præpoſita, ejus vim minuit & coarctat, & per *fere* exprimi poteſt. An autem illud ΩΣ ΕΠΙΠΑΝ cum præcedentibus, an vero cum conſequentibus connectendum ſit, non adeo clarum eſt.

Idem Ptolemæus, ibidem L. 4. C. 6. p. 87. edit. Lat. p. 94 edit. Gr. *Nunc* (inquit) *expoſita Lunaris inæqualitatis demonſtratione* .... *faciemus*,

ciemus, τὸ μὲν πρῶτον ἀφ' ΩΝ ΕΧΟΜΕΝ ΑΡΧΑΙΟΤΑΤΩΝ ΕΚΛΕΙΨΕΩΝ, τρισὶ ταῖς ἀδιστάκτως δοκούσαις ἀναγεγράφθαι, συγχρησάμενοι, ἐφεξῆς δὲ ἀπὸ τῶν ἐν τῶν νῦν χρόνων τρισὶ πάλιν ταῖς ὑφ' ἡμῶν αὐτῶν ἀκριβέστατα τετηρημέναις, hoc eſt, *primo quidem ab antiquiſſimis, quas habemus, Eclipſibus, utentes tribus, quæ accurate videbantur eſſe conſcriptæ, deinde vero; ab iis, quæ noſtris contigerunt temporibus, (utentes) tribus iterum, quæ a nobis ipſis accuratiſſime obſervatæ ſunt.* Tres autem illæ antiquiſſimarum, quas habebant, Eclipſium, quibus utitur, ſunt Eclypſes, quarum una Mardocempadi anno 1° & duæ reliquæ Mardocempadi anno 2° contigerant.

Confer ejusdem L. 7. C. 1. p. 155 ubi de Hipparcho dicit, *Paucas admodum ante ipſum habitas Fixarum obſervationes invenit: ſolasque ferme, quas Ariſtillus & Timocharis conſcripſerunt.*

Et L. 9. C. 2. p. 203. ubi ſcribit: *Tempus, ex quo Planetarum obſervationes habemus conſcriptas, adeo breve eſt, ad magnitudinem rerum collatum, ut longi temporis prædictionem infirmam faciat.* Vide quoque quæ de Hipparcho dicit, p. 204. a.

b.

An Aſtronomi Babylonii, qui ante Alexandrum vixerunt, tempus, quo ſuas ceperant Obſervationes, per Æram Nabonaſſari deſignarint, & an Epocham Computi ſui a Nabonaſſaro deduxerint, vel in Computo ſuo aſtronomico Æra Nabonaſſari uſi ſint.

1. Georgius Syncellus hoc Chaldæis tribuit. Ita enim in ſua Chronographia, pag. 206. B. C. ἡ δὲ Χαλδαίων (ἀρχὴ) λείπεται στοιχειωθῆναι, ἥτις ἀπὸ Σαλμανασσὰρ, ὃν καὶ Ναβονασσὰρ καλοῦσι, λαμβάνεται, παρά τε Χαλδαίοις ἐν τῇ τῶν ἀστέρων ψηφοφορίᾳ, καὶ παρὰ τοῖς Ἑλλήνων μαθηματικοῖς, ὡς μαρτυρεῖ ὁ σοφώτατος Κλαύδιος ὁ Πτολεμαῖος, ἐν τῇ μεγάλῃ συντάξει τῇ τῆς ἀστρονομίας, τοῖς ἀπὸ Ναβονασσάρου χρώμενος ἔτεσιν ἔν τε ταῖς τῶν δύο φωστήρων ἐποχαῖς, συνόδοις τε καὶ πανσεληνίοις, καὶ ἐν ταῖς κατ' αὐτὰς συμβαινούσαις σεληνιακαῖς καὶ ἡλιακαῖς ἐκλείψεσιν, ἔν τε ταῖς τῶν πέντε πλανωμένων κατὰ μῆκος καὶ πλάτος ψηφοφορίαις, καὶ τῶν λοιπῶν ἀπλανῶν ἀστέρων. πάντων γὰρ αὐτὴν ἀκριβεστέραν ὁμολογοῦσιν εἶναι, συνάγουσαν &c.

Et paulo poſt, lit. D. σύμφωνος δὲ καὶ τοῖς Χαλδαίων καὶ Ἑλλήνων σοφοῖς ὁ ἀπὸ Ναβονασσάρου χρόνος μεμαρτύρηται.

Et deinde p. 207. B. C. Ἀπὸ δὲ Ναβονασσάρου τοὺς χρόνους τῆς τῶν ἀστέρων κινήσεως Χαλδαῖοι ἠκρίβωσαν καὶ ἀπὸ Χαλδαίων οἱ παρ' Ἕλλησι μαθηματικοὶ λαβόντες, ἐπειδὰν &c. Vide ſupra lit. a. N. 1.

2. Ex his Syncelli locis patet, non tantum, quod hæc Syncelli fuerit ſententia, ſed etiam unde eam hauſerit. Provocat enim, in primo loco, ad Claudii Ptolemæi teſtimonium. Nam illa verba, ὡς μαρτυρεῖ ὁ σοφώτατος Κλαύδιος ὁ Πτολεμαῖος, non tantum Aſtronomos Græcos, ſed etiam, & quidem imprimis, Chaldæos reſpicit, a quibus, ut in tertio loco dicit, Græci hoc acceperant. Neque hoc Ptolemæi teſtimonium ſimpliciter conſiderandum ut teſtimonium reale, atque in eo ſitum, *quod ipſe in magna conſtructione aſtronomica annis a Nabonaſſaro uſus ſit, tum in duorum luminarium epochis, tum in noviluniis & pleniluniis, &c.* Nam quid hoc ad Græcos & Chaldæos, qui ipſum præceſſerant, aſtronomos? Ex eo enim, quod in aſtrorum calculo, annis a Nabonaſſaro uſus ſit Ptolemæus, minime ſequitur, idem feciſſe ante eum Aſtronomos Græcos & Chaldæos.

3. In eadem, cum Syncello, ſententia etiam viros doctos eſſe deprehendo, qui hoc tanquam certum præſupponunt, ſed nullibi, quantum mihi conſtat, probant. Videntur tamen, cum Syncello, reſpicere ad Ptolemæi Magnam Conſtructionem, & Chaldæorum obſervationes, quæ a Ptolemæo in eo opere memorantur.

4. Ego autem hujus ſententiæ vel teſtimonium vel probationem, in toto Ptolemæi Almageſto, reperire hactenus non potui.

Agnoſco quidem Chaldæorum ſeu Babyloniorum Aſtronomos tempus, quo ipſi ſuas ceperant obſervationes, deſignaſſe per annos Regum Babyloniorum: ut ex ſeptem Eclipſibus, in urbe Babylone obſervatis, quibus utitur Ptolemæus, videre licet.

Sed eos etiam addidiſſe, quotus ille a Nabonaſſaro annus eſſet, atque ſic illos Aſtronomos (ut in Prolegom. §° 23, ſub finem, dicit Dodwellus) *Obſervationes ſuas Æra Nabonaſſari conſignaſſe*, ex Ptolemæi Almageſto non patet.

Certum quidem eſt Babyloniorum Aſtronomos in temporis deſignatione, quo ſuas ceperant Obſervationes, & illæ Eclipſes factæ fuerant, non tantum expreſſiſſe annum Regis Babylonici, ſub quo contigerant, ſed etiam indicaſſe anni Babylonici menſem, & hujus menſis diem, quo contigerant, ſed apud Ptolemæum nec anni Babylonici menſis, neque hujus menſis dies exprimitur, ſed ejus loco, per æquationem ſeu reductionem, ſubſtituitur anni Ægyptiaci vagi menſis, & ejus menſis dies. Unde etiam de anni forma, & menſium genere, quibus Aſtronomi Babylonii uſi fuerint, ex Ptolemæi Almageſto nihil conſtat.

Verum quidem eſt, Ptolemæum, ubi illis Eclipſibus utitur, tempus ab

ab Aſtronomis Babyloniis deſignatum, reducere ad Æram Nabonaſſari, quia abſque eo iis uti, easque vel inter ſe, vel cum aliorum, aut ſuis obſervationibus comparare, & earum diſtantias vel a ſe invicem vel ab Epocha a ſe conſtituta deprehendere, non poterat. Sed inde minime ſequitur, ipſos Babylonios has ſuas obſervationes Æra Nabonaſſari conſignaſſe. Sic enim etiam in tribus illis Eclipſibus, quæ ex Babylone delatæ, ibique obſervatæ erant, & quarum tempus, a Babyloniis deſignatum, ab aſtronomo, ut videtur, Athenienſi ad Archontes & menſes Atticos reductum erat, Ptolemæus L. 4. C. 11. ubi, poſt Hipparchum, iis utitur, earum tempus, per Archontes & menſes Atticos expreſſum, reducit ad Æram Nabonaſſari, & anni Ægyptiaci vagi menſem, & hujus menſis diem. Imo hoc Ptolemæo ſolenne eſt, obſervationum, quibus utitur, tempus, ab Aſtronomis quibuscunque Æra quacunque deſignatum, ad Æram Nabonaſſari reducere: ut pluribus exemplis probari poſſet. Ita ut ex hac temporis ad hanc Æram reductione, quam Ptolemæus ubivis facit, de Æra, qua ſuas conſignarint Aſtronomi obſervationes, nihil debeat concludi.

Obſervationes Chaldæorum ſeu Babyloniorum, ante Alexandri mortem, Babylone factas, quibus Ptolemæus in Almageſto utitur, inveni in univerſum decem, omnes Eclipſium Lunarium Babylone obſervatarum: Harum ſeptem priores Regum Babyloniorum annis conſignantur, tres vero poſteriores Archontibus & menſibus Atticis, ex reductione alterius Aſtronomi, ut videtur Athenienſis: Athenas enim videntur ex Babylone eſſe delatæ.

Ut autem ſpecimen demus, quomodo has Eclipſium Obſervationes priores ſoleat deſcribere Ptolemæus:

L. 4. C. 6 p. 88. a. in Græco, p. 95. *Prima* (inquit Ptolemæus) *trium antiquarum Eclipſium, ex iis quæ in Babylone obſervatæ ſunt, ſcribitur facta primo anno Mardocempadi, ſecundum Ægyptios Thoth 29; εἰς τὴν 30. Incepit autem*, φησὶν, *deficere poſt ortum una hora bene tranſacta, & defecit tota.*

In tota hac deſcriptione nihil ab Aſtronomis Babylonicis eſt, præterquam annus Mardocempadi primus, & tempus diei, quando Luna cœpit deficere, & quod fuerit Eclipſis totalis.

Menſis enim ſecundum Ægyptios Thoth, ejusque dies 29us ſequente 30°, per reductionem ſubſtitutus eſt in locum menſis Babylonici, & hujus menſis diei, ab Aſtronomis Babylonicis deſignati, compendii gratia: ut, meo judicio, per ſe patet.

L. 4.

L. 4. C. 6. p. 88. a. In Græco p. 95. *Secunda autem* (inquit Ptolemæus) *harum Eclipſium ſcribitur facta ſecundo anno ejusdem Mardocempadi, ſecundum Ægyptios Thoth* 18 *εἰς τὴν* 19. *Defecit autem,* φησὶν, *ab Auſtro digitis tribus, ipſa media nocte.*

De eadem hac 2ª Eclipſi agit Ptolemæus, eam ad ſuum ſcopum applicans, L. 4. C. 6. p. 88. b. C. 7. p. 94. a. C. 8. p. 94. a. b. C. 9. p. 95, b. & 96, a. L. 6. C. 9. p. 148. a.

L. 4. C. 6. p. 88 a. in Græco, p. 95. *Tertia autem harum Eclipſium* (inquit Ptolemæus) *ſcribitur facta eodem ſecundo anno Mardocempadi, ſecundum Ægyptios Phamenoth* 15 *εἰς τὴν* 16. *Incepit autem,* φησὶν, *poſt ortum, & defecit a Septentrione plus quam medietas.* Confer p. 88. b.

L. 5. C. 14. p. 117. a. b. in Græco, p. 125. *Quinto* (inquit Ptolemæus) *anno Nabopollaſari, qui eſt* 127ᵘˢ *a Nabonaſſaro, ſecundum Ægyptios Athyr* 27 *εἰς τὴν* 28, *hora* 11ª *exeunte in Babylone cœpit Luna deficere, & defecit quarta maxime pars diametri ab Auſtro.*

Hæc verba, *qui eſt* 127ᵘˢ *a Nabonaſſaro*, non ſunt Aſtronomorum Babylonicorum, ſed ipſius Ptolemæi, qui ex more, tempus obſervationum, ab aliis deſignatum, ad Æram Nabonaſſari reducit; & quidem id hic facit, ut hujus Eclipſis ab Epocha, a ſe conſtituta, diſtantiam capere poſſet, ut ex ſequentibus patet. Confer Timocharidis Obſerv. L. 7. C. 3. & Dionyſii Obſerv. L. 10. C. 9. 10. 7. &c. Et nota Aſtronomos, qui ſuarum Obſervat. tempus annis Regum vel Imperatorum conſignabant, non ſolere ullam aliam æram adjicere.

L. 5. C. 14. p. 117. b. in Græco, p. 125. *Rurſus* (inquit Ptolemæus) 7° *anno Cambyſis, qui eſt* 225ᵘˢ *a Nabonaſſaro, ſecundum Ægyptios Phamenoth* 17 *εἰς τὴν* 18, *una hora ante mediam noctem in Babylone defecit Luna a Septentrione media parte diametri.*

Eadem illa verba, *qui eſt* 225ᵘˢ *a Nabonaſſaro*, eodem modo, ut ſupra, a Ptolemæo, eandem ob cauſam, adjecta ſunt.

L. 4. C. 9. p. 95. b. in Græco, p. 102. *Altera* (inquit Ptolemæus) *qua etiam Hipparchus uſus eſt, facta eſt* 20° *anno Darii, qui Cambyſi ſucceſſit* (ὁ μετὰ Καμβύσην) *ſecundum Ægyptios Epiphi* 28 *εἰς τὴν* 29, τῆς νυκτὸς προελθούσης ἰσημερινὰς ὥρας ς̄ γ′ (*poſt Solis occaſum horis Æquinoctialibus* 6, 20) *qua hora ſimiliter defecit Luna ab Auſtro quarta diametri parte.*

L. 4. C. 9. p. 95. a. b. in Græco, p. 102. Ptolemæus, quum dixiſſet, *ſe uſurum Eclipſibus diligentiſſime conſcriptis*, deinde ſic pergit: *Accepimus igitur primam quidem Eclipſim, ſub Dario primo obſervatam in Babylone, primo & 30° ejus anno ſecundum Ægyptios Tybi* 3 *εἰς τὴν* 4, *hora*

hora 6ª media, qua hora διαγεγράφθαι *quod defecerit Luna ab Auſtro duobus digitis.*

Ex his ſpeciminibus patet Aſtronomos Babylonios tempus, quo ſuas cœperunt obſervationes, & quo illa cœleſtia contigerunt Phænomena, per annos imperii ſingulorum Regum Babyloniorum deſignaſſe: an autem obſervationes ſuas Æra Nabonaſſari conſignarint ex Ptolemæi Almageſto non conſtat.

Quo autem in loco & tempore Epochas Solis & Lunæ &c. conſtituerint, & qua Æra ac methodo in calculo ſuo aſtronomico uſi fuerint, de eo ne verbum quidem apud Ptolemæum repperi.

C.

An Aſtronomi, qui poſt Alexandrum uſque ad Cl. Ptolemæum vixerunt, tempus, quo ſuas ceperant Obſervationes, per Æram Nabonaſſari deſignarint, & an Epocham computi ſui a Nabonaſſaro deduxerint, vel in Computo ſuo aſtronomico Æra Nabonaſſari uſi ſint.

Omnes Aſtronomi, quorum Obſervationes in Almageſto recenſet Ptolemæus, tempus, quo ipſi ſuas ceperant Obſervationes, deſignant vel per Æram quandam a Nabonaſſaræa diverſam, vel per Archontes Athenienſium, vel per annos Regum Ægyptiorum, aut Imperatorum Romanorum.

Ut hoc diſtinctius pateſcat, ſequar ordinem temporis, quo illi vixerunt Aſtronomi, & ſuas ceperunt obſervationes.

1° Meton & Euctemon, qui centum circiter ante Alexandrum annis ſolſtitium æſtivum Athenis obſervarunt, illud deſignarunt factum ſub Archonte Apſeude. Ptolemæus L. 3. C. 2. p. 59, 60.

2° Aſtronomus ille, ut videtur, Athenienſis, qui tribus illis Eclipſibus, quæ ante Alexandrum Babylone obſervatæ erant, & inde Athenas, ut videtur, delatæ erant, uſus eſt, tempus earum ad Archontes & menſes Atticos reduxit. Ptolem. L. 4. C. 11. p. 97, 98.

3° Timocharis, cujus apud Ptolemæum quinque recenſentur Obſervationes, captæ in Alexandria, tempus quatuor priorum per annos periodi Calippicæ, & menſes Calippicos deſignavit, quintam vero per annum 13um Imperii Ptolemæi Philadelphi. Ptol. L. 7. C. 3. p. 161, 162. & L. 10. C. 4. p. 238.

4° Ariſtarchus, qui 152 poſt Metonem annis, Solſtitium obſervavit

 æſtivum,

æſtivum, tempus ſuæ obſervationis per 50um annum primæ periodi Calippicæ deſignavit. Ptol. L. 3. C. 2. p. 59.

5° Dionyſius, cujus ſeptem a Ptolemæo recenſentur obſervationes, tempus ſuarum obſervationum deſignavit per annos Æræ ſibi propriæ, *qui anni ſecundum Dionyſium vocantur*, & quorum 1us cum Ptolemæi Philadelphi anno 1° concurrit, & per menſes Cœleſtes. Ptol. L. 10. C. 9. p. 250. L. 9. C. 10. p. 232. L. 9. C. 7. p. 226. L. 11. C. 11. p. 260.

6° Aſtronomi Chaldæi, quorum tres recenſet obſervationes Ptolemæus, tempus, quo ſuas ceperant obſervationes, deſignarunt per annos Æræ ſibi propriæ, qui *anni Chaldæorum* vocantur, & quorum primus annus init labente anno per. Jul., non 4402° ſed 4403°, & per menſes Macedonicos. Ptol. L. 9. C. 7. p. 226. & L. 11. C. 7. p. 269.

7° Anonymus, qui in Alexandria tres obſervavit Eclipſes, quibus etiam Hipparchus uſus eſt, tempus earum deſignavit per annos periodi Calippicæ. Ptolem. L. 4. C. 11. p. 98, 99.

8° Anonymus, qui Alexandriæ Eclipſin Lunæ obſervavit, ejus tempus deſignavit per annum 7um Philometoris. Additur quidem, ſed a Ptolemæo, *qui eſt* 574us *a Nabonaſſaro*. Ptol. L. 6. C. 5. p. 134.

9° Eclipſis obſervata in Rhodo, incertum an ab Hipparcho, an vero ab alio, cujus tempus deſignatur per annum 37um tertiæ periodi Calippicæ. Additur quidem, ſed, ut hic per ſe patet, a Ptolemæo, *qui eſt* 607us *a Nabonaſſaro*. Ptol. L. 6. C. 5. p. 134. & C. 9. p. 148.

10° Hipparchus, cujus obſervationes plurimæ (quarum numerus præciſus vix determinari poteſt) a Ptolemæo recenſentur, captæ vel in urbe Alexandria, vel in inſula Rhodo, tempus ſuarum Obſervationum ſemper deſignat per annos tertiæ periodi Calippicæ. Et quidem in ſpecie ita deſignat.

Sex Æquinoctia Autumnalia, item tria Æquinoctia Vernalia, & unum Solſtitium Æſtivum. Ptolem. L. 3. C. 2. p. 57, 58, 59, 60.

Duæ Eclipſes. Quarum mentionem in tranſitu tantum facit Ptolemæus, L. 3. C. 2. p. 58. a.

Situs Lunæ 1us obſervatus in Rhodo. Ptolem. L. 5. C. 3. p. 103. & C. 5. p. 104, 106.

Fixa in corde Leonis. Ptolem. L. 7. C. 2. p. 158. b.

Duo tantum loca occurrunt apud Ptolemæum, ubi, ut primo intuitu videtur, tempus ſuarum Obſervationum per annos a morte Alexandri deſignavit Hipparchus, nempe

L. 5.

L. 5. C. 5. p. 104. b. Ἀναγράφει (*ſcribit*) inquit Ptolemæus, ὁ Ἵππαρχος ἐν Ῥόδῳ τετηρηκέναι διὰ τῶν ὀργάνων τόν τε ἥλιον καὶ τὴν σελήνην (*Hipparchus ſcribit, ſe obſervaſſe in Rhodo, per inſtrumenta, tam Solem, quam Lunam*) 197° *anno ab Alexandri morte, ſecundum Ægyptios Pharmuthi* 11ª, *hora* 2ª *incipiente, & dicit, quod, &c.*

Item L. 5. C. 5. p. 106. a. *Accepimus rurſus* (inquit Ptolemæus) *ex diſtantiis ab Hipparcho, ut diximus, in Rhodo obſervatis, eam quæ perſpecta eſt eodem* 197° *anno ab Alexandri morte, ſecundum Ægyptios Pauny* 17, *horis* 9, 20, *quo tempore, dicit, ſole perſpecto . . . . . . Luna apparebat &c.*

Sed, meo judicio, illa deſignatio temporis per annum 197ᵘᵐ a morte Alexandri, in utroque loco, non eſt Hipparchi, ſed Ptolemæi, qui hic, compendii gratia, temporis deſignationem ab Hipparcho per annum periodi Calippicæ factam, omiſit, & hanc per reductionem ſubſtituit, ut hoc modo per 424 annorum additionem, diſtantiam a ſua Epocha colligeret, ut in utroque loco facit, ad ſcopum ſuum. Hoc de ſecundo loco facile perſuaſerim; ſed ex ſecundo id etiam in primo loco admittendum eſſe colligimus: quod etiam confirmatur ex collatione L. 3. C. 2. p. 59. b. ubi bis tempus ab Hipparcho per annos periodi Calippicæ expreſſum, a Ptolemæo ad annos ab Alexandri morte reducitur.

11° Agrippa, qui ſitum Vergiliarum obſervavit in Bithynia, tempus obſervationis ſuæ per 12ᵘᵐ imperii Domitiani annum, & menſis Bithyniorum Metroi diem 7ᵘᵐ deſignavit. Ptolem. L. 7. C. 3. p. 161. a.

12° Menelaus Geometra, cujus duæ Fixarum obſervationes a Ptolemæo recenſentur, captæ in urbe Roma, earum tempus per 1ᵘᵐ Imperii Trajani annum deſignavit. Ptolem. L. 7. C. 3. p. 162. a. b.

13° Anonymus, qui Eclipſin in urbe Alexandria obſervavit, ejus tempus per 9ᵘᵐ Imperii Adriani annum deſignavit. Ptolem. L. 4. C. 9. p. 95. a. b.

14° Theon Smyrnæus, cujus quatuor circa Planetas recenſet Ptolemæus Obſervationes, earum tempus per 12ᵘᵐ, 13ᵘᵐ, 14ᵘᵐ & 16ᵘᵐ Imperii Adriani annum deſignavit. Ptolem. L. 10. C. 1. p. 234. b. C. 2. p. 235. a. L. 9. C. 9. p. 228. b. L. 10. C. 1. p. 234. a.

15° Ipſe denique Ptolemæus ordinario & fere ſemper, in deſignatione temporis, quo ſuas ipſe ceperat obſervationes, utitur *ſimpliciter* annis Imperatorum Romanorum Hadriani & Antonini Pii.

Nonnunquam tamen addit, quotus ille a Nabonaſſaro, vel ab Alexandri morte annus ſit, nempe

L. 9. C. 10. p. 230. b. ſcribit: *Ipſi enim perſpeximus ſtellam Mercurii, ſecundo Antonini anno, qui fuit annus 886us a Nabonaſſaro.*

Et L. 3. C. 2. p. 59. b. *Deinde, poſt 285 annos, 3o Antonini anno, qui eſt 463us ab Alexandri morte, exactiſſime ipſi obſervavimus autumnale rurſus Æquinoctium.* Idem repetit ibidem de Æquinoctio verno, & Solſtitio æſtivo eodem anno a ſe obſervato.

Sed notandum Ptolemæum in prædictis locis (qui ſoli mihi occurrerunt) hoc compendii gratia facere ad uſum & ſcopum ſuum, ad captandas diſtantias; ordinario enim poſt temporis captæ obſervationis deſignationem præmiſſam, ubi ad earum uſum progreditur, tempus obſervationum, a ſe & ab aliis factarum, ſolet ad annos a Nabonaſſaro, & nonnunquam prius ad annos ab Alexandri morte reducere. Quod autem ordinario in progreſſu demum facere ſolet, id hic ſtatim in initio & quaſi uno habitu fecit, compendii gratia.

Atque hinc etiam elucet, quando ſimiles loquendi formulæ, *qui eſt.... annus a Nabonaſſaro*, vel *ab Alexandri morte*, junguntur cum deſignatione temporis Obſervationum, ab aliis Aſtronomis expreſſa, (quod, ut ſupra vidimus, nonnunquam fit) eas eſſe conſiderandas, non ut ab illis Aſtronomis profectas, ſed ut a Ptolemæo additas, ut tempus, ab illis deſignatum, ad annos Æræ, qua ipſe utebatur, reduceret, eum in finem, ut illorum Obſervationibus ad ſcopum ſuum uti poſſet.

Quo autem in loco & tempore Epochas Solis, Lunæ, &c. conſtituerint Aſtronomi ante Ptolemæum, ſupra memorati, de eo nihil apud Ptolemæum repperi.

Hipparchus in captandis illis diſtantiis, quarum meminit Ptolemæus L. 3. C. 2. p. 60. a. & L. 4. C. 11. p. 99. a. & b., inter Solſtitium ab Ariſtarcho 50o anno primæ periodi Calippicæ, & Solſtitium 43o anno tertiæ periodi Calippicæ a ſe obſervatum: & inter tres Eclipſes Alexandriæ ab Aſtronomo anonymo 54o & 55o anno ſecundæ periodi Calippicæ obſervatas: nulla alia, quam ea, qua utebatur in ſuarum obſervationum tempore deſignando, Æra ſcilicet annorum periodi Calippicæ, opus habebat.

Quod autem attinet diſtantias inter tres Eclipſes ex Babylone delatas, quarum tempus per Athenienſium Archontes, Phanoſtratum & Evandrum, qui Phanoſtratum proxime inſequitur, deſignatur, illas diſtantias Hipparchus, abſque ullius Æræ ope, facile capere poterat. Vide Ptolem. L. 4. C. 11. p. 98. b. Præterquam, quod Æra Archontum, qui apud Athenienſes anno nomen dabant, & primæ periodi Calippicæ in il-

la Archontum Ærâ initium, tempore Hipparchi ſatis cognita erant. Unde etiam illam 152 annorum diſtantiam inter Solſtitium a Metone ſub Archonte Apſeude, & Solſtitium ab Ariſtarcho 50° anno primæ periodi Calippicæ obſervatum, facile colligere potuit Hipparchus. Vide Ptolem. L. 3. C. 2. p. 59. b.

Quod autem attinet diſtantiam, 7160 menſium, inter Eclipſin ab Aſtronomis Babylonicis, 2° anno Mardocempadi, & Eclipſin 37° anno tertiæ periodi Calippicæ, in Rhodo, incertum an ab Hipparcho, an ab alio, obſervatam, quam collegiſſe Hipparchum, dicit Ptolemæus, L. 6. C. 9. p. 148. a. Quomodo autem illam diſtantiam collegerit, ex Ptolemæo non patet, & plane incertum eſt. Potuit autem ex rerum Chaldaicarum Hiſtoricis eruere, quot annis Mardocempadi annus 2us initium primæ periodi Calippicæ præceſſerat.

Adeoque an Aſtronomi poſt Alexandrum, in calculo ſuo aſtronomico in captandis diverſarum obſervationum diſtantiis, Æra Nabonaſſari uſi ſint, de eo etiam ex Ptolemæi Almageſto non conſtat.

d.

Ptolemæum Æra Nabonaſſari uſum eſſe, & quomodo, diſtinctius explicatur.

Ptolemæum Æra Nabonaſſari uſum eſſe, in genere certum eſt; & de eo nemo dubitat. Sed cur, quomodo, quando hac Æra utatur, diſtinctius inquirere & explicare, operæ pretium erit.

Syncellus, loco ſupra hoc ipſo §° 13° Lit. b. N. 1., ex ejus Chronographia p. 206. B. citato, ſatis diſtincte hoc indicat. (verba Syncelli ſupra adduximus.) Sed præſtat hæc adhuc magis diſtincte & particularius explicare.

1° Ptolemæus quando indicat, quo tempore ipſe ſuas cœperat Obſervationes, non utitur Æra Nabonaſſari, ſed ſuarum Obſervationum tempus per annos Imperatorum Romanorum, Hadriani & Antonini Pii, priſcorum Aſtronomorum more, deſignat, ut vidimus ſupra, Lit. c. N. 15°.

2° Sed Æra Nabonaſſari utitur Ptolemæus in calculo aſtronomico, ἐν τῇ τῶν ἀςέρων ψηφοφορίᾳ, ut Syncellus dicit.

3° Epochas duorum luminarium, Solis, & Lunæ, & quinque Planetarum, conſtituit in initio ſeu 1° anno Nabonaſſari, menſis Thoth die 1°, in meridie, hoc eſt, illum ipſum, quem Sol, Luna, & Planetæ,

dicto *tempore*, in Cœlo (ἐπέχουσι) obtinebant *locum*, conſtituit tanquam initium motus & progreſſus Syderum ſeu Aſtrorum, Solis, Lunæ & Planetarum εἰς τὰ ἑπόμενα, ad ſigna Zodiaci conſequentia ſeu tanquam Epocham calculi aſtronomici. Ut L. 3. C. 8. p. 73, 74. L. 4. C. 8. p. 94. L. 9. C. 11. p. 233. & alibi videre licet.

4° Idque eum in finem, ut per Tabulas medii motus Solis, Lunæ, & Planetarum, aliiſque eo pertinentibus Tabulis, a ſe conſtructis, locum Solis &c. in quocunque alio hujus Æræ anno dato invenire, & horas καιρικάς, *temporales* ad Æquinoctiales reducere poſſet.

5° Unde etiam ubi eo opus habet, tempus Obſervationum captarum, tam ab aliis, quam a ſe deſignatum, ad Æram Nabonaſſari reducere ſolet.

6° Cur autem in Epocharum Solis, Lunæ & Planetarum conſtitutione tam alte aſcenderit, ad initium ſcilicet regni Nabonaſſari, hanc reddit rationem, quod ex eo tempore priſcas habebant Obſervationes, ut dicit Ptolem. L. 3. C. 8. p. 73. habebant enim Obſervationes trium Eclypſium, quæ 1° & 2° anno Mardocempadi factæ fuerant, ut dicit Ptolem. L. 4. C. 6. p. 87. Verba Ptolemæi Græca vide ſupra, lit. a. N. 2.

7° Congruum enim erat, ut Epochæ Solis &c. aliquo tempore præcederent antiquiſſimam, quam habebant, & qua uti vellet Ptolemæus, Eclipſeos obſervationem.

8° Ut exempli gratia, per Tabulam medii motus Solis, aliaſque eo pertinentes Tabulas, locum Solis in tempore hujus antiquiſſimæ Eclypſeos, & reliquarum deinde obſervatarum, deprehendere poſſet.

9° Et ut eum in finem, exempli gratia, harum antiquiſſimarum Eclipſium, ut & reliquarum deinde obſervatarum, diſtantias ab Epocha, & per conſequens etiam earum a ſe invicem diſtantias, colligere poſſet.

10° Unde etiam eum in finem, harum Obſervationum tempus, tam ab aliis, quam a ſe deſignatum, ad Æram a Nabonaſſaro ſolet reducere.

11° Inter Tabulas, a Ptolemæo constructas, & in ſuo Almageſto editas, notanda imprimis Tabula συνόδων & πανσεληνων, hoc eſt, *conjunctionum & oppoſitionum Solis & Lunæ*, ſeu *Noviluniorum & Pleniluniorum*, quæ in Libri 6ti initio proponitur, & etiam Tabula εικοσιπεντaετηρίδων vocatur, & eo nomine a Tabulis medii motus Solis, & Lunæ diſtinguitur.

Tabulæ enim medii motus Solis & Lunæ (quæ L. 3. C. 2. p. 65, 66. & L. 4. C. 3. p. 87—92. proponuntur) in primo earum Κανόνι, in

ejus

ejus prima columnâ, habent ſeriem annorum, quæ per ὀκτωκαιδεκαετηρίδας, hoc eſt, per 18 annos Ægyptiacos vagos, ſibi invicem continuo aggregatos, progreditur, hoc modo, 18, 36, 54, 72, & ſic porro, & quia illa columna eſt στίχων, ſeu *verſuum* 45, colligit illa annorum ſeries in univerſum annos 810. Præterea hæ Tabulæ, in earum primo Κανονίῳ, non exhibent in primo verſu, *locum*, quem Sol, aut Luna ἐπέχει, obtinet in cœlo, in Nabonaſſari anno 1° menſis Thoth die 1°, in meridie, in Climate Alexandriæ, ſed ſimpliciter exhibent, quot gradibus, minutis, &c. (ultra plenos circulos) exempli gratia, Sol, medio motu, ſpatio 18, 36, 54, 72, &c. annorum Ægyptiacorum vagorum progrediatur εἰς τὰ ἑπόμενα. Unde patet has Tabulas non ita dependere ab Epocha Solis aut Lunæ in anno Nabonaſſari 1° conſtitutâ, quia etiam uſum ſuum præſtare poſſint, ſi Epocha Solis & Lunæ inferius, exempli gratia, in anno Philippi 1° conſtituatur, modo tempus, in quo locus Solis aut Lunæ quæritur, illum Philippi annum 1um non præcedat, ſed ſequatur. Niſi calculum ordine retrogrado, per abſtractionem, inſtituere velis. Vide Ptolem. L. 3. C. 8. pag. 74.

Tabulæ autem *conjunctionum, & oppoſitionum Solis & Lunæ*, ſeu *Noviluniorum & Pleniluniorum*, habet in primo & ſecundo Κανονίῳ, in prima columna, ſeriem annorum, quæ a 1° Nabonaſſari anno incipiens, per εἰκοσιπενταετηρίδας, hoc eſt, per 25 annos Ægyptiacos vagos, continuo aggregatos, deinde progreditur, hoc modo, 1. 26. 51. 76. & ſic porro, donec in ultimo verſu aſſurgat ad annum Nabonaſſari 1101^{mum}. Præterea hujus Tabulæ primum Κανόνιον exhibet in ſecunda columna, in primo verſu, Novilunium medium in anno Nabonaſſari 1°, in menſis Thoth die 24°, a meridie computato, minutis, ſeu partibus horæ, primis 44, ſecundis 17, poſt meridiem. Secundum vero Κανόνιον exhibet in ſecunda columna, in primo verſu, Plenilunium medium in anno Nabonaſſari 1°, in menſis Thoth die 9°, a meridie computato, minutis, ſeu partibus horæ, primis 55, ſecundis 35, poſt meridiem. Et hoc Novilunium primum, ut & hoc Plenilunium primum, in anno Nabonaſſari 1° ſunt Epochæ Noviluniorum & Pleniluniorum; & per conſequens reliqua Novilunia & Plenilunia prima anni a Nabonaſſaro 26^{ti}, 51^{mi}, 76^{ti} &c., quæ in hac Tabula conſequenter annotantur, una cum omnibus numeris, qui in reliquis hujus Tabulæ columnis inſcribuntur, ita ab hac Epocha, ſeu ab hoc Novilunio & Plenilunio primo, anni a Nabonaſſaro 1^{mi}, dependent,

ut

ut ſi loco hujus Epochæ alia inferius conſtituta, exempli gratia, in anno Philippi Aridæi 1°, aſſumatur, etiam neceſſe ſit, relicta hac Tabula, aliam, ab hac, quoad menſis Thoth diem & horam, & reliquos numeros aſtronomicos, plane diverſam, de novo conſtruere.

Hæc fuſius exponere volui, quia non tantum hic, ſed imprimis etiam in infra dicendis, uſui nobis erunt.

12° Hæc Tabula εἰκοσιπενταετηρίδων, una cum aliis eo pertinentibus Tabulis, inſervit ad Novilunia & Plenilunia, in quocunque anno Æræ Nabonaſſari dato, deprehendenda, & per conſequens, ad Eclipſes, a ſe, & ab aliis obſervatas, etiam calculo explorandas. Unde quoque, ubi eo opus habebat Ptolemæus, neceſſe erat, ut tempus captarum obſervationum, a ſe, & ab aliis deſignatum, ad Æram Nabonaſſari reduceret.

13° Methodus illa, qua Ptolemæus L. 3. C. 8. p. 74. utitur, in reductione anni Adriani 17^mi^, quo, ſe Æquinoctium obſervaſſe, dixerat, ad annum Æræ Nabonaſſari, etiam maxime notanda eſt.

Procedit enim in hac reductione temporis per annum 17um Imperii Adriani deſignati, ad tempus in Æra Nabonaſſari priori correſpondens, (quo opus habebat, ut Epocham medii motus Solis in Nabonaſſari anno 1°, menſis Thoth die 1°, in meridie, in Climate Alexandriæ, conſtitueret) hoc modo:

A regno Nabonaſſaris (inquit) *uſque ad mortem Alexandri, colliguntur anni* 424.

A morte autem Alexandri uſque ad regnum Auguſti (in Ægyptum ſcilicet, poſt Cleopatræ mortem) 294.

Et a primo Auguſti anno, primaque die in Thoth Ægyptio menſe, & meridie, (dies enim a meridie incipere volumus) ad 17um *Adriani annum, ſeptimo die Athir, duabus poſt meridiem horis æqualibus, anni ſunt* 161, *dies* 66, *& horæ* 2 *æquales.*

Quare a primo Nabonaſſaris anno, primaque meridie Thoth menſis ſecundum Ægyptios, uſque ad expoſitum nobis Æquinoctium autumnale, colligentur anni 879, *dies* 66, *& æquales horæ* 2.

Mirabitur procul dubio, qui hæc conſiderat, cur Ptolemæus, qui alias uno verbo indicare ſolet, quotus annus a Nabonaſſaro ſit ille annus, quo obſervatio facta fuit: vel quot anni a Nabonaſſaro, ad illum, quo obſervatio facta fuit, annum excluſive, elapſi ſunt; hic in hoc unico, qui mihi in toto Almageſto occurrit, loco, hac operoſiore, per trium intervallorum in unam ſummam aggregationem, utatur methodo.

Notandum autem hunc locum eſſe primum in Almageſto locum, ubi Pto-

Ptolemæus opus habebat diſtantia a Nabonaſſari anno 1° uſque ad tempus obſervationis ſub Romanis Imperatoribus factæ. Unde quis non immerito ſuſpicari poſſet, Ptolemæum hoc in loco, ubi prima occaſio ipſi occurrebat, voluiſſe tacite methodum tradere, & in hoc exemplo reapſe oſtendere, quomodo diſtantiam a Nabonaſſaro ad obſervationem ſub Imperatoribus Romanis factam, colligebat: & proinde Ptolemæum aliis in locis hoc tacite feciſſe, quod hoc in loco explicite & expreſſe facit.

Sed hoc adhuc magis mirum videbitur iis, qui, licet abſque ulla, quantum mihi conſtat, probatione, præſupponunt, Canonis Regum aſtronomici auctorem eſſe Ptolemæum. Ii certe, ad minimum, agnoſcere coguntur, Canonem illum, ſi Ptolemæi ætate jam extabat, aliter, ac ille, quem nunc habemus, fuiſſe diſpoſitum: eumque poſt Epocham a Philippo in Cleopatræ morte finitam, novam rurſus Epocham & novam annorum collectionem, quæ ab Auguſto initium ſumebat, habuiſſe.

Occurrit tamen mihi aliquid, quod huic ſuſpicioni opponi poteſt, quod ſilentio tegere nolo. Nempe Ptolemæi Tabula medii motus Solis, in qua ſeries annorum, quæ per ὀκτωκαιδεκαετηρίδας progreditur, non altius, quam ad 810 annos, aſſurgit. Adeoque cum integro numero 879, vel proxime minore 864 annorum, Tabulam hanc ingredi non poterat. Ac proinde forte hinc eſt, quod Ptolemæus hanc ſummam 879 annorum, in tres ſummas minores diſpeſcat, ut eo ipſo indicaret tres illos numeros annorum ſucceſſive in hanc Tabulam eſſe introducendos: & quidem primo, numerum 424 annorum, vel proxime minorem 414 annorum introducendum in Tabellam Octodecaëteridum, & reliquum numerum 10 annorum in Tabellam ſimplicium annorum. Secundo, numerum 294 annorum, vel proxime minorem 288 annorum introducendum in Tabellam Octodecaëteridum, & reliquum numerum 6 annorum in Tabellam ſimplicium annorum, & Tertio denique numerum 161 annorum, vel proxime minorem 144 annorum introducendum in Tabellam Octodecaëteridum, & reliquum numerum 17 annorum in Tabellam ſimplicium annorum.

Sed judicent harum rerum gnari, an hæc poſterior conjectura priori æquiparari poſſit. Si conſiderent, calculum facilliori & longe compendioſiori modo poſſe inſtitui: ſi nempe primo numerus 810 annorum, qui Tabulæ ultimus eſt, introducatur in Tabellam Octodecaëteridum, & deinde numerus reliquus 69 annorum, ita ut proxime minor 54 annorum in Tabellam Octodecaëteridum, & qui porro ſupereſt, numerus

merus 15 annorum in Tabellam ſimplicium annorum introducatur. Quod certe magis naturale, & longe commodius eſt.

e.

An & quo ſenſu, hujus Epochæ a Nabonaſſaro primus meminerit Beroſus.

Beroſus (inquit Dodwellus in Prolegomenis §o XXIV., circa finem) *primus meminit Epochæ, ut vidimus, Nabonaſſareæ.*

Reſpicit ad locum Syncelli, quem in ſuperioribus adduxerat §o XXIII circa medium.

Hunc Syncelli locum, ex ejus Chronographia p. 207. C. produximus ſupra hoc ipſo §o 13o Lit. a. N. 1. & Lit. b. N. 1.

A Nabonaſſaro (inquit Syncellus) *tempora motus aſtrorum Chaldæi ἠκρίβωσαν*, hoc eſt, *accurate tractarunt*, vel, *obſervarunt*, vel, *annotarunt*, *&, qui hoc a Chaldæis acceperunt, Græcorum Mathematici, quandoquidem, ut Alexander & Beroſus, antiquitatum Chaldaicarum Scriptores, dicunt, Nabonaſſarus, quum collegiſſet geſta, quæ eum præceſſerant, regum, ea abolevit, ut ab ipſo enumeratio fieret Chaldæorum regum.*

Demus Dodwello omnia, quæ ex iis, quæ Beroſum dixiſſe, refert Syncellus, exſculpi poſſunt. Demus non tantum Beroſum dixiſſe, quod Nabonaſſarus priorum regum geſta aboleverit, ſed etiam, quod Nabonaſſarus hoc eum in finem fecerit, ut ita ab ipſo enumeratio fieret Chaldæorum regum. Si enim quis exciperet, poſteriora illa verba, *ut ab ipſo* &c. non eſſe Beroſi, ſed Syncelli, ex ejus præconcepta opinione ab ipſo addita; quomodo Dodwellus contrarium probaret non perſpicio.

Demus præterea, quod Beroſum dixiſſe, Syncellus non refert, Nabonaſſarum ſcopum ſuum obtinuiſſe, & novam ab ipſo Chaldæorum regum ſeriem initium ſumſiſſe, cumque in illa ſerie primum fuiſſe numeratum.

Sed quid hæc ad Epocham ſeu Æram, de qua hic agitur, Nabonaſſaream.

Non enim, una cum præcedentium regum geſtis, memoriam anterioris temporis, Aſtronomis certe cogniti, abolere poterat Nabonaſſarus: & geſta quidem anteriorum regum, non autem obſervationes Aſtronomorum aboleviſſe Nabonaſſarum dicit Beroſus.

Præterea ſit Nabonaſſarus in nova illa Chaldæorum regum ſerie ordine primus,

primus, & numeretur primus: inde minime ſequitur novam Epocham ſeu Æram annorum a Nabonaſſaro, ab eo tempore & deinceps inter Chaldæos obtinuiſſe: quemadmodum Epocha, ſeu Æra annorum a Diocletiano, & Æra Auguſtorum deinceps inter Ægyptios obtinuit. Multo minus inde ſequitur, Chaldæorum Aſtronomos novam Æram a Nabonaſſaro incipientem, aſſumpſiſſe, eâque in obſervationum ſuarum tempore deſignando, & in calculo aſtronomico, uſos eſſe. Nam, quod calculum aſtronomicum attinet, ille privati uſus erat, & nihil cum Æra civili commune habet. Et quod attinet deſignationem temporis, quo ſuas ceperant obſervationes, conſtat Chaldæos Aſtronomos tempus Eclipſium in urbe Babylone obſervatarum, etiam poſt Nabonaſſarum; non per Æram annorum a Nabonaſſaro, ſed per annos Imperii ſingulorum Babyloniæ regum deſignaſſe. Ut ſupra hoc ipſo §o 13o Lit. b. N. 4. oſtendimus.

§.

Verba Beroſi apud Plinium, de quibus agit Dodwellus in Prolog. §o 24 proponuntur & conſiderantur.

Plinius Nat: Hiſt. L. 7. C. 56. p. 94. Tomi 2di edit. Pariſ. 1685, in 4o, cum Harduini, agens de literarum origine & antiquitate in genere, & in ſpecie de literarum antiquitate, quæ ab æmula gente Chaldæorum & Ægyptiorum jactabatur, ſic ſcribit: *Literas ſemper arbitror Aſſyrias fuiſſe: ſed alii apud Ægyptios à Mercurio, ut Gellius: alii apud Syros repertas volunt. Utique in Græciam intuliſſe e Phœnice Cadmum ſedecim numero. Quibus Trojano bello Palamedem quatuor hac figura* Θ Ξ Φ X. *Totidem poſt eum Simonidem Melicum*, Ζ Η Ψ Ω: *Ariſtoteles X & VIII priſcas fuiſſe*: Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ο. Π. Ρ. Σ. Τ. Υ. Φ. *&* *duas ab Epicharmo additas* Θ. Χ., *quam a Palamede mavult. Anticlides in Ægypto inveniſſe quendam nomine Menona tradit, XV annis ante Phoroneum antiquiſſimum Græciæ regem: idque monumentis approbare conatur. E diverſo Epigenes, apud Babylonios DCCXX annorum M. obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis auctor in primis: qui minimum, Beroſus & Critodemus CCCCLXXX annorum* (ſcilicet M. ut ſupra) *Ex quo apparet æternum literarum uſum. In Latium eas attulerunt Pelaſgi.*

Harduinus recte in ſua editione Notam Millenarii in Textu expreſſit, &

& Epigenis numero annorum addidit. Sed miror eum, pro DCCXX, quod, ipſo fatente, in libris omnibus, quos viderat, legebatur, ſubſtituiſſe, ex Cicerone, in ſuæ editionis textu, CCCCLXX & non perſpexiſſe, quod Epigenes tum minorem annorum numerum exprimat, quam Beroſus & Critodemus, qui tamen minimum, ut expreſſe dicit Plinius, annorum expreſſerant numerum, nempe CCCCLXXX annorum, ut editi habuerant, vel CCCCXL, ut ex MSS. in textum ſuæ editionis intulit.

Epigenem, & Beroſum ac Critodemum, in hoc Plinii loco, non de ſimplicibus annis, ſed de annorum Millibus loqui, firmiſſimis evicit argumentis Perizonius in Originibus Babylonicis, C. 2. p. 17. & in Addendis, p. 333. & ſeqq. & C. 1. p. 8. & ſeqq.

Confer Ciceronem L. 1. de Divin. C. 19. & L. 2. C. 46. Diodorum Siculum L. 2. p. 118. edit. Rhodomanni. Alexandri Polyhiſtoris ex Beroſi Libro 1° & 2° excerptum, apud Syncellum p. 28. B. — 30. A. &, ex Syncello, inter reliquias Græcas prioris partis Chronicorum Euſebii, a Scaligero collectas, p. 5, 6. Vide Perizonium, p. 20. & p. 334—337. & Syncellum p. 14. B. C. & p. 16. D. & p. 17. A. B. ut & p. 30. A — p. 31. B. ubi altera pars excerpti ex Beroſi Libro 2°, per Alexandrum Polyhiſtorem, etiam inter reliquias Græcas relata a Scaligero, p. 8. Vide porro Syncellum p. 31 & 32. ut & p. 17. D. ubi habes excerptum ex Africano, de commentitia Ægyptiorum & Chaldæorum Chronologia.

§.

Æræ Nabonaſſareæ mentio apud Cenſorinum.

Cenſorinus in Libello de Die Natali, C. 21. p. 156. ſic ſcribit: *Nam, ut a noſtris, ita ab Ægyptiis quidam anni in literas relati ſunt, ut quos Nabonnazaru nominant, quod a primo imperii ejus anno conſurgunt, quorum hic DCCCCLXXXVI. Item Philippi, qui ab exceſſu Alexandri Magni numerantur, & ad hunc uſque perducti annos DLXII conſummant. Sed horum initia ſemper a primo die menſis ejus ſumuntur, cui apud Ægyptios nomen eſt Thoth: quique hoc anno fuit ante diem VII Kal. Jul.*

Cenſorinus hæc ſcripſit *Coſſ. Ulpio & Pontiano*, qui ſignant annum Æræ Vulgatæ Chriſti 238um, quo labente annus Nabonaſſari 986^{tus}; & Philippi 562^{dus} jam inierant ex die Junii 25°. Vide quæ notavimus ſupra §° 11. Lit. N. Obſerv. 2°.

Hos

Hos annos Cenſorinus Ægyptiis tribuit: *ab Ægyptiis* (inquit) *in literas relati ſunt.*

Quando dicit, quod hi anni ab Ægyptiis *in literas relati ſint*, videtur indicare horum annorum uſum, non civilem & publicum, ſed privatum in ſcriptis virorum doctorum, apud Ægyptios.

Potuit itaque Cenſorinus, qui centum ferme annis poſt Ptolemæum ſcripſit, reſpicere ad uſum annorum Nabonaſſari & Philippi, qui in ſcriptis Ptolemæi frequens eſt. Ultima enim, quæ in Almageſto recenſetur Ptolemæi obſervatio, capta eſt Antonini Pii anno 4°, qui eſt a Nabonaſſaro 888us, a Philippo 464us. Cenſorinus autem ſcripſit labente jam anno a Nabonaſſaro 986°, Philippi 562°.

XIV.

De Æra Philippi.

Æra Philippi, *cujus anni*, ut Cenſorinus dicit, *ab exceſſu Alexandri Magni numerantur*, quæque a Philippo Aridæo, Alexandri Magni fratre & ſucceſſore denominatur, &, ut Theo Alexandrinus, & poſt eum Georgius Syncellus dicit ἀπὸ πρώτου ἔτους Φιλίππου τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην initium ſumit, conſtat annis Ægyptiis vagis, dierum 365 tantum abſque quadrante, & incipit poſt annos a Nabonaſſaro 424 completos, a Nabonaſſari anno 425° ineunte a menſis Ægyptii Thoth die 1°, qui incurrit in diem 12um Novembris anni Per. Jul. 4390^{mi}, ante Chriſtum 324^{ti}.

Varia de hac Æra in conſiderationem hic venire poſſunt.

α.

An Aſtronomi ante Ptolemæum Æra Philippi, ſeu annis ab Alexandri morte uſi ſint.

1° Ex iis, quæ ſupra, §° 13. Lit. c. N. 1—14. vidimus, patet, nullum ex iis Aſtronomis, qui poſt Alexandri mortem vixere, quorum obſervationes, in Almageſto ſuo, recenſet Ptolemæus, uſum eſſe Æra Philippi, ſeu annis ab Alexandri morte, in deſignatione temporis, quo ſuas ipſi ceperant obſervationes: & nullum in toto Ptolemæi Almageſto

occurrit indicium, quod hac Æra in conſtituendis Epochis in calculo aſtronomico, aut in captandis diſtantiis uſi ſint.

2° Sed contra inde patet, quod illi Aſtronomi, in deſignatione temporis, quo ſuas ceperant obſervationes, uſi ſint.

a. Vel, *annis Periodi Callippicæ*, ut Timocharis, N. 3°. Ariſtarchus, N. 4°. Anonymus, N. 7°. Incertus, N. 9°. Hipparchus, N. 10°.

b. Vel, *annis*, *qui vocantur Chaldæorum*, ſeu Æra Seleucidarum, ineunte anno Per. Jul. non 4402°, ſed 4403°, forte ab Æquinoctio verno: ut Aſtronomi Chaldæi, N. 6°.

c. Vel, *annis*, *qui vocantur ſecundum Dionyſium*, & a Ptolemæi Philadelphi anno 1° deducuntur, ut Dionyſius, N. 5°.

d. Vel, *annis Imperii ſingulorum Regum Ægypti*, & in ſpecie anno Philometoris 7°, ut Anonymus, N. 8°.

e. Vel, *annis Imperatorum Romanorum*, & in ſpecie, Domitiani anno 12°, ut Agrippa, N. 11°. Trajani anno 1°, ut Menelaus Geometra, N. 12°. Adriani anno 9°, ut Anonymus, N. 13°. ejuſdem Adriani annis diverſis, ut Theon Smyrnæus, N. 14°. Quos etiam ſecutus eſt Ptolemæus, N. 15°.

3° De ſolo Hipparcho dubitari poteſt, an non, duobus apud Ptolemæum locis, etiam *annis ab Alexandri morte* uſus ſit.

Sed ſupra §° 13. Lit. c. N. 10°. duo illa loca jam adduximus, & indicavimus illam temporis, per annum 197um ab Alexandri morte, deſignationem, non eſſe Hipparchi, ſed Ptolemæi.

Quod etiam Dodwellus, in Prolegomenis §° XXIX, agnoſcit. *Ipſe* (inquit) *etiam Hipparchus Periodi Calippeæ numeris ſuas deſignat obſervationes, ut proinde ſiquando notatur annus ab Alexandro, Ptolemæo tamen potius nota illa, quam Hipparcho, tribuenda videatur.*

β.

De uſu Æræ Philippi, ſeu potius annorum ab Alexandri morte apud Ptolemæum in Almageſto. cur, quomodo, quando ipſe Ptolemæus in ſuo Almageſto hac Epocha uſus ſit.

1° Notandum, quod hæc quæſtio ſit limitata. Non enim quæritur de Æræ Philippi uſu in προχείροις Κανόσι, ſeu *Tabulis expeditis*, quæ Ptolemæo tribuuntur, de eo agam infra, Lit. δ. Sed quæritur de Æræ Philippi uſu *in Ptolemæi magna Aſtronomiæ conſtructione, ſeu Almageſto.* Neque

Neque quæritur de uſu quocunque in genere, (Ptolemæum enim *annis ab Alexandri morte*, in Almageſto ſuo uſum eſſe, extra dubium eſt) ſed in ſpecie quæritur cur, quomodo, quando ipſe Ptolemæus annis ab Alexandri morte uſus ſit in ſuo Almageſto.

2° Ptolemæus in temporis, quo ipſe ſuas cepit obſervationes, deſignatione, nunquam annis ab Alexandri morte, utitur ſed more priſcorum, & ſui temporis Aſtronomorum, tempus obſervationum a ſe captarum, per annos Imperii ſingulorum Imperatorum Romanorum deſignat. Vide ſupra §° 13. Lit. c. N. 15°.

3° In Epocharum Solis, Lunæ & quinque Planetarum conſtitutione non utitur *annis ab Alexandri morte*, ſed *annis ab initio Imperii Nabonaſſari*. Vide ſupra §° 13. Lit. d. N. 3°.

4° In Tabulis aſtronomicis, quas conſtruxit, & in Almageſto ſuo edidit, non utitur *annis a Philippo*, aut *ab Alexandri morte*, ſed *a Nabonaſſaro*. Quod patet ex Ptolemæi Tabula Noviluniorum & Pleniluniorum, quæ & [illegible] vocatur. Vide quæ notavimus ſupra §° 13. Lit. d. N. 11°.

5° Sed hac Epocha *annorum ab Alexandri morte* utitur Ptolemæus in calculo aſtronomico, & quidem illo in caſu, quando diſtantiâ inter duas obſervationes, priſcam & ſuam, vel duas priſcas, intermediâ opus habet: tum enim tempus, quo utraque capta fuiſſe deſignatur, reducit ad annos ab Alexandri morte.

6° Exempli gratia. Ubi Ptolemæus in eo eſt, ut, poſt Hipparchum, ex Solſtitiis & Æquinoctiis, tam a priſcis, quam a ſe obſervatis, inquirat & determinet veram anni Solaris cœleſtis magnitudinem; quem in finem, ſimpliciter diſtantiâ inter obſervationes intermediâ opus habet; etiam tempus, quo hæ obſervationes captæ deſignantur, ſimpliciter *ad annos ab Alexandri morte reducit*. L. 3. C. 2. p. 59 & 60. In Græco, p. 62, 63. Ibi enim

Primo 32um annum tertiæ Periodi Calippicæ, quo Hipparchus Æquinoctium autumnale obſervaverat, reducit ad annum ab Alexandri morte 178um. (revera labebatur adhuc annus 177us, & poſt biduum annus 178us initurus erat: facta enim erat Hipparchi obſervatio Epagomena 3ª. Neque error eſt in calculo, ut ex præciſa diſtantia patet) Et annum Antonini 3um, quo Ptolemæus Æquinoctium autumnale obſervaverat, reducit ad annum ab Alexandri morte 463um. atque ita colligit diſtantiam annorum Ægyptiacorum 285 & dierum atque horarum, quæ excurrunt.

Secundo, immediate poſt, prædictum 32um annum tertiæ Periodi Calippicæ,

lippicæ, quo Hipparchus proxime ſequens Æquinoctium vernale obſervaverat, reducit iterum ad annum ab Alexandri morte 178um. Sed prædictum annum Antonini 3um, quo ipſe proxime ſequens Æquinoctium vernale, poſt 285 ſimiliter annos, obſervaverat, non repetit Ptolemæus, ſed compendii gratia ſimpliciter annum ab Alexandri morte 463um exprimit, ad quem in proxime præcedentibus Antonini annum 3um reduxerat.

Tertio, proxime poſt præcedentia, ut diſtantiam inter Solſtitium æſtivale, a Metone, ſub Archonte Apſeude (longe ante Alexandri mortem) obſervatum, & Solſtitium æſtivale (proxime ſequens ſupra dictum Æquinoctium vernale) quod ipſe eodem anno Antonini 3° (qui ad annos ab Alexandri morte reductus, erat (ut ſupra dixerat) ab illa Epocha annus 463us) obſervaverat, inveniret, procedit hoc modo: Sumit ab Hipparcho, quod a Solſtitio æſtivo, ſub Archonte Apſeude a Metone obſervato, uſque ad Solſtitium æſtivum ab Ariſtarcho anno 50°. primæ Periodi Calippicæ obſervatum, ſint anni 152. Annum 50um primæ Periodi Calippicæ, quo Ariſtarchus hoc Solſtitium æſtivum obſervaverat, reducit ad annum ab Alexandri morte 44um. & inde uſque ad annum Antonini 3um, qui ex reductione ſupra jam facta, erat annus ab Alexandri morte 463us; numerat annos 419. Quibus ſi addantur anni 152, ab Archonte Apſeude uſque ad annum 50um primæ Periodi Calippicæ, ab Hipparcho numerati; fiet diſtantia totalis a Solſtitio Metonis ſub Archonte Apſeude obſervato, uſque ad Solſtitium Ptolemæi, anno Antonini 3° obſervatum, annorum 571.

Quarto, eodem L. 3. C. 4. p. 67. a. ubi eodem Æquinoctio autumnali, ut & ſequenti Æquinoctio vernali, nec non ſequenti Solſtitio æſtivo, quæ ipſe Antonini anno 3° (qui, ex ejus reductione, ſupra C. 2° facta, erat annus ab Alexandri morte 463us) obſervaverat, iterum utitur, ad diſtantias dierum & horarum inter Æquinoctium autumnale & ſequens vernum, & inter Æquinoctium vernum & ſequens Solſtitium æſtivum, captandas, atque inde inæqualitatem curſus Solis in diverſis tempeſtatibus anni deprehendendam, convenienter Hipparchi hypotheſibus: non repetit tempus harum obſervationum, quod C. 2° deſignaverat, annum ſcilicet Antonini 3um, ſed ſimpliciter exprimit annum ab Alexandri morte 463um, ad quem annum Antonini 3um jam ſupra C. 2° reduxerat.

7° Neque tantum in Solſtitiorum aut Æquinoctiorum a priſcis & a ſe obſervatorum, comparatione, ſed etiam in obſervationum circa Planetas,

netas, a priſcis & a ſe factarum, comparatione, ubi harum obſervationum diſtantiis opus habet, tum quoque tempus obſervationis, a priſcis deſignatum, *ad annos a morte Alexandri reducit*, & addit diſtantiam a priſca obſervatione uſque ad ſuam, unde cognoſcitur ille a morte Alexandri, ad quem tempus ſuæ obſervationis reducit. Duo ejuſmodi loca in Ptolemæi Almageſto occurrunt.

Primo, L. 10. C. 9. p. 250. a. ubi obſervationem Martis, a Dionyſio factam cum ſua, quam in principio Antonini ceperat, inter ſe comparat: & annum ſecundum Dionyſium 13um, quo ſuæ obſervationis tempus deſignaverat Dionyſius, ad annum a morte Alexandri 52um reducit Ptolemæus; & præterea addit inter hanc obſervationem & ſuam, in principio Antonini captam, eſſe diſtantiam annorum 409. Unde patet principium Antonini, ſeu Imperii ejus annum 1um a Ptolemæo tacite reduci ad annum ab Alexandri morte 461um.

* Sed quam maxime notandum, Ptolemæum, quia non tantum diſtantiâ inter Dionyſii & ſuam obſervationem opus habebat, ſed etiam *loco* Solis in tempore obſervationis Dionyſii, propterea tempus obſervationis Dionyſii, uno eodemque quaſi halitu, etiam ad annum a Nabonaſſaro 476um reducit. Ὁ μὲν οὖν τῆς τηρήσεως χρόνος (inquit Ptolemæus) γίνεται κατὰ τὸ νβʹ ἔτος ἀπὸ τῆς Ἀλεξάνδρου τελευτῆς τουτέστι κατὰ τὸ υοςʹ ἔτος ἀπὸ Ναβονασσάρου. Hoc enim nullibi in toto Almageſto, niſi hoc in loco, eo modo, mihi occurrit.

Secundo, L. 11. C. 3. p. 260. a. ubi obſervationem Jovis, ab eodem Dionyſio captam anno 45° ſecundum Dionyſium, reducit ad annum ab Alexandri morte 83um, & addit inter hanc & ſuam obſervationem, (quam anno Antonini 1° ceperat, ut ex C. 1. p. 252. & C. 4. p. 261. a. patet) eſſe diſtantiam annorum 378. (quod ἐν πλάτει dicitur) unde patet annum Antonini 1um a Ptolemæo tacite reduci ad annum ab Alexandri morte 461um. Confer p. 261. a. in medio. & C. 4. p. 261. b.

8• Sunt præterea adhuc duo in Ptolemæi Almageſto loca, in quibus *hac Epocha annorum ab Alexandri morte utitur*, in reductione temporis duarum ab Hipparcho captarum obſervationum, licet, quantum perſpicere poſſum, ibidem non opus habeat diſtantiis inter has Hipparchi, & ſuas obſervationes, neque etiam diſtantia inter duas has Hipparchi obſervationes. ſed contra opus habeat diſtantia utriusque obſervationis ab Epocha a ſe in Nabonaſſari anno 1°, quia agitur de ſitu, ſeu loco Solis & Lunæ in tempore harum obſervationum.

Duo hæc loca occurrunt L. 5. C. 5. p. 104. b. & p. 106. a. de

quibus jam egimus ſupra §° 13. Lit. c. N. 10° & hoc ipſo §° 14. Lit. *α*. N. 3.

Neque mirum videri debet, quod Ptolemæus annum 51um tertiæ Periodi Calippicæ, quo Hipparchus harum duarum obſervationum tempus deſignaverat (ut ex collatione præcedentis Cap. 3. p. 103. a. b. patet) non expreſſerit, ſed illi, ex reductione ſua, annum ab Alexandri morte 197um ſimpliciter ſubſtituerit. Magis enim mirum eſt, quod dicto præcedenti Cap. 3. p. 103. a, b. tempus alterius obſervationis etiam circa ſitum Solis & Lunæ, & in Rhodo quoque, ab eodem Hipparcho factæ, per annum 50um tertiæ Periodi Calippicæ deſignatum, expreſſerit, ſed hujus temporis ad annum ab Alexandri morte 196um reductionem plane omiſerit, & non obſtante hac omiſſione, diſtantiam hujus obſervationis ab Epocha, in Nabonaſſari anno 1° a ſe conſtituta, indicaverit. Confer quoque L. 7. C. 2. p. 158. b. Sed in re nota compendio uti voluit Ptolemæus.

9° Hæc ſunt, ni fallor, omnia, quæ in Ptolemæi Almageſto occurrunt, loca, in quibus annorum ab Alexandri morte mentio fit. Sed merito quæritur cur Ptolemæus non ſemper uniformiter utatur *annis a Nabonaſſaro*, ſed quandoque, ut jam vidimus, *annis ab Alexandri morte*. Imo hoc revera mirum videri debet iis, qui ſtatuunt Ptolemæum Canonem Regum Aſtronomicum, a ſe concinnatum, & ad Antonini Pii finem perductum, ante oculos habuiſſe: & imprimis ſi etiam ſtatuant, quod tum congruum foret, Æram a Nabonaſſaro inchoatam in hoc Canone uſque ad Antonini finem fuiſſe continuo propagatam. Reſponſio mea ad hanc quæſtionem hæc eſt, mihi videri Ptolemæum hoc feciſſe propter calculi in temporis captarum obſervationum ad annos ab Alexandri morte reductione compendium.

10°. Ut hoc pateſcat, quædam prænotamus.

Primo, Ptolemæus nunquam annis ab Alexandri morte utitur, niſi quando illa, qua utitur, obſervatio poſt Alexandri mortem capta ſit: nam, quod Metonis obſervationem, ſub Archonte Apſeude factam, attinet, Ptolemæus tempus, quo Apſeudes Archon fuerat, non reducit ad annos ab Alexandri morte, ſed annum 50um primæ Periodi Calippicæ, quo Ariſtarchus Solſtitium æſtivum obſervaverat, ut ſupra hoc ipſo §° 14. Lit. *β*. N. 6. videre licet.

Secundo, ad annos ab Alexandri morte ſolummodo reducit obſervationes Hipparchi aliquas, & Ariſtarchi unam, quarum tempus per annos Periodi Calippicæ deſignatur; ut & obſervationes Dionyſii duas, quarum tempus

tempus deſignatur per annos Æræ Dionyſio propriæ, qui anni ſecundum Dionyſium vocantur; & conſequenter etiam ſuas, quas cum his comparat, obſervationes.

Tertio, obſervandum, quod una Periodus Calippica ſit 76 annorum, adeoque duæ Periodi Calippicæ colligant 152 annos; & quod 1us annus primæ Periodi Calippicæ ineat labente anno Per. Jul. 4384°, *a Solſtitio æſtivo*; & annus a Nabonaſſaro 419us a proxime ſequentis menſis Novembris die 14°; adeoque, pro re nata, vel 6, vel 7 annos, ab anno Periodi Calippicæ dato eſſe abſtrahendos, ut ad annum ab Alexandri morte quæſitum reducatur, juxta Ptolemæum.

Quarto, obſervandum annum ſecundum Dionyſium 1um inire labente anno Per. Jul. 4429°, & quidem probabiliter a menſe cœleſti *Cancrone*, hoc eſt, a menſis Junii die 25° circiter. & annum a Nabonaſſaro 464um, & ab Alexandri morte 40um, qui in Canone eſt imperii Ptolemæi Philadelphi annus 1us, inire a proxime ſequentis menſis Novembris die 2do. Adeoque ut annus ſecundum Dionyſium datus, ad annum ab Alexandri morte quæſitum reducatur, pro re nata, ob diverſum anni initium, anni vel 39 vel 38 ad annum ſecundum Dionyſium ſint adjiciendi.

Quinto, in memoriam revocanda ſunt, quæ ſupra §° 13. Lit. d. N. 13°. jam obſervavimus.

11° Ex modo dictis patet, in reductione annorum Periodi Calippicæ ad annos ab Alexandri morte, obtineri calculi compendium.

Detur enim annus 50us primæ Periodi Calippicæ, & quæratur quotus ille ſit annus ab Alexandri morte.

Cape primæ Periodi Calippicæ annum	50um
Aufer annos	6
Habebis annum ab Alexandri morte	44um

Detur porro annus tertiæ Periodi Calippicæ 32us, & quæratur quotus ille ſit annus ab Alexandri morte.

Cape pro duabus Periodis Calippicis elapſis annos	152
Adjice tertiæ Periodi annum . . .	32um
	184um
Aufer annos	6
Habebis annum ab Alexandri morte	178um

12° Porro ex iiſdem ante dictis patet, in annorum ſecundum Dionyſium reductione ad annos ab Alexandri morte, etiam calculi compendium obtineri.

Detur enim annus 13us ſecundum Dionyſium, & quæratur, quotus ille ſit annus ab Alexandri morte.

Cape annum ſecundum Dionyſium	13um.
Adde annos	39
Habebis annum ab Alexandri morte . .	52um.

Detur iterum annus 45us ſecundum Dionyſium, & quæratur, quotus ille ſit annus ab Alexandri morte.

Cape annum ſecundum Dionyſium . . .	45um
Adde annos	38
Habebis annum ab Alexandri morte . .	83um.

13° Denique ex iiſdem antedictis patet in annorum Imperii Hadriani & Antonini Pii, atque aliorum Imperatorum Romanorum, reductione ad annos ab Alexandri morte, etiam calculi compendium obtineri.

Exempli gratia: Antonini annus 3us eſt ab Auguſto annus	169us
Ab Alexandri morte uſque ad Auguſtum ſunt anni	294
Erit Antonini 3us, ab Alexandri morte . .	463us

14° Anni Periodi Calippicæ, ut & anni ſecundum Dionyſium, nec non anni Imperatorum Romanorum, eo, quo ſupra vidimus, modo, ad annos ab Alexandri morte reducti, facile porro ad annos a Nabonaſſaro, per annorum 424 additionem, reducuntur.

Exempli gratia: annus 13us ſecundum Dionyſium eſt ab Alexandri morte	52us.
A Nabonaſſaro uſque ad Alexandri mortem, ſunt anni	424.
Adeoque annus 13us ſecundum Dionyſium, eſt a Nabonaſſaro.	476us.

15° Atque inde porro patet diſtantia ab Epocha in anno Nabonaſſari 1° conſtituta, uſque ad tempus obſervationis captæ:

Exempli gratia; quia ſupra dicta Dionyſii obſervatio facta eſt anno Nabonaſſari 476° *labente*, menſis Athyr die 20° *labente* a meridie, ſequenti

quenti tempore matutino: & menſis Atyr dies 20[us] eſt anni dies 80[us], erit diſtantia a Nabonaſſari anno 1°, menſis Thoth die 1°, a meridie

Annorum 475, & dierum 79, & horarum 18 proxime. Vide L. 10. C. 9. p. 250. a. & 252. a.

16° Ex his omnibus itaque videor mihi videre methodum, qua uſus eſt Ptolemæus.

V.

De Æra ſeu Epochæ ab Alexandri morte inſtitutione in honorem Alexandri M. per Alexandrinos ſententia Dodwelli examinatur.

Dodwellus hac de re agit in Prolegom. §° XXIX. XXX. XXXI.

Ab Alexandrinis (inquit §° 29) *præcipue inventam hanc uſurpatamque eſſe Epocham* (quæ ab Alexandri morte conſurgit) *ex ipſo* Κλίςυ *nomine facile colligimus, quo inſignitur in ipſo Canonis titulo Alexander. Obtinuerat nimirum jam aliquantisper per præcipuas Romani orbis civitates mos ille imitatione digniſſimus, quo Conditoris memoriam inſigni Epocha commemorarent. Ita Romulum Romani, Seleucum Edeſſeni, Julium Cæſarem Antiocheni. Quin & Tyriis ſuam, & Aſcalonitis, & Laodicenis Epocham fuiſſe teſtatur Euſebius. Horum æmulos fuiſſe Alexandrinos omnino veriſimile eſt, cum & urbem habebant Romanæ urbi proximam, & Conditorem præterea longe celeberrimum. Ipſa tamen Alexandro recentiorem fuiſſe certum eſt.*

Et poſtquam de illa Canonis aſtronomici parte, quæ a Philippo Aridæo uſque ad Cleopatræ mortem decurrit, multa diſputaſſet, tandem ſub finem §[i] 31. hæc addit: *Juniorem itaque neceſſe eſt hujus Epochæ fuiſſe conditorem. Et ſi quidem Epigenis illi anni DCCXX de annis eſſent Nabonaſſari intelligendi, ut intellexit Cl. Marshamus, non equidem alium hujus Ægyptiacæ Epochæ autorem fuiſſe crediderim.*

Obſervationes ad præcedentia.

1[a] Non ſatis clare indicat Dodwellus an hic loquatur de Epocha ſeu Æra ab Alexandrinis in uſu civili & publico adhibita: an vero loquatur de Epocha ſeu Æra a Scriptoribus Alexandrinis in ſcriptis ſuis adhibita. Prius eum voluiſſe merito videtur concludendum, quia hanc Epocham concipit inſtitutam ab Alexandrinis in memoriam Alexandri, urbis ſuæ con-

conditoris: & Alexandrinos facit illorum populorum æmulos, qui conditoris ſui memoriam inſigni Epocha commemorarunt; quorſum faciunt exempla ab eo adducta. Quæ in quantum huc quadrent, aliis dijudicandum relinquo.

2° Continuo in his paragraphis inter ſe commiſcet hanc Epocham ab Alexandrinis in memoriam Alexandri, urbis ſuæ conditoris, inſtitutam; & illam Canonis Regum aſtronomici partem quæ a Philippo Aridæo, Alexandri ſucceſſore, initium ſumit, cum collectione annorum, quæ ab ejus imperii initio deducitur. Quæ duo certe diverſa ſunt.

3° Unde etiam ex eo argumentatur, *quod* Κτίστου *nomine in Canonis titulo inſigniatur Alexander*. Sed notandum hanc hujus Canonis partem, in quatuor illis MSS^tis, quorum apographa tractavit Dodwellus, nullum proprie habere titulum; & in titulo, quem hæc hujus Canonis pars, in Rationarii Temporum Petaviani tertia editione, præfert, Κτίστου nomen Alexandro non datur. Verum quidem eſt in uno ex quatuor MSS^tis Codicibus, quorum Apographis Dodwellus uſus eſt in primo ſcilicet Codice Voſſiano, ſeriem Regum hujus partis ita incipere, Φιλίππου τοῦ μετ᾽ Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην. Verum quoque eſt in dicta hujus Canonis editione Petaviana, *in Textu* eodem modo legi Φιλίππου τοῦ μετ᾽ Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην, (quod Petavius, meo judicio, habet ex Theonis Alexandrini εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας commentario) *in margine* vero, Φιλίππου Ἀρριδαίου (quod in priore Petavii editione, Textum, ut puto, occupaverat, & ex Calviſii editione profluxerat, quæ illud ex primo Codice Saviliano acceperat, ut ſupra jam monuimus.) Quis autem non videt, illa verba τοῦ μετ᾽ Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην, diſtinctionis gratia, nomini Φιλίππου eſſe adjecta, ne cum aliis Philippis, imprimis ne cum Philippo Alexandri patre confunderetur, & ut hic Philippus hac deſcriptione deſignaretur, ut ſucceſſor iſtius Alexandri, qui Græcorum regnum condiderat, adeoque, ut τῆς τῶν Ἑλλήνων βασιλείας rex ſecundus: ita ut verba ita ſint ſupplenda, Φιλίππου τοῦ μετ᾽ Ἀλέξανδρον τὸν τῆς Ἑλλήνων βασιλείας κτίστην. Quod Canonem Regum conſideranti, ex titulo intermedio, qui nomini Alexandri Macedonis ſuperſcribitur, Ἑλλήνων βασιλ., ſi non certum, ſaltem admodum probabile videbitur. Confer Theonis fragmentum, a Dodwello editum, in initio, ubi hic Philippus, in cujus anno 1° Epochas calculi ſui aſtronomici conſtituebat Theo, non immerito, eo ſenſu, ab eo ita deſcribitur. Nam ex hoc Theonis εἰς προχείρους Κανόνας commentario, hæc hujus Philippi deſcriptio, meo judicio, in Canonem irrepſit, non tantum apud Petavium, de quo non dubito, ſed etiam, ut probabile eſt, in primo Codice Voſ-

ſiano.

ſiano. Sed demum Dodwello, in illo Codice Voſſiano, & in illa Petavii editione, Alexandrum hoc κτίστου nomine inſigniri, ob conditam ab eo Alexandriam; & illud Epiſthetum, in deſcriptione Philippi in Canone Regum, Alexandro tributum, profectum eſſe ab homine Alexandrino: Quid hoc ad Epocham ſeu Æram ab Alexandrinis inventam, uſurpatamque, in memoriam Alexandri, de qua hic agitur.

4ª Cum autem hujus Æræ ab Alexandrinis inſtitutæ & uſurpatæ, ante Claudium Ptolemæum, nec vola, nec veſtigium inveniret: ſed contra reperiret, diverſos Aſtronomos ſuas, quas in ipſa urbe Alexandria ceperant obſervationes, tempus, quo illas ceperant, deſignaſſe non per hujus Æræ annos, ſed per annos Periodi Calippicæ &c. Inde concludit & hoc argumento probat, hanc Æram ipſo Alexandro eſſe (longe) recentiorem. Quem in finem etiam alia affert argumenta, quæ tamen non tempus inſtitutionis hujus Æræ, ſed compoſitionis hujus Catalogi Regum, in hac Canonis parte, potius ſpectant.

5ª Tandem, cum neminem inveniret, cui, ante Ptolemæum, hujus Æræ inſtitutionem tribuere poſſet, arripit Epigenem, ſub conditione tamen. quem, ea conditione poſita, hujus Æræ faceret conditorem. Conditio illa hæc eſt, *ſi quidem Epigenis illi anni* 720, *de annis eſſent Nabonaſſari intelligendi, ut intellexit Cl. Marshamus*: Confer quæ ſcripſerat Dodwellus, in Prolegom. §º XXIV, ſub finem. Vide quæ de Plinii loco, Hiſt. Nat. L. 7. C. 56, ubi illi Epigenis anni DCCXX memorantur, jam notavimus ſupra §º 13. Lit. f. & obſerva, ſi Epigenis anni 720 de annis Nabonaſſari intelligantur, æque ac Beroſi annos 480 de annis Nabonaſſari intelligendos eſſe, cum Marshamo, omnino exiſtimabat Dodwellus, ut dicit dicto §º XXIV. Tum Beroſum non minorem obſervationibus Babyloniorum in coctilibus lateribus ſcriptis, ac proinde eorum Literis antiquitatem tribuere, quam Epigenem, quod tamen Plinius expreſſe dicit, ſed revera æqualem, cum ambo a Nabonaſſaro numerent. Sed, dato non conceſſo, illos Epigenis annos 720 de annis Nabonaſſari eſſe intelligendos, quid tum? An propterea pro hujus Epochæ ſeu Æræ conditore foret habendus, cum, ut ipſa ſuppoſitio præfert, illius anni 720, a Nabonaſſaro, non autem ab Alexandri morte dinumerentur. Nullam video hic conſequentiam. Sed forte, dum nominat Ægyptiacam Epocham, & ejus conditorem, ſub conditione, facit Epigenem, Dodwellus cogitavit de illa Canonis Regum parte, in qua collectio annorum deducitur ἀπὸ Φιλίππου τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην, *a Philippo, qui Alexandro Conditori ſucceſſit*, & hoc voluit, Epigenem, ſi

illi

illi ejus anni 720 de annis eſſent Nabonaſſari intelligendi, tum ea vixiſſe ætate, ut illius partis Canonis Regum, quæ ab initio hujus Philippi uſque ad Cleopatræ mortem decurrit, Auctor fuiſſe potuerit, & per conſequens illius Epochæ conditor, quæ in illa Canonis parte in annis collectis conſpicitur: anni enim 720, a Nabonaſſaro numerati, terminantur in anno poſt Cleopatræ mortem ſecundo. Cur Auctorem illius partis Canonis regum, Cleopatræ morte poſteriorem, quæſiverit Dodwellus, facile percipio, ſed cur Epocha Ægyptiaca, ab Alexandrinis in memoriam Alexandri, urbis ſuæ conditoris, inventa, uſurpataque, Cleopatræ mortem morari debuerit, non intelligo: & quomodo Epigeni in mentem potuerit venire Epocham in memoriam Alexandri condere annis fere 300 poſt Alexandri mortem, & quod adhuc magis ſtringit, poſt ſubjugatam jam ante biennium ab Auguſto Cæſare Ægyptum, captamque Alexandriam, imo poſt novam Æram receptam, a capta Alexandria, & Auguſti in Ægyptum imperio dinumeratam, adhuc minus intelligo. Sed ut uno verbo rem abſolvam, a poſſe ad eſſe non datur conſequentia; & conditio illa a Dodwello requiſita, qua ſola Epigenis ætas nititur, nullo modo ei concedi poteſt.

6ª Præterea & hæc notanda ſunt, hanc Epocham in memoriam Alexandri, urbis Alexandriæ Conditoris, ab Alexandrinis, aliorum populorum, in hoc more imitatione digniſſimo, æmulis inſtitutam, non ſumere initium ab initio imperii Alexandri in Aſiam & Ægyptum, aut ab anno, quo urbs Alexandria ab Alexandro condita fuit, aut ab alio aliquo imperii Alexandri anno, ſed a primo anno Philippi Aridæi. Quomodo ergo Alexandrini, more aliorum populorum, hac Epocha conditoris urbis ſuæ memoriam commemorarunt?

7ª Neque etiam uſus hujus Epochæ qualiscunque apud Ptolemæum in ſuo Almageſto (de quo fuſe egimus ſupra, hoc ipſo §° 14°, Lit. β.) indicium eſt, ejusmodi Æram ab Alexandrinis inſtitutam, ſuo tempore, vel ante ſua tempora, apud Alexandrinos obtinuiſſe. Ptolemæus enim ut Aſtronomus, qui uſurus eſſet obſervationibus variis, diverſis temporibus captis, inde a Nabonaſſaro fere, uſque ad ſuam ætatem, maximum illud intervallum, ut calculi faceret compendium, & ob alias forte rationes, in tria minora diſpeſcuit intervalla: atque eum in finem, meo judicio, duobus factis memorabilibus, & in hiſtoria notiſſimis & celebratiſſimis, uſus eſt, quorum prius erat mors Alexandri Magni, qua Ægyptus ſub uno ex Alexandri ſucceſſoribus devenit, propriosque reges accepit; alterum vero mors Cleopatræ, ultimæ ex Ptolemæorum ſtirpe

ſtirpe reginæ, & ſubjugatio Ægypti per Cæſarem Auguſtum, qua Ægyptii ſub ditionem populi Romani venerunt, & unde etiam anni Auguſtorum apud Ægyptios dinumerantur.

8ª Atque hinc etiam eſt, quod Cenſorinus, in Libello de Die Natali, Cap. 21. dicat, *quod ab Ægyptiis quidam anni in literas relati ſint*, hoc eſt, a Scriptoribus Ægyptiis in eorum ſcriptis adhibeantur, *ut quos Nabonazaru nominant, quod a primo imperii ejus anno conſurgunt, quorum hic DCCCCLXXXVIus. Item Philippi, qui ab exceſſu Alexandri Magni numerantur* &c. Ptolemæus enim in ſuo Almageſto, hos annos ἀπὸ τῆς Ἀλεξάνδρου τελευτῆς numerare ſolet. Unde patet eandem Cenſorino rationem eſſe annorum a Nabonaſſaro, & annorum Philippi, qui ab exceſſu Alexandri numerantur; poſteriores non magis in Alexandri memoriam, quam priores in Nabonaſſari memoriam, ab Alexandrinis eſſe inſtitutos: ſed utroſque ab Ægyptiis Scriptoribus, puta Aſtronomis, in eorum ſcriptis, memoratos & uſurpatos, & ſic in literas relatos eſſe. Cum autem Cenſorinus dicat Ægyptios nominare hos annos, priores quidam *Nabonazaru*, hoc eſt, ἔτη Ναβονασάρου, vel ἀπὸ Ναβονασάρου, quod eodem redit, poſteriores vero *Philippi*, hoc eſt, ἔτη Φιλίππου, vel ἀπὸ Φιλίππου: & Ptolemæus (ſi memoria me non fallit) in toto ſuo Almageſto, poſteriores annos nunquam nominet ἔτη ἀπὸ Φιλίππου, ſed ſemper ἔτη ἀπὸ τῆς Ἀλεξάνδρου τελευτῆς: forte quis ſuſpicabitur, Cenſorinum vel non, vel non tantum ad Ptolemæum reſpicere, ſed vel ſolum, vel etiam ad alios Scriptores aſtronomos, Ptolemæo poſteriores, qui hos annos a Philippo denominarant. Sed dubito an hoc merito quis ex his Cenſorini verbis ſuſpicari poſſit. Non nego quidem Cenſorinum etiam ad alios Scriptores aſtronomos, Ptolemæo poſteriores, potuiſſe reſpicere: ſcripſit enim Cenſorinus centum circiter poſt Ptolemæum annis: ſed hæc Cenſorini verba ita eſſe comparata, ut Ptolemæum excludant, videre non poſſum. Cenſorinus enim non dicit, *Item Philippi, qui a primo imperii ejus anno numerantur*, ſed, *qui ab exceſſu Alexandri M. numerantur*; quemadmodum, ut diximus, hos annos numerabat Ptolemæus, licet non ab anno Alexandri emortuali, ſed a primo imperii Philippi procederent, quod etiam ex Ptolemæi Almageſto conſtat. Novi equidem hæc iis, qui ſtatuunt Ptolemæum in προχείροις Κανόσι Epocham calculi ſui aſtronomici affixiſſe anno 1° Philippi, qui Alexandro ſucceſſit, nullum factura ſcrupulum: ſed quinam ſint illi πρόχειροι Κανόνες, & an ſatis juſto fundamento Ptolemæo tribuantur, diſtinctius examen meretur, & hac de re agam in mox ſecuturis, unde hoc argumento hic non utor.

d.

De τοῖς προχείροις Κανόσι, qui Ptolemæo tribuuntur, & in quibus Epocha calculi aſtronomici figitur in anno 1° Philippi Aridæi.

1° Nomen προχείρου Κανόνος & προχείρων Κανόνων generale eſt, ſed in ſpecie tribuitur Tabulis aſtronomicis, quarum ope calculus aſtronomicus facili & expedita methodo peragitur. Ptolemæum autem in ſuo Almageſto, ſeu magna Aſtronomiæ conſtructione, plures ejuſmodi Tabulas aſtronomicas, a ſe conſtructas, edidiſſe, quibus hoc nomen προχείρων Κανόνων merito competeret, certum eſt. Uſus tamen invaluit, ut πρόχειροι Κανόνες, a Tabulis, in Ptolemæi Almageſto comprehenſis, diſtinguantur & hoc nomen προχείρων Κανόνων, quaſi κυρίως detur, cuidam faſciculo, ſeu collectioni Tabularum aſtronomicarum, tam proprie dictarum, quam aliarum uſui Aſtronomorum inſervientium. Diſtinguuntur autem οἱ πρόχειροι Κανόνες a Tabulis a Ptolemæo in ſuo Almageſto editis, inprimis in diverſa Epochæ conſtitutione: cum enim in Tabulis a Ptolemæo in ſuo Almageſto editis, Epocha conſtituatur in anno Nabonaſſari 1°, atque inde computus aſtrorum deducatur, in his προχείροις Κανόσι contra Epocha conſtituitur in anno Philippi Aridæi 1°, atque inde computus aſtrorum deducitur. Et hæc Epochæ a Nabonaſſari anno 1° ad Philippi Aridæi annum 1um tranſlatio infert mutationem in Tabulam Noviluniorum & Pleniluniorum, & quidem imprimis in duas hujus Tabulæ *Tabellas* (Κανόνια) quæ εἰκοσιπενταετηρίδων vocantur. Ut vidimus ſupra, §° 13. Lit. d. N° 11°. Hæc, quæ hic a me ponuntur, ex locis mox producendis, quam clariſſime patebunt. *

2° Hi πρόχειροι Κανόνες, ſic proprie dicti, a diverſis Scriptoribus antiquioribus & recentioribus, Ptolemæo tribuuntur.

a. *Heraclius Imperator*, qui Commentarium in προχείρους Ptolemæi Canones ſcripſiſſe dicitur, in fragmenti a Dodwello editi parte priore, in qua methodum tradit ad inveniendam Septimanæ Feriam in cujuscunque menſis die quocunque dato, ſic ſcribit, in initio; Ἐν τῷ προχείρῳ

* (Sed notandum, quod Tabula Icoſipentaëteridum, quæ in Ptolemæi Almageſto reperitur, & Novilunia & Plenilunia exhibet, plane differat a Tabula Icoſipentaëteridum, quæ inter προχείρους Κανόνας occurrit, & Epochas Solis & Lunæ, & quinque Planetarum exhibet. Vide infra Lit. e. ubi hæc diſtinctius explicantur.)

χείρῳ Κανόνι τοῦ Πτολεμαίου, μετὰ τοὺς Κανόνας τῶν ἀπλανῶν ἀςέρων, ἔκειντο Κανόνια, δι' ὧν δύναται τις γνῶναι τὴν ἑκάςου μηνὸς ἡμέραν εἰς ποίαν ἡμέραν τῆς ἑβδομάδος καταντᾷ. Quæ ita interpretatur Dodwellus: *In expedito Ptolemæi Canone, poſt Canones inerrantium ſtellarum, habentur etiam præterea & alii Canones, quorum ope intelligi poſſit cujusvis menſis dies in quem ſeptimanæ diem incurrit.* Hæc autem Κανόνια, hoc eſt, Tabellæ, ad Feriam inveniendam, (ne quid dicam de Κανόνι τῶν ἀπλανῶν ἀςέρων) in Ptolemæi Almageſto non reperiuntur.

b. *Georgius Syncellus* in ſua Chronographia, diverſis in locis, & quidem

Primo, p. 207. A. edit. Pariſ. ſic ſcribit: Τὰς μέν τοι ἀπὸ τῆς τελευτῆς Ἀλεξάνδρου ψηφοφορίας τῶν ἀςέρων ὁ αὐτὸς φιλόσοφος (Claudius ſcilicet Ptolemæus) ἐν προχείροις Κανόσι αυοϛ' ἐτῶν περιόδων, ἤτοι ἀποκαταςάσει Αἰγυπτιακοῦ ἑνὸς ἔτους ἐξέθετο. Πλὴν καὶ ἀπὸ τοῦδε τοῦ χρόνου, ἤτοι ἀπὸ τελευτῆς Ἀλεξάνδρου, (κατὰ τὸ ερο' κοσμικοῦ ἔτους) ἡνίκα ὁ ἀπὸ Φιλίππου, ὁ μετ' Ἀλέξανδρον τὴν κτίσιν, χρόνος τῶν προχείρων Κανόνων τὴν ἀρχὴν εἴληφεν, &c. Quæ ita interpretatur Goarus, *ab Alexandri quidem obitu ſyderum numeros ac rationes ſapiens ille vir in expeditis tabulis annorum 1476 Periodo, id eſt, anni unius Ægyptiaci reparatione nobis expoſuit. Verum ab hoc quoque ſemper temporis limine, a morte nimirum Alexandri (& a vulgari Mundi 5170) quo poſt Alexandrum imperii conditorem, expeditarum regularum ſpatium a Philippo ducitur, ſumpſit exordium.* Goarus pro περιόδων videtur legiſſe περιόδῳ, & non abſque ſpecie, quia ſequitur ἀποκαταςάσει in illo caſu. Goarus male poſt verbum εἴληφεν poſuit punctum; quæ ſequuntur enim cum his cohærent, ut videre licet ſupra §° 7. Lit. γ. Ego præcedentia juxta verborum ordinem, quantum fieri poteſt, & ad verbum, ſic verterem; *Aſtrorum quidem a morte Alexandri calculationes idem ille Philoſophus* (Claudius Ptolemæus ſcilicet, ut ex p. 206. B. patet) *in expeditis Tabulis 1476 annorum Periodorum,* (hoc eſt, per Periodos collectorum) *ſive Ægyptiaci anni unius* (magni Canicularis) *reſtitutione, expoſuit. Verumtamen, ab hoc ipſo tempore, ſive a morte Alexandri, & 5170° mundanò anno, quando a Philippo, qui Alexandro* (regni Græcorum) *Conditori ſucceſſit, tempus expeditarum Tabularum initium ſumpſit, ſi quis voluerit* &c. Reliqua hujus loci verba adduxi ſupra §° 7. Lit. γ. Syncellus, meo judicio, hoc in loco, reſpicit inprimis ad Tabulam ſeu Tabulas quæ εἰκοσιπενταετηρίδων vocantur, quæque in προχείροις Κανόσι ab anno Philippi 1° initium ſumentes, continuo per εἰκοσιπενταετηρίδας, hoc eſt, per ΠΕΡΙΟ-

ΛΟΥΣ εἰκοσιπένλε ἐτῶν, progrediebantur, hoc modo, 1. 26. 51. 76. &c. & in quibus ultimus annus, per *periodos* viginti quinque annorum hoc modo collectus, erat annus αυος´, 1476^m^, ſeu Icoſipentaëteridis ſexageſimæ annus 1us. Atque hinc eſt ſingularis illa locutio, αυος´ ἐτῶν περιόδων; quia illè numerus annorum non erat collectus hoc modo, 1. 2. 3. 4. 5. 6. & ſic porro, uſque ad 1476. Sed hoc modo, 1. 26. 51. 76. 101, & ſic porro, uſque ad 1476. unde etiam patet recte legi περιόδων in hoc Syncelli loco. Si autem Syncellus putaverit, Ægyptiorum Sothiacam Periodum, ſeu eorum magnum annum Canicularem fuiſſe 1476 annorum, vel anni Ægyptiaci vagi *reſtitutionem* (ἀποκατάστασιν) fieri poſt annos 1476 evolutos; quod videtur; tum memoriæ lapſu, hic erravit. Cum p. 312. D. recte tradat ἀποκατάστασιν anni Ægyptiaci vagi fieri ſpatio 1460 annorum, Julianorum ſcilicet. Dodwellus, priora hujus loci Syncelliani verba adducens in Prolegom. §º XXIX, in initio, monet pro περιόδων legendum eſſe περίοδον, & fingit ſibi Lunarem quandam Periodum 1476 annorum, a morte Alexandri deductam, putatque Syncellum loqui de anni Ægyptiaci *Lunaris* ἀποκαταστάσει, (ſi Dodwelli verba, ſatis obſcura, recte intelligo) quod mihi hic alienum videtur. Confer ejuſdem Proleg. §º XIV, circa medium.

Ex hoc Syncelli loco itaque patet, non tantum, quod Syncellus τοὺς προχείρους Κανόνας Ptolemæo tribuat, & in illis προχείροις Κανόσι Epocham calculi aſtronomici in anno Philippi Aridæi primo conſtitutam fuiſſe doceat, & in ſpecie tabulam icoſipentaëteridum ab anno Philippi primo incipere indicet, ſed etiam quod τοὺς προχείρους Κανόνας, a Ptolemæi tabulis in ejus Almageſto comprehenſis, diſtinguat, ut & calculum aſtronomicum, qui per tabulas in Ptolemæi Almageſto comprehenſas, peragitur, & a Nabonaſſaro deducitur, a calculo aſtronomico, qui per προχείρους Κανόνας peragitur, & a Philippo deducitur. Præſertim ſi conferantur, quæ Syncellus de Ptolemæo, præcedenti p. 206. B. C. dixerat, nempe Ptolemæum ἐν τῇ μεγάλῃ συντάξει τῇ τῆς ἀστρονομίας, *uſum eſſe annis a Nabonaſſaro tum in duorum luminarium Epochis, tum in Noviluniis & Pleniluniis, &c.* Integrum locum ſupra §º 13º Lit. b. N. 1. adduximus. Et ſi præterea conferantur, quæ dicit hac ipſa p. 207. B. ubi calculum aſtronomicum, qui peragitur τοῖς τε κατὰ τὴν μεγάλην σύνταξιν Πτολεμαίου ἀπὸ Ναβονασσάρου ἔτεσιν, καὶ τοῖς ἀπὸ τῆς τελευτῆς Ἀλεξάνδρου, ἤτοι ἀρχῆς Φιλίππου τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὴν κτίσιν, a ſe invicem diſtinguit. Integrum locum, præter initialia verba, quæ modo vidimus, ſupra §º 7º. Lit. γ. adduximus.

Secundo,

Secundo, p. 264. C. apud Syncellum hæc leguntur: Τὰ ἀπὸ Φιλίππου μετ' Ἀλέξανδρον ἔτη λαμβανόμενα κατὰ τοὺς Πτολεμαίου προχείρους ἀστρονομίας Κανόνας. Integrum locum ſupra §° 7°, Lit. ϑ. adduximus.

Tertio, p. 264. C. Syncellus ſic ſcribit: Ἀπὸ τῆς ἀρχῆς οὖν τούτου (Philippi ſcilicet Aridæi) οἱ χρόνοι τῶν προχείρων Κανόνων κατὰ Πτολεμαῖον ληφθέντες, καὶ κατ' ἀποκατάστασιν Αἰγυπτιακοῦ ἔτους ψηφίζονται. Quæ ita verto: *Ab initio itaque* (imperii) *illius anni expeditarum Tabularum, juxta Ptolemæum capti, & juxta reſtitutionem Ægyptiaci anni, computantur.* Hæc conferenda cum iis, quæ primo loco, p. 207 A. dixerat Syncellus.

Quarto, p. 326. D. Syncellus hæc habet: Ἐπὶ γὰρ τὸ πρῶτον ἔτος Φιλίππου τοῦ Ἀριδαίου τοῦ μετὰ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα βασιλεύσαντος Μακεδόνων α', καθ' ὃ ἔτος καὶ ὁ Κλαύδιος Πτολεμαῖος τὴν τῶν προχείρων Κανόνων ψηφοφορίαν ἐπήξατο, &c. Quæ ita verto: *Ad primum enim annum Philippi Aridæi, qui poſt Alexandrum Macedonem, primus Macedonum rex fuit, ad quem annum etiam Claudius Ptolemæus expeditarum Tabularum calculum affixit, &c.*

c. *Alfraganus*, in Elementis aſtronomicis, C. I. p. 6. ex Latina Jac. Golii interpretatione, ſic ſcribit: *Ægyptiorum Epocha, uſurpata in magno Ptolemæi opere, ſubducitur a principio ejus anni quo regnare cœpit Nabonaſſarus: quod incidebat in feriam quartam. At vero Æra Ægyptiaca, in Ptolemæi Tabulis expreſſa, procedit ab initio annorum Philippi, qui dies feria prima.*

d. *Suidas* in Lexico ſuo, in *Ptolemæo*, ſcripſit (inquit) Κανόνα πρόχειρον. Μέγαν Ἀστρόνομον, ἤτοι Σύνταξιν. Καὶ ἄλλα.

Idem, in *Theone Alexandrino*, ſcripſit (præter alia): Εἰς τὸν Πτολεμαίου πρόχειρον Κανόνα; ut in ſua editione, ex MS[to] correxit Kuſterus, cum in prioribus editionibus legeretur εἰς τὸν Πτολεμαῖον πρόχειρον Κανόνα, addens hanc ſuæ correctionis rationem, *Non enim Theon ſcripſerat Canonem in Ptolemæum, ſed commentarium in Canonem Ptolemæi, qui MS. extat in Bibliotheca Cæſarea, teſte Neſſelio in Catalogo Bibliothecæ Cæſareæ, Part. IV. p. 12.*

e. His addi poſſet *Catalogus Librorum manuſcriptorum Angliæ & Hiberniæ*, qui prodiit Oxoniæ 1697, in folio, in quo plures Codices MSS[ti] recenſentur, in quibus Theonis Alexandrini in προχείρους Κανόνας commentarii continentur, ut & alia ſcripta, in quibus hi Canones vocantur οἱ πρόχειροι Κανόνες *Ptolemæi.* Sed, quia in eodem Catalogo, iidem Theonis Alexandrini εἰς προχείρους Κανόνας commentarii ſæpius recenſentur, non addito *Ptolemæi* nomine, vehementer dubito, an non hujus Catalogi con-

 ſtructores

ſtructores (qui diverſi ſunt) *Ptolemæi* nomen de ſuo, ex communi opinione adjecerunt. Atque eam ob cauſam illa ex hoc Catalogo loca adducere ſuperſedeo. Idem dictum ſit de *Catalogo Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, *Lambeciano & Neſſeliano*, cujus Epitomen edidit Jac. Frid. Reimannus, in 8°.

3° *Theo Alexandrinus*, qui ducentis & ultra annis Ptolemæo junior eſt, & qui primus (quantum conſtat) horum πρόχειρων Κανόνων meminit.

a. Nunquam tamen τῦς πρόχειρυς Κανόνας Ptolemæo adſcribit, licet ſæpius eorum faciat mentionem. Exempli gratia

in Fragmento a Dodwello edito, §° 1. τ̃ διὰ τ̃ προχείρων Κανόνων ψηφοφορίας τ̃ ἀςέρων. Et paulo poſt, eodem §° 1. πρὸς τὸ καλαδηλοτέρην αὐτοῖς τ̃ ἔκθεσιν τ̃ Κανονίων τ̃ διδασκαλίας καλαφαίνεσθαι. & in immediate ſequentibus verbis eodem iterum §° 1. Ἐπεὶ ὖν τ̃ προκειμένων προχείρων Κανόνων. Item §° 3, in initio, Ἐπεὶ ὖν τῦς μέλλονlας ἄρχεσθαι τ̃ προκειμένων ἡμῖν διὰ τ̃ προχείρων Κανόνων ψηφοφοριῶν, ἀναγκαῖόν ἐςι προμανθάνειν &c.

Et in Commentario in magnam Ptolemæi conſtructionem, in Librum 1mum, in proœmio, p. 1. αὐτοὶ τὰ πλεῖςα καθάπερ ἐν προχείροις Κανόσι διὰ ψιλῶν ἐφόδων περιεἰλήφασιν. & in Librum 3tium Ptolemæi p. 182, ubi bis προχείρων Κανόνων, & ſemel προχείρων Κανονίων, quod eodem redit, ſimpliciter mentio fit.

Denique ipſe titulus fragmenti, a Dodwello editi, ita conceptus eſt, Θέωνος Ἀλεξανδρέως εἰς τῦς προχείρυς Κανόνας. Prodiit autem, ut Dodwellus dicit, e MSto Barocciano. Et notandum, quod idem plane Titulus reperiatur in Codice MSto Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis, cujus apographum penes ſe habuit Petavius; ut & in Codice MSto, quem Conſtantinopoli attulit Jac. Golius, quique in Bibliotheca Lugduno-Batava etiamnum ſervatur.

b. Præterea in illo Theonis fragmento, a Dodwello edito, expreſſis verbis indicat Theo, Epocham, ſeu initium motus aſtrorum, in προχείροις Κανόσι conſtitui in *primo anno* Φιλίππυ τ̃ μετ' Ἀλέξανδρον τ̃ κλίςην, *in menſis Ægyptii Thoth die primo*, *in meridie*, *in Climate Alexandriæ*, §° 1°. & præterea, jubet, *colligere annos ab initio Philippi uſque ad annum datum*, & *hunc numerum annorum collectorum introducere* εἰς τὸ τ̃ εἰκοσιπενlαετηρίδων Κανόνιον, §° 3°. Quod illuſtrat exemplo anni a Diocletiano 77° : ubi ἐκ τ̃, ἐν τῷ Κανονίῳ τ̃ βασιλέων, ἐπισυναγωγῶν, colligit annos, à Philippo uſque ad Diocletianum, 607, & additis annis a Diocletiano 77, ſimul annos 684. & hunc numerum 684 annorum collectorum introducit

εἰς

εἰς τὸ τῶν εἰκοσιπενταετηρίδων πρῶτον σελίδιον, hoc eſt, in Tabulæ Icoſipentaëteridum primam columnam. §° 5°. Unde patet non tantum in genere, quod calculus aſtronomicus, qui per τοὺς προχείρους Κανόνας peragitur, ab Epocha in Philippi anno 1° conſtituta, deducatur, *ſed etiam in ſpecie, quod Tabula Noviluniorum & Pleniluniorum, quæ Tabula Icoſipentaëteridum appellatur, inter προχείρους Κανόνας, in Capite, ſeu primo verſu exhibebat primum Novilunium & primum Plenilunium anni Imperii Philippi primi; quod, ut vidimus ſupra §° 13. Lit. d. N° 1.1°, totalem in hanc Tabulam, quoad numeros ei inſcriptos, mutationem infert.* * Præterea inde probabiliter colligitur, quod Canon Regum Mathematicus in illa collectione Tabularum, quæ προχείρων Κανόνων nomine veniunt, etiam fuerit comprehenſus. Quod etiam Syncellus ſupponit & ſatis clare innuit, ut oſtendimus ſupra, §° 7°. Lit. 9.

e. Idem Theo Alexandrinus in ſuo, in Ptolemæi Librum 6um Commentario p. 282, edit. Græcæ Baſil. 1538, in folio, ſic ſcribit: Ἵνα δὲ καὶ διὰ τῶν κατὰ τὴν ἔκθεσιν τῶν προχείρων Κανονίων ἐπιλογισμῶν σύμφωνον τὴν ταύτην συζυγίαν ἐπιδείξωμεν τῇ διὰ τῶν ἐν τῇ συντάξει κατειλημμένῃ. ἀφαιροῦμεν τῶν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς Ναβονασσάρου κατ' Αἰγυπτίους ἐτῶν ͵αρ̅ι̅β̅ τὰ μέχρι τῆς Ἀλεξάνδρου τελευτῆς ἔτη υ̅κ̅δ̅. καὶ τὰ λοιπὰ ἀπὸ Φιλίππου ἔτη χ̅π̅η̅. ὧν περιεχομένων μὲν ἔτη χ̅ο̅ϛ̅. ἁπλῶν δὲ ι̅β̅. καὶ ἔτι τὸν κατ' Αἰγυπτίους Θὼθ μῆνα εἰσάξομεν κατὰ τὰ πρῶτα σελίδια τῶν ὁμαλῶν παρόδων ἐπὶ τῶν προχείρων Κανόνων οἰκείως. Quæ ſic verterem: *Ut autem etiam per calculationes, juxta expoſitionem expeditarum Tabularum, conſonam iſtam Syzygiam oſtendamus illi, quæ per Tabulas in magna Ptolemæi Syntaxi comprehenſas calculata eſt. Auferimus ab annis, ab initio Nabonaſſari (uſque ad Diocletiani annum 81um collectis) 1112, annos (a Nabonaſſaro) uſque ad Alexandri mortem 424. Et reliquos a Philippo annos 688. qui faciunt Icoſipentaëteridum quidem annos 676, ſimplices vero annos 12. atque etiam ſecundum Ægyptios menſem Thoth, introducimus in primas columnas Tabulæ æqualium progreſſuum, inter expeditas Tabulas, unumquodque ſuo loco.* Notandum apud Theonem tria occurrere Schemata. Primum, quod reperitur p. 277, ita inſcribitur: Ἔκθεσις συνοδικῆς συζυγίας γεγονυίας κατὰ τὸ ͵αρ̅ι̅β̅ ἔτος ἀπὸ Ναβονασσάρου, Θὼθ κ̅δ̅. Hic calculus peragitur per Tabulas in Ptolemæi μεγάλῃ συντάξει comprehenſas, & in ſpecie adhibetur Κανόνιον εἰκοσιπενταετηρίδων, quod in Almageſti Libro 6° in initio, a Ptolemæo proponitur, &

* (NB. Talis Icoſipentaëteridum Tabula, exhibens Novilunia & Plenilunia inter προχείρους Κανόνας non occurrit. Vide infra. Lit. g. ubi hæc diſtinctius explicantur.)

a Nabonaſſari anno 1° deducitur. Invenit enim in illo Κανονίῳ, εἰκοσιπενταετηρίδων ἔτη αρα' (1101) & ἁπλᾶ ἔτη ια'. (11) ſimul annos a Nabonaſſaro ἔτη αριβ' (1112) & hæc Tabula Icoſipentaëteridum fuſe, p. 278, a Theone explicatur. Alterum Schema, quod reperitur p. 282. ita inſcribitur: Ψηφοφορία τῆς αὐτῆς συνοδικῆς συζυγίας ἐκ τῶν προχείρων Κανόνων. Hic, ut ipſa inſcriptio docet, calculus peragitur per προχείρους Κανόνας, qui diſtinguuntur à Tabulis in Ptolemæi μεγάλῃ συντάξει comprehenſis: quod etiam verba ſupra adducta docent. Et in hoc calculo adhibetur in ſpecie Κανόνιον εἰκοσιπενταετηρίδων, quod non a Nabonaſſari anno 1°, ſed a morte Alexandri M., ſeu a Philippi Aridæi anno 1° deducitur: loco enim anni a Nabonaſſaro αριβ', (1112) ablatis annis υκδ', (424) utitur anno a Philippo χπη'. (688) & invenit in Tabula Icoſipentaëteridum annos χοϛ'. (676) & ſimplices annos ιβ' (12). Confer Theonis εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας commentarium, in fragmento a Dodwello edito, §° 3°, & 5°. Tertium Schema, quod reperitur p. 284. ſic inſcribitur: Ἔκθεσις πανσελήνου ἐκλειπτικῆς. Hic calculus peragitur per Tabulas in Ptolemæi μεγάλῃ συντάξει comprehenſas: & in ſpecie adhibetur Κανόνιον εἰκοσιπενταετηρίδων, quod apud Ptolemæum in Almageſti Libro 6to, in initio, occurrit. Invenit enim in illa Tabula (ut ſupra in primo Schemate) Icoſipentaëteridum annos αρα', 1101. & ſimplices annos ια', 11. qui ſimul faciunt annos a Nabonaſſaro αριβ', 1112. Annus autem a Nabonaſſaro 1112us eſt annus a Diocletiano 81us hic propoſitus; ut ex Theonis verbis, quæ huic tertio Schemati immediate ſubjunguntur, p. 284, patet.

4° Quæritur itaque merito an ipſe Ptolemæus horum προχείρων Κανόνων auctor ſit? hoc eſt, an ipſe Ptolemæus has Tabulas in unum faſciculum collegerit, & ſeparatim ediderit? an ipſe Ptolemæus, qui in ſuo Almageſto Epochas calculi ſui aſtronomici in Nabonaſſari anno 1° conſtituerat, novam hanc Epocham in Philippi anno 1° conſtituerit, ut calculus aſtronomicus qui per hos προχείρους Κανόνας perageretur, ab hac nova Epocha, ab anno Philippi 1° ſemper deduceretur? & denique, an ipſe Ptolemæus, qui in ſuo Almageſto Tabulam Noviluniorum & Pleniluniorum, quæ & Icoſipentaëteridum appellatur, deduxerat a primo Novilunio, & a primo Plenilunio anni a Nabonaſſaro 1mi, poſtea Tabulam, quoad numeros ei inſcriptos plane aliam, conſtruxerit, quæ a primo Novilunio & a primo Plenilunio anni a Philippo 1mi deducitur, conſequenter illi novæ Epochæ, in Philippi anno 1° conſtitutæ? Nam novæ Epochæ conſtitutio, in Tabulam Noviluniorum & Pleniluniorum

luniorum talem infert mutationem, ut vidimus ſupra §° 13° Lit. d.

Ego, Ptolemæum hæc feciſſe, perſuadere mihi non poſſum. Cum nullam habuerit, quantum perſpicio, cauſam, ob quam id feciſſet Ptolemæus: & abſque cauſa prægnanti eum hoc facere voluiſſe, vix credibile ſit. Præſertim ſi conſideretur, quod προχείρων Κανόνων editio, non longe poſt Almageſti editionem, ab ipſo Ptolemæo facta, diſcipulis Ptolemæi facile confuſionem parere, vel ſaltem, propter diverſum per Almageſti Tabulas, & per προχείρους Κανόνας calculandi modum, iis crucem figere potuiſſet.

Has ob rationes Ptolemæum pro horum προχείρων Κανόνων Auctore agnoſcere non poſſum. *

5° Ex hac mea ad præcedentem quæſtionem reſponſione naſcitur alia quæſtio; cur itaque illi πρόχειροι Κανόνες a veteribus dicantur & vocentur *Ptolemæi*.

Hujus denominationis has rationes dari poſſe puto. Primo, in genere, quia hæ expeditæ Tabulæ juxta hypotheſes Ptolemæi, & ex ejus principiis conſtructæ & concinnatæ erant: ut etiam judicavit Jac. Golius in Notis ad Alfraganum, p. 59 Secundo, quia harum Tabularum pleræque, ut mihi videtur, (ipſas enim has Tabulas videre hactenus mihi non contigit) ſunt ipſiſſimæ Ptolemæi Tabulæ, ex ejus Almageſto deſumptæ; omnes ſcilicet illæ, quæ medios Solis, Lunæ, & Planetarum motus exhibent, una cum iis, quæ eo pertinent, utpote quæ non ita ab Epocha a Ptolemæo in Almageſto conſtituta dependent, quin, licet Epocha mutetur, & a Nabonaſſari anno 1°, in Philippi annum 1um transferatur, nihilominus uſum ſuum præſtare poſſint: ut vidimus ſupra §° 13° Lit. d. N° 11°. ** Tertio, quia ſola (quantum conjectura aſſequi poſſum) Noviluniorum & Pleniluniorum Tabula, quæ & εἰκοσιπενταετηρίδων vocatur, quæque, mutata Epocha, plane, quoad numeros

* (NB. Hæ rationes minime ſufficiunt ad probandum, Ptolemæum non eſſe τ͂ προχείρων Κανόνων primum Auctorem: Vide infra Lit. ε. ζ. η. ubi hac de re diſtinctius agitur & variis argumentis probatur, admodum probabile eſſe, quod Ptolemæus, pro horum προχείρων Κανόνων primo Auctore habendus ſit. Quo non obſtante iidem πρόχειροι Κανόνες a Ptolemæi diſcipulis & ſucceſſoribus varie potuerint augeri, ſuppleri, continuari, &c. Cum autem nullo hactenus argumento demonſtrativo plane evictum ſit, Ptolemæum horum Canonum primum eſſe Auctorem; hæc, quæ ſequitur diſquiſitio non plane erit inutilis.)

** (NB. Hæc ſecunda ratio id ſuppoſit, quod ex ipſis προχείροις Κανόσι in Codice Lugduno Batavo redarguitur, nullæ enim Tabulæ ex Ptolemæi Almageſto ſimpliciter deſumptæ ſunt. Vide infra. Lit. η.)

menos ei inſcriptos, invenire neceſſe erat, ſecundum tamen eandem quam Ptolemaica habebat, & ex illa deducta, & juxta eaſdem hypotheſes compoſita erat. Tabula enim Icoſipentaëteridum Ptolemaei, ab anno Nabonaſſari 1°, & hujus anni primo Novilunio & primo Plenilunio deducta, prodebat, ope calculi, primum Novilunium, & primum Plenilunium anni a Philippo 1mi, eoque invento hujus novae Tabulae conſtructio facilis erat juxta eaſdem hypotheſes, ſecundum quas ſuam conſtruxerat Ptolemaeus. *

Has ob cauſas οἱ πρόχειροι Κανόνες recte a Ptolemaeo denominantur, & Ptolemaei πρόχειροι Κανόνες dicuntur.

Cum autem hi πρόχειροι Κανόνες a Ptolemaeo denominari coeperint, eousque jam invaluerit, ut Ptolemaei πρόχειροι Κανόνες dicerentur, mirum videri non debet, quod Georgius Syncellus, ſeculi 9ni Scriptor, Ptolemaeum pro harum Tabularum Auctore habuerit, & in ſpecie hoc Ptolemaeo tribuerit, quod calculi aſtronomici Epocham Philippi Aridaei anno 1° aſſignarat; ut &, quod Suidas, qui forte Syncello junior eſt, in ſuo Lexico, πρόχειρον Κανόνα inter Ptolemaei ſcripta recenſeat.

6° Quod attinet tempus, quando hi πρόχειροι Κανόνες, ad hanc novam Epocham aptati, concinnati, atque in unum faſciculum collecti, in lucem prodierant, non ita facile determinatur.

Cujus rei cauſa eſt, tum veterum de his Canonibus ſilentium, tum imprimis eorum praeconcepta opinio, Ptolemaeum iſtorum Canonum eſſe Auctorem & collectorem.

Hoc autem extra dubium eſt, hos προχείρους Κανόνας jam in lucem expoſitos fuiſſe, tempore Theonis Alexandrini.

Extabant enim jam anno Diocletiani 81°, quando Theo Alexandrinus commentarium ſuum in Ptolemaei Librum 6tum ſcribebat, quippe per hos Canones calculum, ibidem p. 282. inſtituit, ut vidimus ſupra, hoc ipſo §° 14°. Lit. δ. N° 3° Lit. c.

Imo jam extabant anno Diocletiani 77°, quando Theo Alexandrinus Commentarium ſuum εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας ſcribebat, cujus fragmentum edidit Dodwellus. Vide ſupra hoc ipſo §° 14°, Lit. δ. N° 3° Lit. a. & b.

Denique jam extabant, aliquo tempore ante Diocletiani annum 77mum, quando idem Theo Alexandrinus, alium εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας commen-

* (Haec tertia ratio etiam id ſupponit, quod ex Codice Lugduno-Batavo refellitur, in quo inter προχείρους Κανόνας talis Icoſipentaëteridum Tabula, quae Novilunia & Plenilunia exhibeat, non occurrit. Vide infra, Lit. γ. ubi haec diſtinctius explicantur.)

mentarium quinque Libris conſtantem, edebat; de quo in initio fragmenti, a Dodwello editi, ita ſcribit ipſe Theo, ὁ μὲν λογικώτερος λόγος τῆς διὰ τῶν προχείρων Κανόνων ψηφοφορίας τῶν ἀστέρων, ὅνπερ Ἐπιφάνιε, γέγονεν ἡμῖν δι' ἀκριβείας ἐν πέντε Βιβλίοις ἐν ἑτέρῳ συντάγματι. ἐν τούτῳ δὲ &c.

7° De horum προχείρων Κανόνων Auctore, an fuerit ipſe Theo Alexandrinus.

Licet id certo affirmare non auſim, varia tamen mihi occurrunt, quæ ſuſpicionem ingerunt ſatis probabilem.

Hoc jam ſuboluit Jacobo Golio, qui in Notis ad Alfraganum, ad illum, quem ſupra hoc ipſo §° 14, Lit. *a* N° 2° Lit. c. adduxi, ex Alfragano locum, ad illa verba: *Tabulis* ſeu *Canone Ptolemæi*, ſic ſcribit, p. 59. *Haud dubium eſt, quin Auctor faciles illos, & expeditos Canones deſignet, qui* Κανόνες πρόχειροι *inſcripti ſunt. Quos quidem ipſius Ptolemæi eſſe præclarus vir Henricus Savilius, aliique, qui eos habuere, arbitrati ſunt. Exemplar, quod ego Conſtantinopoli adveni, cum præfationis capite mutilum ſit, minus facere ejus rei fidem poteſt. In eoſdem Canones ſcripſit Theo Alexandrinus, quantum ad eorum intelligentiam & uſum requiri videbatur: ideoque ipſe a multis habetur eorundem Auctor. Inter Arabes quoque Kemaldin Giloni, cum de hac Philippi Epocha agit, diſertis verbis inquit: . . . . ad Epocham hanc deſignavit Theo Alexandrinus medios ſtellarum motus in Tabulis ſuis, quæ Canones dicuntur. Quod ſi hoc verum eſt. Canones illi eo de cauſa Ptolemaici nuncupati fuerint, quod juxta Ptolemæi hypotheſes & epilogiſmos conditi ſint. Ibidem autem calculo præfinitam eſſe Epocham Philippi, Theo in Prolegomenis monet.* [a] Ἐπεὶ καὶ κινήσεως ἐστὶν ἀρχὴ τόπος καὶ χρόνος κεῖσθαι ΤΑΥΤΗ (ΤΑΥΤΗΝ legitur in Fragmento, a Dodwello edito) ἀπὸ τοῦ πρώτου ἔτους Φιλίππου τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην κατ' Αἰγυπτίους, καθ' οὓς ὁ ἐνιαύσιος χρόνος ἡμερῶν τυγχάνει μόνον τξε, Θὼθ νεομηνίᾳ τῇ μεσημβρίᾳ, ὅπερ ἐστὶ πληρωθείσης ὥρας ἕκτης καὶ ἀρχομένης ἑβδόμης. *Poſtquam (quoniam) motus principium eſt locus & tempus, conſtitutum quidem illud eſt a primo anno Philippi (qui Alexandro conditori, plurium ſcilicet urbium pylarumque, ſucceſſit) ſecundum Ægyptios, quibus annuum tempus eſt dierum duntaxat 365, meridie Neomeniæ Thoth: nimirum expleta hora ſexta & ineunte ſeptima.* Hactenus Golius.

[a] Nota, quod hæc Theonis verba, modo a Golio adducta, reperiantur in Theonis fragmento, a Dodwello edito, §° 1° circa initium: ut & alia Theonis verba, quæ in his in Alfraganum notis p. 46 & 47, Golius ex Theonis Libro εἰς προχείρους Κανόνας nondum edito, adducit, iti-

dem reperiuntur in eodem Theonis fragmento, à Dodwello edito, §° 4°, in initio. Sed, quod in iisdem Notis p. 17, linea ultima Golius dicit, nempe *pro* (menſe) *Haziran Heliopolitanos dixiſſe* Ὀζιε, *teſtis eſt Theo Alexandrinus Libro* εἰς προχείρους Κανόνας: *ubi demonſtrat menſes eorum pleroſque omnes nomine & ordine cum Syriacis concordaſſe.* Hoc in Theonis fragmento, a Dodwello edito, minime reperitur. * Nota præterea, quod illud exemplar προχείρων Κανόνων, quod Golius Conſtantinopoli advexit, & ille Theonis Alexandrini Liber εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, in eodem volumine manuſcripto continebantur: nam in Bibliothecæ Lugduno-Batavæ Catalogo, nuper edito, p. 478, N° 1702, inter Libros, quos Golius ex Oriente advexit, recenſetur: Θέωνος Ἀλεξανδρέως εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας. *Græce. Liber ſcriptus in Pergamena, cum frequentibus Tabulis.* Utinam hunc Codicem perluſtrare mihi liceret.

His, quæ l. c. habet Golius, addimus ſequentia:

Primo, quod prima (quantum conſtat) τῶν προχείρων Κανόνων mentio fiat apud Theonem Alexandrinum.

Secundo, quod Theo Alexandrinus primus, quantum conſtat, ſcripſerit εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, & quidem duplicem Commentarium, priorem quidem, ut videtur, fuſiorem, in quinque Libris, in quibus λογικώτερα ἔφοδος τῆς διὰ προχείρων Κανόνων ψηφοφορίας τῶν ἀστέρων γέγονε αὐτῷ. Poſteriorem vero, ut videtur, conciſiorem, in quo, in gratiam diſcipulorum incipientium, ἐσπουδάσατο, καὶ πρὸς τούτους κατὰ τὸ δυνατὸν, μεθοδικώτερον ὑπομνηματίσασθαι. Duplex autem ille Commentarius recentem videtur ſupponere harum Tabularum editionem: Tabulis enim hujus generis, quando primum in lucem exponuntur, adjungi ſolet introductio quædam, qua ea, quæ ad earum intelligentiam & uſum videntur requiri, explicantur. Unde etiam in Theonis fragmento, a Dodwello edito, Theo ita ſcribit: ἐσπουδάσαμεν, καὶ πρὸς τούτους, κατὰ τὸ δυνατὸν, μεθοδικώτερον ὑπομνηματίσασθαι, ψιλὰς τὰς ἐφόδους προσθέντες πρὸς τὸ καταδηλοτέραν αὐτοῖς τὴν ἔκθεσιν τῶν Κανονίων τῆς διδασκαλίας καταφαίνεσθαι. Quæ ſic verterem; *ſtuduimus, etiam in eorum gratiam, pro virili, magis methodice commentari, nudas introductiones apponentes, ut* EXPOSITIO *Tabularum diſciplinæ clarior iis appareret.* Vox ΕΚΘΕΣΙΣ, EXPOSITIO, de Tabulis aſtronomicis uſurpata, frequens eſt apud Ptolemæum, notatque earum editionem, qua in lucem exponuntur, & ad uſum proponuntur. Adeoque ex his Theonis verbis colligimus, in hoc ejus ſcripto locum habuiſſe ΕΚΘΕΣΙΝ τῶν Κανονίων (προχείρων ſcilicet) atque his Tabulis appoſitas fuiſſe *nudas introductiones* ad earum explicationem, ut diſcipuli

diſcipuli incipientes earum intelligentiam & uſum clarius perciperent.

Tertio, & hoc forte notari meretur, quod Suidas in ſuo Lexico, in *Theone Alexandrino*, juxta priores editiones, quæ Kuſteri editionem præceſſerant, dicat, Theonem Alexandrinum ſcripſiſſe, præter alia, εἰς Πτολεμαῖον πρόχειρον Κανόνα. καὶ εἰς τ. μικρὸν ἀςρόλαβον ὑπόμνημα. & conſiderandum do, an non poſt vocem Πτολεμαῖον interpunctio poni poſſit, hoc modo: εἰς Πτολεμαῖον. πρόχειρον Κανόνα. Καὶ εἰς μικρὸν ἀςρόλαβον ὑπόμνημα. Ita ut non duo tantum, ſed tria Theonis ſcripta, his verbis, recenſeantur, & inſigne Theonis ſcriptum in Ptolemæi magnam Syntaxin, a Suida non prætereatur.

Quarto denique hoc quam maxime obſervandum, quod Theo ea vixerit ætate, quando Tabula Noviluniorum & Pleniluniorum, quæ & Icoſipentaëteridum vocatur, prout a Ptolemæo in ſuo Almageſto edita erat, uſum ſuum præſtare amplius non poterat. Quod mox diſtinctius explicabo.

Nec obſtat, quod Theo in illis locis, ubi de προχείροις Κανόσι loquitur, ſaltem iis, quæ nobis occurrerunt, hos Canones nullibi ſibi ipſi tribuat. Notandum enim quod ex iis, quæ diximus ſupra, hoc ipſo §° 14. Lit. δ. N° 4° & 5°, pateat, Theonem ſuas potuiſſe habere rationes, quare hos Canones nec ſibi, nec Ptolemæo tribuere voluerit.

8° Si autem quæratur, quid Theonem Alexandrinum moverit, ut Epochas Solis, Lunæ, & Aſtrorum, a Ptolemæo in Nabonaſſari anno 1° conſtitutas, mutaret, & eas annis 424 ſerius, in Philippi Aridæi anno 1° figeret?

Reſpondeo, duas mihi occurrere cauſas, ob quas hoc feciſſe videtur; quarum una, ſed minus principalis, eſt calculi compendium; altera vero, magis principalis & primaria, eſt ipſa Tabulæ Noviluniorum & Pleniluniorum, a Ptolemæo in ſuo Almageſto editæ, conſtitutio.

a. Nam, quod primam cauſam attinet, notandum, quod Tabulæ medii motus Solis, Lunæ, & Planetarum, quæ ſunt ςίχων, ſeu verſuum 45, & per Octodecaëterides progrediuntur, in ultimo ςίχῳ, ſeu verſu colligant annos duntaxat 810, & ultra hos 810 annos non progrediantur. Unde hoc incommodum in calculo per has Ptolemæi Tabulas, juxta Epocham ab eo conſtitutam, oritur, quod, exempli gratia, dato anno a Diocletiano 7°, qui eſt a Nabonaſſaro 1108us, non poterant hunc numerum 1108 annorum introducere in Tabulas, quæ non ultra 810 annos progrediebantur, ſed quod cogebantur hunc numerum 1108 annorum diſpeſcere in numerum 810 annorum, & in numerum 298 anno-

rum, & ſic bis has Tabulas ingredi, primo cum numero 810 annorum, qui ultimus harum Tabularum numerus eſt; & deinde iterum cum numero 298 annorum, & numerum Octodecaëteridum, illo numero 298 annorum proxime minorem, qui eſt 288, in Tabula obſervare. & reliquum numerum 10 annorum, uno dempto, pro ſimplicibus annis habere. Si autem Epocha, 424 annis ſerius, in Philippi anno 1° conſtituatur, tum, exempli gratia, idem annus a Diocletiano 77us erit a Philippo 684us, qui in Tabulas, quæ ad annos 810 progrediuntur, ſemel duntaxat introductus, dat numerum Octodecaëteridum, illo proxime minorem, 666, & in reliquo numero 18 annorum, uno dempto, habebis ſimplices annos 17. annus enim a Philippo 684us, utpote adhuc labens, excludendus eſt. Confer quæ notavimus ſupra §° 13. Lit. *δ*. *N*. *11*°, & N. 12°. Quod in calculo ſatis magnum affert compendium.

b: Quod vero alteram attinet cauſam, quæ in ipſa Tabulæ Noviluniorum & Pleniluniorum conſtitutione ſita eſt. Notandum, quod hæc Tabula, quæ eſt ϛίχων ſeu verſuum 45, & ab 1 incipiens, per Icoſipentaëterides porro progreditur, in ultimo ϛίχῳ, ſeu verſu colligat annum a Nabonaſſaro 1101um, exhibeatque primum Novilunium & primum Plenilunium iſtius anni a Nabonaſſaro 1101^mi, ſicut in primo ϛίχῳ ſeu verſu exhibuerat primum Novilunium & primum Plenilunium anni a Nabonaſſaro 1^mi. Unde patet, hanc Tabulam Ptolemæi, circa Theonis Alexandrini ætatem non amplius uſum ſuum deinceps præſtare potuiſſe, niſi continuaretur, & ultra 45 ϛίχυς ſeu verſus, aliquot ϛίχοι, ſeu verſus adjicerentur. Cum vero unius paginæ ſpatium longiorem continuationem non caperet: neceſſitate quadam cogebantur (ſi in uſum futuri temporis longioris proſpicere vellent) caput hujus Tabulæ, annis 424 ſerius collocare, & novam Epocham calculi aſtronomici in Philippi anno 1° conſtituere; adeoque Tabulam Noviluniorum & Pleniluniorum, quoad numeros ei inſcriptos, plane novam, componere, utpote quæ in primo ϛίχῳ, ſeu verſu exhibere debebat primum Novilunium & primum Plenilunium, non anni a Nabonaſſaro 1^mi, ſed anni a Philippo 1^mi. Quod Novilunium & Plenilunium tamen in Ptolemæi Tabula Icoſipentaëteridum non comparebat; quia annus a Nabonaſſaro 425us (qui eſt a Philippo 1us) in Ptolemæi Tabulam introductus, dat Icoſipentaëterides 401, & ſimplices annos 24. Primum autem Novilunium & primum Plenilunium, in Capite hujus Tabulæ occurrens, in Philippi anno 1°, determinat prima Novilunia & prima Plenilunia annorum a Philippo 26^ti, 51^mi, 76^ti & ſic porro, & a tempore, quo hæc prima Novilunia & hæc

prima

prima Plenilunia contigerunt, dependent omnes reliqui numeri aſtronomici, qui huic Tabulæ Noviluniorum & Pleniluniorum (quæ & εἰκοσιπενταετηρίδων vocatur) inſcripti, & ad latus ſingulorum Noviluniorum & Pleniluniorum adpoſiti ſunt. Confer loca, quæ ſupra hoc ipſo §° 14. Lit. δ. N. 3°, Lit. ε. ex Theonis Alexandrini in Ptolemæi Librum VIum Commentario adduximus; ubi vidimus, quod Theo unam eandemque Syzygiam, quæ contigit anno a Diocletiano 81°, qui eſt a Nabonaſſaro 1112us, & a Philippo 688us, duplici modo computat, primo juxta Tabulas in Ptolemæi Almageſto comprehenſas, quando invenit Icoſipentaëterides 1101, & ſimplices annos 11. Deinde juxta προχείρους Κανόνας, quando invenit Icoſipentaëterides 676, & ſimplices annos 12. Sed quod hic inprimis notandum, numerus ille 1101 eſt ultimus in Ptolemæi Icoſipentaëteridum Tabula, qui in ultimo Tabulæ στίχῳ occurrit, & Icoſipentaëteridis quadrageſimæ quintæ primus annus eſt, a Nabonaſſaro. Unde probabile eſt Theonem Alexandrinum labente jam illa ultima Icoſipentaëteride, τοὺς προχείρους Κανόνας edidiſſe, & adjunctâ introductione illuſtraſſe, ut diſcipuli antequam Icoſipentaëteridis quadrageſimæ ſextæ annus primus, in Ptolemæi Tabula fruſtra quærendus, adveniret, inſtructi eſſent circa προχείρων Κανόνων uſum.

9° In προχείροις Κανόσι autem videntur Octodecaëteridum & Icoſipentaëteridum Tabulæ fuiſſe plurium στίχων, quam 45, ut tanto magis in futurum proſpiceretur. An vero Icoſipentaëteridum Tabula, ex Theonis editione, eouſque producta fuerit, ut in ultimo στίχῳ exhibuerit annum a Philippo 1476tum (quod Syncellus p. 207. A. videtur innuere) non auſim affirmare, fuiſſet enim tunc hæc Tabula στίχων ſeu verſuum LX. Potuit enim ex poſteriorum Aſtronomorum ulteriori continuatione eouſque Syncelli tempore, fuiſſe progreſſa. *

10° Tabulæ, quæ in προχείρων Κανόνων faſciculo, præter Tabulas aſtronomicas proprie dictas, continentur, ſunt ſequentes:

a. Regum ſeu Regnorum Canon. Ita enim ſcribit Bainbrigius in Præfatione ad Libellum Ptolemæi de hypotheſibus Planetarum, a ſe Londin. 1620 editum: *His adjunximus aureum illum, ex pulcberrimo* Κανόνων προχείρων *Volumine MS. deſumptum, Regnorum Canonem.* Vide ſupra

* (NB. Hæc, quæ ſupra N. 8° & 9° dicta ſunt, merentur quidem conſiderationem, ſed in iis erronëe ſupponitur, illas ex Almageſto Tabulas, Octodecaëteridum & Icoſipentaëteridum, inter προχείρους Κανόνας eſſe tranſlatas, quod ex Codice Lugduno-Batavo refellitur. Vide infra Lit. η. ubi hæc diſtinctius explicantur.)

ſupra §° 9°, Lit. e. Et Uſſerius in Annalibus V. T. Vol. I. p. 303. dicit, *iſtum Regum Canonem eſſe* προχείρων Κανόνων *partem*. Vide hoc ipſo §° 14°, Lit. ζ. Confer quoque §° 6°, Lit. g. & §° 11°, Lit. A. & B.

b. Κανόνιον ſeu Tabula inſerviens ad annum Alexandrinorum fixum, ejusque menſem & diem datum, reducendum ad annum Ægyptiorum vagum, ejusque menſem & diem quæſitum: quod ſcriptum ſub nomine *Faſtorum Theonis Alexandrini* edidit Dodwellus. Vide §° 11°, Lit. B. & hoc §° 14°, Lit. ζ. *

c. Tabulæ ad Feriam inveniendam in anni die quocunque dato: quarum meminit Heraclius Imperator (ut & Tabularum inerrantium ſtellarum) in Heraclii Fragmento a Dodwello edito. Vide hoc ipſo §° 14°, Lit. δ. N. 2°, a.

NB. Hic conferenda, quæ notamus infra in notitia Codicis Lugduno-Batavi, §° 27. Lit. H.

ιε.

In Ptolemæi Libello de hypotheſibus Planetarum aſtrorum Epocha in Philippi Aridæi primo anno conſtituitur.

Ptolemæi de hypotheſibus Planetarum Libellum, quem primus, Londini 1620, in 4°, edidit Joh. Bainbridge, ſerius nactus ſum, ut jam ſupra §° 9°, Lit. a. monui: unde hæc quaſi additamenti loco hic adjicio.

1° *Hunc Libellum, ut Ptolemæi & nomen præferentem & ingenium geniumque referentem*, deſcribit in ſua præfatione Bainbrigius.

2° Hic Libellus habet *procemium* ſeu *præfationem ad Syrum*: cui etiam Almageſtum ſeu μεγάλην σύνταξιν, & Librum de Judiciis Aſtrorum Ptolemæus inſcripſit.

3° Scriptus eſt hic a Ptolemæo Libellus poſt ejus Almageſtum ſeu μεγάλην σύνταξιν. Ita enim in hujus Libelli initio, in procemio ſcribit: Τὰς ὑποθέσεις ὦ Σύρε τῶν οὐρανίων φορῶν ἐν μὲν τοῖς τῆς μαθηματικῆς Συντάξεως ὑπομνήμασιν ἐφοδεύσαμεν διὰ λόγων. Hoc eſt, Bainbrigio interprete: *Hypotheſes Syre cæleſtium motuum in Syntaxis Mathematicæ commentariis rationum ductu perluſtravimus.*

4° In

* Hi Theonis Faſti quidem in Codice Saviliano occurrunt, in Codice autem Lugduno-Batavo non reperiuntur, ex quo forte exciderunt, vel ob alios Faſtos longe ampliores, ſtudio omiſſi ſunt.

4° *In hoc Libello Ptolemæus Epochas Aſtrorum in Philippi Aridæi anno primo conſtituit*, videlicet, *Solis*, C. 4. p. 14. *Lunæ*, C. 5. p. 19. *Mercurii*, C. 6. p. 25. *Veneris*, C. 7. p. 30. *Martis*, C. 8. p. 35. *Jovis*, C. 9. p. 40. *Saturni*, C. 10. p. 45.

5° Deſignatio autem temporis fit p. 14. hoc modo: Ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει ϛ' Ἀλεξάνδρου τοῦ κτίστου τελευτῆς, κατ' Αἰγυπτίους Θωθ α', τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μεσημβρίας. Et eodem modo in reliquis ſupra citatis locis, niſi quod in iis Alexandro titulus τοῦ κτίστου non tribuatur.

6° Hinc fateor magna oritur ſuſpicio, an non Ptolemæus Κανόνων προχείρων quoque Auctor ſit.

7° Hoc tamen inde neceſſario ſequi non videtur, ob eas, quas dedimus, rationes, ſupra §° 13°, Lit. d. N. 11°, & hoc ipſo §° 14°, Lit. δ. N. 8°.

8° Niſi forte ea, quæ Ptolemæus in *latitudinum hypotheſibus* immutavit, ita comparata ſint, ut novarum conſtructionem Tabularum requirant; de quo judicent Aſtronomiæ peritiores. De hac mutatione a Ptolemæo in hoc libello facta, ita ſcribit in ſua Præfatione Bainbrigius: *Omnes periodos & Epochas ad Magnæ Syntaxis leges & numeros Analyſi non ita facili retexui, plurimasque vitiatas reſtitui. In latitudinum vero hypotheſibus nihil mutare volui; hic enim Ptolemæus prudens (ſi quid judico) ab illis in Syntaxi conſtitutis deſciſcit, aliasque faciles, expeditas, longeque veriores candide proponit.* Ipſe Ptolemæus in hoc Libello, in ſuo ad Syrum procemio, ex Bainbrigii Latina interpretatione, ſic ſcribit: *Faciemus autem, ut hæc noſtra explicatio in univerſalibus quidem aſſumptionibus congrua ſit illis, quæ in Syntaxi conſtituta ſunt, in particularibus vero illis, quæ ſæpe a nobis per aſſiduas obſervationes factæ ſunt emendationibus, ſive ipſarum hypotheſium, ſive particularium rationum, ſive periodicarum reſtitutionum, ſive ipſas hypotheſes explicandi, hoc eſt, quod ad æquabiles motus attinet, dividemus, ubi oportet rurſusque connectemus eos, qui illic hoc modo aſſignantur: ut ſic eorum ad Zodiaci partes, & principia fiat determinatio, idque propter ſupputandi commoditatem, &c.*

ζ.

Ptolemæum προχείρων Κανόνων *Auctorem ſtatuit Uſſerius.*

Incidi in duo apud Uſſerium loca, in ejus Annalibus Veteris Teſtamenti, quæ conſiderationem merentur.

Primus locus occurrit Annalium Vol. 1°, ad annum Mundi 3673. a. p. 303. edit. Londin. ubi agens de Alexandria ab Alexandro Macedone anno Imperii ejus 5° condita, ſic ſcribit: *Unde & a 5° anno Darii, & Thoth Nabonaſſari 417 (qui in 14 Novembris Juliani incidit, currente Olympiadis CXII^{ae} anno 1°) Ptolemæus Alexandrinus in Regum Canone annos Alexandri, quem (in Præfatione* προχείρων Κανόνων, *quorum pars eſt Canon iſte) Alexandrinorum more* τὸν κτίστην *Conditorem ſuum nominat, deducit.*

Alter locus reperitur Annalium Vol. 1°, ad annum Mundi 3681, c. p. 401. edit. Londin. ubi agens de Philippi Aridæi, poſt Alexandri M. mortem, ad imperium evectione, ita ſcribit: *Annos Philippi ab exceſſu Alexandri Magni numerari, initio ſemper a die primo menſis ejus ſumpto, cui apud Ægyptios nomen eſt Thoth; in Libello de Die Natali notat Cenſorinus. Ægyptii enim Aſtronomi Æram hanc, facilioris calculi gratia, ad annos ſuos æquabiliter accommodantes, caput ejus in primo die Thoth ineuntis anni a Nabonaſſaro 425 collocant: in 12° videlicet Novembris, anni Periodi Julianæ 4390, menſe ante verum exceſſus Alexandri tempus ſeptimo. Atque ab illius Thoth initio ſtellarum omnium epochas in* προχείρων Κανόνων τῆς ἀστρονομίας *libro nondum edito deducit Ptolemæus. De quo ita ille, in Præfatione ad Syrum.* Συνεστάθησαν αἱ ἐποχαὶ πάντων ἐνταῦθα εἰς τὴν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ πρὸς Αἰγύπτῳ μεσημβρίαν, τῆς κατ' Αἰγυπτίους Θωθ' νεομηνίας τοῦ πρώτου ἔτους Φιλίππου τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην. *Conſtitutæ ſunt hic epochæ ad meridianum Alexandriæ quæ eſt in Ægypto, a Kalendis menſis Ægyptiaci Thoth, primi anni Philippi qui fuit poſt Alexandrum Conditorem, non Philippi patris (ut quidam putarunt) ſed fratris & ſucceſſoris Alexandri, cui ut urbis ſuæ fundatori honorarium Conditoris titulum tribuere ſolebant Alexandrini.* Ἀπὸ τῆς ἀρχῆς οὖν τούτου οἱ χρόνοι τῶν προχείρων Κανόνων κατὰ Πτολεμαῖον ληφθέντες, καὶ κατὰ ἀποκαταστασιν Αἰγυπτιακοῦ ἔτους ψηφίζονται, *ut in Græcis etiam Collectaneis, inter Euſebiana a Scaligero editis (pag 48.) legimus. Ab hujus igitur Philippi Aridæi initio tempora expeditorum Canonum ſecundum Ptolemæum (qui anno æquabili in illis eſt uſus) & ſecundum reſtitutionem anni Ægyptiaci (ad annum fixum Alexandrinum, quo in ſuis Canonibus uſus eſt Theon) ſumpta numerantur. Unde & in Epiſtola ad Apollophanem Dionyſio Areopagitæ falſo attributa (apud Hilduinum in Areopagiticis) Tabulæ hujusmodi aſtronomicæ Canonis Philippi Aridæi nomen obtinuerunt.*

A. Ad

A.

Ad primum locum Obſervationes.

1ª Canonem Regum Claudio Ptolemæo tribuit Uſſerius.

2ª Dicit expreſſe *iſtum Canonem Regum eſſe partem* τῶν προχείρων Κανόνων: adeoque in illo Faſciculo Tabularum aſtronomicarum, qui προχείρων Κανόνων nomine venit, fuiſſe comprehenſum: quo confirmantur ea, quæ diximus ſupra, §° 11. B. Confer §° 14. δ.

3ª Loquitur de προχείρων Κανόνων *præfatione*.

4ª Dicit Ptolemæum, *in præfatione* προχείρων Κανόνων, *Alexandrum M.* τὸν κτίστην, *Conditorem* (urbis ſcilicet Alexandriæ) *nominare*.

5ª Idque eum facere *more Alexandrinorum*.

6ª Tribuit itaque hanc τῶν προχείρων Κανόνων *præfationem*, adeoque & ipſum Librum, quo πρόχειροι Κανόνες continebantur, ſeu ipſos τοὺς προχείρους Κανόνας, *Claudio Ptolemæo*. Vide quæ notamus ſupra, §° 14. Lit. δ.

7ª Claudium Ptolemæum vocat *Ptolemæum Alexandrinum*. Unde etiam dicit, *eum, in præfatione* προχείρων Κανόνων, *Alexandrum M. Alexandrinorum more*, τὸν κτίστην, *Conditorem ſuum nominare*.

B.

Ad ſecundum locum Obſervationes.

1ª Loquitur de Libro, nondum edito προχείρων Κανόνων τῆς ἀστρονομίας.

2ª Dicit *Ptolemæum in illo Libro ſtellarum omnium Epochas deducere ab illius Thoth initio, hoc eſt, a Kalendis Thoth anni primi Philippi Aridæi.*

3ª Loquitur *de præfatione* hujus, ut videtur, Libri nondum editi.

4ª *Hanc præfationem vocat Præfationem ad Syrum.*

5ª Dicit Ptolemæum in illa præfatione, de illius Thoth Philippi initio ſic loqui: *de quo ita ille in præfatione ad Syrum* Συνεστάθησαν αἱ ἐποχαὶ πάντων ἐνταῦθα, εἰς τὴν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ πρὸς Αἰγύπτῳ μεσημβρίαν, τῆς κατ' Αἰγυπτίους Θωθ νεομηνίας, τοῦ πρώτου ἔτους Φιλίππου τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην. *Conſtitutæ ſunt hic Epochæ ad meridianum Alexandriæ quæ eſt in Ægypto, a Kalendis menſis Ægyptiaci Thoth, primi anni Philippi qui fuit poſt Alexandrum Conditorem.*

6ª Addit: *Cui* (Alexandro) *ut urbis ſuæ fundatori honorarium Conditoris titulum tribuere ſolebant Alexandrini.*

7ª Tribuit itaque, etiam hoc in loco, & adhuc magis expreſſe, hunc προχείρων Κανόνων *Librum nondum editum, ejusque præfationem, & quidem ad Syrum, & ſtellarum omnium Epochas a primo anno Philippi Aridæi in illo Libro deductas, Claudio Ptolemæo.*

8ª Adducit ad confirmationem verba, quæ in Græcis Collectaneis, inter Euſebiana a Scaligero editis (pag. 48) leguntur. Quæ hauſta ſunt ex Georgii Syncelli Chronographia (tunc nondum edita) p. 264. C. Vide ſupra §° 14. Lit. δ. N. 2°, Lit. b.

9ª Adjicit quædam explicationis gratia, ad illa Syncelli verba: Καὶ τὸν ἀποκαθιστᾶσιν Αἰγυπτιακῷ ἔτει ψηφίζονται. Ubi dicit Theonem in Canonibus ſuis anno fixo Alexandrino fuiſſe uſum. Quæ, ut mihi videtur, obſcurius, vel minus accurate dicta ſunt. Vide Syncellum p. 207. A. & confer ſupra §° 14°, Lit. δ. N. 2°, Lit. b.

10ª Quæ ex Dionyſii Areopagitæ ad Apollophanem epiſtolâ ſuppoſititiâ profert, inſpicere non licuit, quia Hilduini Areopagitica ad manum non erant.

C.

Ad præcedentes Obſervationes Ἐπίκρισις *noſtra.*

Si ejusmodi τῶν προχείρων Κανόνων τῆς ἀστρονομίας Liber manuſcriptus in Anglia exſtet, cui præfigitur *præfatio ad Syrum*, in qua illa, quæ ſupra Lit. B. Obſerv. 5ª produximus, leguntur, tum πρόχειροι Κανόνες ipſi Claudio Ptolemæo eſſent tribuendi. Ptolemæi Almageſtum enim, ſeu ejus μεγάλη σύνταξις; ut & ejus Liber de Aſtrorum Judiciis; nec non ejus Liber de Hypotheſibus Planetarum, habent *præfationes ad Syrum.*

At dices, hoc teſtatur Uſſerius, ut ex ſuperioribus obſervationibus patet. Reſpondeo, me de bona Uſſerii fide minime dubitare, ſed nihil obſtare, quo minus, quum hæc in Annalibus ſuis ſcriberet, in quibusdam circumſtantiis falli in judicio ſuo potuerit.

Sunt enim quædam, quæ me remorentur, & ne huic aſſentiar Uſſerianæ ſententiæ me retrahant. Eum in finem rem ab ovo repetam.

1° *Extat* (ut ſupra §° 11°, Lit. B. jam indicavi) *Codex manuſcriptus, in Muſeo Saviliano numero 2ᵘˢ, quo continentur ſex Opuſcula:* nempe

Pto-

Ptolemæi Hypotheſes Planetarum.
Ptolemæi Canones πρόχειροι.
Theonis Ἐξήγησις *in Canones* προχ.
Theonis Λογικὴ Ἔφοδος *in Canones* προχ. *Sectionibus* 4.
Inſtitutionis Aſtronomicæ Epitome. imperf.
Ariſtidis Quintiliani Muſicæ Libri 3.

2° Hujus Codicis Opuſculum primum, Ptolemæi ſcilicet *Hypotheſes Planetarum* primus edidit Joh. Bainbridge, Londin. 1620, in 4°. Huic Ptolemæi libello (quem poſt μεγάλην σύνταξιν ſuam conſcripſit) præmittitur *præfatio ad Syrum.* Et, non in ipſa præfatione, ſed in progreſſu hujus libelli, diverſis in locis, conſtituit Ptolemæus Epochas *Solis*, *Lunæ*, *Mercurii*, *Veneris*, *Martis*, *Jovis*, & *Saturni*, ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει ἀπὸ τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ κτίστου τελευτῆς, καὶ Αἰγυπτίους Θὼθ α', τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μεσημβρίας. Vide quæ notamus ſupra §° 9°.

3° Ejusdem Codicis Opuſculum ſecundum, quod inſcribitur *Ptolemæi Canones* πρόχειροι, & in hac inſcriptione Ptolemæo tribuitur, nunquam, quantum mihi conſtat, editum fuit.

a. Sed cum *Canon Regum* τῶν προχείρων Κανόνων pars ſit, ut dicit Uſſerius:

Ex hoc Opuſculo hunc *Canonem Regum* edidit, & Ptolemæi libello de Hypotheſibus Planetarum ſubjunxit Bainbrigius, in edit. Londin. 1620. ita enim in præfatione ſcribit: *His tandem adjunximus aureum illum ex pulcherrimo* Κανόνων προχείρων *volumine MS. deſumptum Regnorum Canonem.* Ubi tamen huic pulcherrimo Κανόνων προχείρων volumini nomen Ptolemæi non adſcribit. Vide ſupra §° 9° & §° 11°, Lit. F.

Ex eodem hoc Opuſculo prodiit hujus Canonis editio Calviſiana, cum hac inſcriptione Κανὼν βασιλειῶν, *ex manuſcripto Libro Græco Claudii Ptolemæi continente hypotheſes Planomenων.* Nulla τῶν Κανόνων προχείρων facta mentione. Vide ſupra §° 8°, & §° 11°, Lit. G.

Ex eodem denique hoc Opuſculo *hunc Regum Canonem* deſcripſit Uſſerius, & ex hoc hujus Canonis Apographo Uſſeriano prodiit hujus Canonis textus in editione Dodwelliana. Vide ſupra §° 11°, Lit. A. B.

b. Cum autem inter τοὺς προχείρους Κανόνας etiam contineatur hoc *Theonis Alexandrini* Κανόνιον, *quod Faſtorum nomine venit.*

Hos Theonis Alexandrini Faſtos, una cum Regum Canone, ex hoc eodem Opuſculo deſcripſit Uſſerius, & ex hoc Apographo Uſſeriano edidit Dodwellus. Vide ſupra §° 11°, Lit. B. a.

4° *Canon ille Regum*, quem ex hoc Opuſculo hujus Codicis ſecundo deſcri-

deſcripſit Uſſerius, non terminatur in Antonino Pio, ſeu anno poſt Alexandri mortem 483° quo uſque vixiſſe ſtatuitur Ptolemæus, ſed longe ulterius uſque ad annum poſt Alexandri mortem 1737um prorogatur.

5° *Faſti illi Theonis*, quos ex eodem illo Opuſculo deſcripſit Uſſerius, certe Ptolemæum non habent Auctorem, ſed Theonem Alexandrinum, & incipiunt ab anno poſt Alexandri mortem 461°, & in anno poſt Alexandri mortem 695° terminantur.

6° Quum hæc omnia conſidero, magna, fateor, mihi ſuboritur ſuſpicio, an non hæc duo hujus Codicis priora Opuſcula pro duabus unius ejuſdemque Voluminis partibus ab Uſſerio fuerint habita: atque eo fundamento illa, quæ τοῖς προχείροις Κανόσι præmittitur, *præfatio*, in qua illa, quæ ſupra Lit. B. Obſerv. 5^{a} produximus, verba leguntur, æque ac illa, quæ Ptolemæi Hypotheſibus Planetarum præmiſſa eſt, ad Syrum præfatio, etiam pro præfatione ad Syrum ab Uſſerio fuerit habita. Niſi quis malit hac in re Uſſerio memoriæ lapſum tribuere. Nam quod in Manuſcriptorum Muſei Saviliani Catalogo hoc hujus Codicis Opuſculum Ptolemæo tribuatur, & inſcribatur: *Ptolemæi Canones πρόχειροι*, videtur ex ejus, qui hunc concinnavit Catalogum, proprio profectum eſſe judicio.

7° His fateor quædam opponi poſſe, nempe, Canonem Regum a Ptolemæo concinnatum, & ad ſua tempora perductum, ab aliis deinceps potuiſſe continuari. Faſtos Theonianos Ptolemæi προχείροις Κανόσι deinceps potuiſſe inſeri, &c.

8° Quare, ne nimis meæ indulgerem conjecturæ, vir Reverendus Hermanus van de Wall, dum viveret mihi amiciſſimus, rogatu meo, *Quæſita mea circa hunc Codicem Savilianum*, per Epiſtolam ad virum doctum in Anglia verſantem, miſit anno 1732° ni fallor jam provecto; petens, ut ex oculari, ſi fieri poſſet, hujus Codicis inſpectione ad illa quæſita vellet reſpondere: ſed, ſive Epiſtola illa aberraverit, ſive aliud quid in cauſa fuerit, reſponſum hactenus non accepi.

Ad ſupra dicta Ἐπίμετρον, quo varia, in ſuperioribus dicta, emendantur & illuſtrantur.

Ptolemæi libellum de Hypotheſibus Planetarum, a Bainbrigio editum, ſerius accepimus, ut monui ſupra §° 9°, Lit. c. & de Epocha Aſtrorum in

in eo libello, in Philippi Aridæi anno I^mo a Ptolemæo conſtituta, egimus ſupra hoc ipſo §^o 14°, Lit. ε. Serius etiam incidi in *duo illa loca apud Uſſerium in Annalibus Veteris Teſtamenti*; de quibus egimus ſupra hoc ipſo §^o 14°, Lit. ζ. Sed imprimis admodum ſero uſus *Codicis manuſcripti Bibliothecæ Lugduno-Batavæ* mihi conceſſus eſt, in quo non tantum Theonis Alexandrini in πρoχείρυς Κανόνας commentarius, ſed & ipſi πρόχειροι Κανόνες continentur; cujus Codicis notitiam ſatis ampiam ſuppeditamus infra §^o 27.

Hinc plura didici, imprimis ex illo Codice MS^to, quæ antea per meam conjecturam aſſequi non potuerim; unde etiam in errorem lapſus, quædam erronëe ſuppoſui, aliaque inde falſo deduxi, quod non oportuit. Hæc in hac Epicriſi proponere, emendare, & illuſtrare conſtitui.

I^mo. *De Epocha Aſtrorum in anno primo Philippi, menſis Ægyptii Thoth die primo, in Meridie Alexandriæ, conſtituta.*

a. Recte in ſuperioribus probavi, Ptolemæum in ſuo Almageſto Epochas Aſtrorum conſtituiſſe in anno primo, non Philippi, ſed Nabonaſſari, in menſis Thoth die primo, in Meridie Alexandriæ: §^o 13°, Lit. d. & §^o 14°, Lit. β.

b. Sed in *libello de Hypotheſibus Planetarum*, quem poſt Almageſtum, ſeu magnam conſtructionem conſcripſit Ptolemæus, Epochas Aſtrorum, hoc eſt, Solis & Lunæ, ac reliquarum quinque Planetarum, in anno primo a morte Alexandri Magni, ſeu, quod eodem redit, in anno primo Philippi Aridæi, in menſis Thoth die primo, in Meridie Alexandriæ, conſtituit Ptolemæus: ut quam certiſſime patet ex iis, quæ diximus hoc ipſo §^o 14°, Lit. ε.

c. Fruſtra itaque atque erronëe hoc negavi, ſupra hoc ipſo §^o 14°, Lit. δ. N. 4°. & rationes negandi, quas adduxi, non procedunt. Cum enim conſtet Ptolemæum hoc, in illo de Planetarum hypotheſibus libello, feciſſe, ſupponere licet, eum, ut virum ſapientem, etiam ſuas & ſatis prægnantes, quare hoc fecerit, habuiſſe rationes, etiamſi nos eas nunc aſſequi non poſſimus.

II^do. *De Icoſipentaëteridum Tabula, in Ptolemæi Almageſto, & in* πρoχείροις Κανόσι.

a In Ptolemæi Almageſto, in Libri VI initio, proponitur *Icoſipentaëteridum* Tabula: & inter πρoχείρυς Κανόνας, hoc eſt, inter *expeditas Tabulas*, ita proprie dictas, reperitur etiam *Icoſipentaëteridum* Tabula, cujus frequens apud Theonem, in Fragmento a Dodwello edito, aliosque, mentio

mentio ſit. Hæc nominis identitas me fefellit: ſuppoſui enim, ſed erroneè, illam, quæ in Almageſto proponitur, Tabulam, & hanc, quæ inter προχείρους Κανόνας reperitur, Tabulam, quia utraque *Icoſipentaëteridum* dicitur, eſſe ejuſdem generis Tabulas, & utramque exhibere *Novilunia & Plenilunia* prima menſis Ægyptii Thoth, in Almageſto quidem a Nabonaſſari anno primo, in προχείροις Κανόσι, ſeu expeditis Tabulis vero a Philippi anno primo deducta. Vide hoc ipſo §° 14. Lit. *b.*

b. Recte quidem oſtendi, *Icoſipentaëteridum* Tabulam, quæ *Novilunia & Plenilunia* prima menſis Ægyptii Thoth exhibet, & in Ptolemæi Almageſto a Nabonaſſari primo anno deducitur, plane novam, quoad numeros illi inſcriptos, eſſe conſtruendam, ſi, mutata Epocha, a Philippi primo anno, quod in *expeditis Tabulis* factum fuiſſe putabam, deduceretur. Sed non animadverti, quod in *Icoſipentaëteridum* Tabula, quæ in προχείροις Κανόσι, hoc eſt, in *expeditis Tabulis* reperitur, Epocha conſtituatur non ſimpliciter in Philippi anno primo, in menſe Thoth; ſed ſpecifice (ut Theo docet) *in menſis Thoth die primo*, *in ipſa Meridie Alexandriæ:* quod in *Icoſipentaëteridum* Tabula, quæ *Novilunia & Plenilunia* prima menſis Thoth exhibet, minime fit, & etiam obtineri non poteſt. Hoc enim ſi animadvertiſſem, inde debuiſſem concludere, *Icoſipentaëteridum* Tabulam, quæ in *expeditis Tabulis* reperitur, & in qua Epocha in Philippi anno primo, in menſis Thoth die primo, in Meridie Alexandriæ figitur, non exhibuiſſe *Novilunia & Plenilunia*, ſed fuiſſe alius generis Tabulam. Præterea ex Tabularum Codicis MS^ti^ Lugduno-Batavi recenſione deprehendi, inter προχείρους Κανόνας nullam in illo Codice occurrere *Icoſipentaëteridum* Tabulam, quæ *Novilunia & Plenilunia* exhibeat, & eam, quæ in illo Codice recenſetur, *Icoſipentaëteridum* Tabulam, eſſe alius generis Tabulam. Vide infra §° 27. Lit. M.

c. *Icoſipentaëteridum* Tabula, quæ in Codice MS° Lugduno-Batavo, inter προχείρους Κανόνας, hoc eſt, *expeditas Tabulas* recenſetur, exhibet (ſi quid video) Epochas Solis & Lunæ, ac etiam reliquarum quinque Planetarum, ſeu locum, quem Sol, Luna, & etiam reliquæ quinque Planetæ, in Cœlo obtinent, anno a Philippo, ſeu ab Alexandri morte, 1°, 26°, 51° &c. in menſis Thoth die primo, in ipſa Meridie Alexandriæ. Ita ut hæc *Icoſipentaëteridum* Tabula magis videatur comparanda cum *Octodecaëteridum* Tabula, quam Ptolemæus in Almageſto pro Sole, Lib. 3°, pro Luna, Lib. 4°, & pro quinque Planetis, Lib. 9°, conſtruxerat.

d. Hac hujus Codicis MS^ti^ *Icoſipentaeteridum* Tabula uſus eſt Theo, Ale-

Alexandrinus in ſuo in Ptolemæi Librum VI^{um} Commentario, p. 282. in calculo Novilunii per *expeditas Tabulas*, de quo egimus ſupra hoc ipſo §° 14°, Lit. *δ*. N° 3°, Lit. c. Ubi agens de Novilunio quod contigit anno a Philippo 688, & inveniens Icoſipentaëterides 676, & ſimplices annos 12, numeros aſtronomicos ex hac ipſa Tabula enotavit, ut ex collatione expertus ſum.

e. Ad hanc hujus Codicis MS^{ti} *Icoſipentaëteridum* Tabulam etiam reſpicit *Georgius Syncellus*, quando in ſua Chronographia p. 207. A. loquitur de *expeditis Tabulis* 1476 *annorum Periodorum*. (Locum ipſum adduximus ſupra hoc ipſo §° 14°, Lit. *δ*. N° 2°, Lit. b.) Hæc enim hujus Codicis Tabula a Philippi anno 1° incipiens, & per continuam viginti quinque annorum additionem progrediens, ſe extendit uſque ad annum a Philippo 1476. ut ex *Icoſipentaëteridum* Tabula, pro Sole & Luna, collata cum *Icoſipentaëteridum* Tabula, pro quinque Planetis, colligi poteſt. Vide infra §° 27. Lit. M.

f. Hæc hujus Codicis MS^{ti} *Icoſipentaëteridum* Tabula, juxta principia a Ptolemæo, in libello de Hypotheſibus Planetarum, poſita, & juxta Epochas a Ptolemæo in illo libello conſtitutas, conſtructa eſt, ut oſtendimus infra §° 27. Lit. M. Adeoque hæc Tabula poſt libellum de Hypotheſibus Planetarum a Ptolemæo editum, conſtructa eſt.

g. Cum autem, in hoc de Hypotheſibus Planetarum libello, in *latitudinum Hypotheſibus* quædam ſtudio mutaverit Ptolemæus, ut oſtendimus ſupra hoc ipſo §° 14°, Lit. *ζ*. N° 9°. Vix dubitari poteſt, quin hæc *latitudinum mutatio* etiam in hanc *Icoſipentaëteridum* Tabulam influentiam habuerit, & in eam, ubi hoc opus erat, mutationem quandam intulerit, cum hæc Tabula juxta *Hypotheſes Planetarum*, in eo libello a Ptolemæo traditas, & juxta Epochas Planetarum in eo ab ipſo conſtitutas, conſtructa ſit. Atque hinc præcipua cauſa videtur eſſe petenda, cur loco Tabulæ *Octodecaëteridum*, quæ in Almageſto occurrit, illa *Icoſipentaëteridum* Tabula, quæ in expeditis Tabulis reperitur, ſubſtituta ſit. Nulla enim *Octodecaëteridum* Tabula in πρόχειροις Κανόσι ſeu *expeditis Tabulis*, in Codice MS° Lugduno-Batavo invenitur. Quod erronëe ſuppoſui, ſupra hoc ipſo §° 14°, Lit. *δ*. N° 5°.

h. Tranſlatio autem Epochæ ab anno Nabonaſſari primo ad annum Philippi primum, ab ipſo Ptolemæo in libello de *Hypotheſibus Planetarum*, facta, videtur eum in finem facta eſſe, ut Tabulæ juxta illas *Hypotheſes* conſtruendæ, omiſſis 424 a Nabonaſſaro ad Alexandri mortem annis, commodius in futurum prorogari poſſent.

 i. Præ-

i. Præterea in *Icoſipentaeteridum* Tabulæ in locum *Octodecaeteridum* Tabulæ ſubſtitutione etiam compendium calculi quæſitum eſt. In *Icoſipentaeteridum* Tabula enim exhibetur in verſu primo locus, quem Sol, Luna, & reliquæ quinque Planetæ obtinent in anno Philippi primo, in menſis Thoth die primo, in ipſa meridie, proceditque hoc modo, 1. 26, 51, 76, &c. In *Octodecaeteridum* Tabula vero non exhibetur, in verſu primo, locus quem Sol, Luna & reliquæ quinque Planetæ obtinebant in anno Nabonaſſari primo, in menſis Thoth die primo, in ipſa meridie Alexandriæ, ſed procedunt hoc modo, 18, 36, 54, 72, &c. Quod non leve calculi compendium infert. Ne quid dicam, quod Tabula, quæ per continuam viginti quinque annorum additionem procedit, commodius in eodem verſuum numero, plures comprehendere poſſit annos, quam Tabula, quæ per continuam octodecim annorum aggregationem progreditur. Tabula enim *Icoſipentaeteridum* colligit in 45 verſibus, annos 1101: Tabula autem *Octodecaeteridum* colligit, in totidem verſibus, annos tantum 810. Accedit & aliud notabile calculi compendium, quod *Octodecaeteridum* Tabulæ, quæ in Ptolemæi Almageſto erant numero ſeptem in tribus *Icoſipentaëteridum* Tabulis, in προχείροις Κανόνι, contrahantur, quarum una pro Sole & Luna, aliæ duæ pro quinque Planetis conſtructæ ſunt. Vide infra §° 27. Lit. H. N° 11° & 16°.

III^tio^ *An Ptolemaeus προχείρων Κανόνων, ſeu expeditarum Tabularum, ſic proprie dictarum, Auctor ſit.*

a. Hoc ſupra negavi, vel ſaltem de eo vehementer dubitavi, idque mihi perſuadere non poteram, Ptolemæum harum Tabularum eſſe Auctorem: idque rationibus, quæ negativam hanc ſententiam minime evincunt. Vide, hoc ipſo §° 14. Lit. d. N° 4°.

b. Nunc autem in eam quam maxime propendeo ſententiam, quod Ptolemæus harum Tabularum Auctor ſit. Cum enim ipſe Ptolemæus, in libello de Hypotheſibus Planetarum, non tantum Epochas Solis, Lunæ, & reliquarum quinque Planetarum, in Philippi anno primo, in menſis Thoth die primo, in ipſa meridie Alexandriæ, conſtituerit, ſed etiam in *longitudinum Hypotheſibus* quædam ſciens mutaverit & correxerit, ut vidimus ſupra hoc ipſo §° 14. Lit. *e*. Atque hæc in longitudinum Hypotheſibus mutatio procul dubio in Tabulam *Icoſipentaëteridum* influentiam habeat, & mutationem in eam inferat: & præterea illa *Icoſipentaëteridum* Tabula (quæ in Codice MS° Lugduno-Batavo occurrit) juxta Ptolemæi, in illo libello propoſitas, Hypotheſes, & Epochas ibidem conſtitutas, conſtructa ſit: quid quæſo naturalius & probabilius eſt,

quam

quam ipſum quoque Ptolemæum illarum *Icoſipentaëteridum* Tabularum pro Sole & Luna, & pro reliquis quinque Planetis, una cum annexis ſimplicium annorum, menſium, dierum, & horarum Tabulis, eſſe Auctorem: ſine his enim ea, quæ Ptolemæus in illo de Hypotheſibus Planetarum noviter obſervaverat & correxerat, in calculo aſtronomico ad uſum deduci non videntur potuiſſe. Neque video his quicquam opponi poſſe, niſi hoc, quod Ptolemæus vel morte præventus has Tabulas conſtruere non potuerit, vel ſenio confectus, hoc ob nimium laborem omiſerit, & diſcipulis ſuis in Schola aſtronomica, ac ſucceſſoribus reliquerit.

c. Si autem hoc conſtaret (quod Jac. Uſſerius innuere videtur, ut vidimus ſupra hoc ipſo §° 14°, Lit. ζ. Lit. C.) quod non tantum de Hypotheſibus Planetarum libello præmittatur præfatio ad Syrum, ſed etiam *Volumini* προχείρων Κανόνων, hoc eſt, *expeditarum Tabularum*, *alia ad Syrum præfatio* præmiſſa reperiatur, tum res extra dubitationis aleam poſita eſſet. Sed cum (ut monuimus ſupra loco modo citato) quædam ſint quæ me remorentur, quominus hoc admittam, major de Codice Muſei Saviliani lux ex Anglia ab Oxonienſibus exſpectanda erit.

d. Licet autem, quod admodum probabile judico, Ptolemæus ſtatuatur, προχείρων Κανόνων primus Auctor, non tamen omnes illæ Tabulæ, quæ in Volumine προχείρων Κανόνων nunc continentur, & in Codice MS^to^ Lugduno-Batavo reperiuntur, Ptolemæo ut Auctori tribuendæ ſunt, ſed ſolummodo illæ, quæ & in quantum ætati, qua vixit Ptolemæus, convenire poſſunt. Inter Tabulas Aſtronomicas proprie dictas, præter *Icoſipentaeteridum* Tabulas, una cum Tabulis annexis, plurimæ occurrunt aliæ Tabulæ, quarum tamen nulla ſimpliciter ex Ptolemæi Almageſto deſumpta eſt: de his dubitari poteſt, an Ptolemæum habeant Auctorem, idque in medio relinquere cogor, quia mihi non conſtat, an & in quantum illa a Ptolemæo, in libello de Hypotheſibus Planetarum, noviter inventa in illas Tabulas influant, & mutationem inferant. Inter Tabulas autem Aſtronomorum uſibus tantum inſervientes, non video ullam aliam Ptolemæo ut Auctori adſcribi cum aliqua ſpecie poſſe, quam *Canonem Regum aſtronomicum, a Nabonaſſaro uſque ad Antoninum Pium*, hoc eſt, *uſque ad Ptolemæi ætatem.*

IV^to^. *An Theon Alexandrinus pro* προχείρων Κανόνων *Auctore haberi poſſit.*

a. Hoc ſupra hoc ipſo §° 14°, Lit. δ. N° 7°, 8°, 9° inquiſivi, & ſup-

ſuppoſito ipſum Ptolemæum non eſſe illarum Tabularum Auctorem, hoc mihi non improbabile viſum fuit, idque variis argumentis, quæ ſpeciem habent, adſtruere conatus ſum, inter quæ tamen etiam levia, & erronea reperiuntur.

b. Sed cum, ut modo vidimus, longe probabilius, ſi non certum ſit, ipſum Ptolemæum harum Tabularum primum eſſe Auctorem: per ſe patet, Theonem pro primo harum Tabularum Auctore haberi non poſſe.

c. Hoc tamen non obſtante illud Theoni Alexandrino non improbabiliter tribui poſſet, quod hunc harum Tabularum faſciculum auxerit, ſuppleverit, continuaverit, &c. atque eo ſenſu etiam illarum Tabularum Auctor fuerit, licet non primus, ſaltem ſecundarius.

X V.

De Æra Auguſti.

Æra Auguſti, ſeu annorum ab Auguſto, (quæ hic proprie in conſiderationem venit) initium ſumit a morte Cleopatræ, & capta per Auguſtum Alexandria, quando Ægyptii ſub ditionem populi Romani venere, conſtatque annis Ægyptiis vagis, dierum 365 tantum, abſque quadrante, & incipit, poſt annos a Nabonaſſaro 718 completos, & annos a Philippo 294 completos, a Nabonaſſari anno 719° & a Philippi anno 295° ineuntibus, a menſis Ægyptii Thoth die 1°, qui incurrit in diem 31um menſis Auguſti, anni Per. Jul. 4684^{ti}, ante Chriſtum 30^{mi}.

De hac Æra, atque ejus occaſione varia ſunt conſideranda.

A.

An Aſtronomi ante Ptolemæum Æra Auguſti, ſeu annis ab Auguſto uſi ſint.

1° Certum eſt, quod Agrippa, Menelaus, Anonymus, & Theo Smyrnæus (quorum Obſervationes in ſuo Almageſto recenſet Ptolemæus) tempus, quo ſuas ceperant obſervationes, deſignarint, non per annos ab Auguſto, ſed per annos Imperii Romanorum Imperatorum, Domitiani, Trajani, & Adriani; ut oſtendimus ſupra §° 13. Lit. C. N° 11^{or}, 12°, 13°, & 14°.

2° Hoc

2° Hoc etiam agnoſcit Dodwellus in Prolegom. §° XXXII. *Quanquam autem*, inquit, *ab Epochæ initio nullam epocham numerarint Aſtronomi, Imperatorum tamen deinde Romanorum annis ſuas obſervationes inſigniebant, ut proinde & hic intervalla accurate deſignarint. XII° Domitiani obſervavit Agrippa, primo Trajani Menelaus Geometra, primis Hadriani annis ſenior Theon, Ptolemæus ipſe poſtremis Hadriani, & primis Antonini. Et conveniunt intervalla accuratiſſime; ita tamen ut non ab Auguſto, ſed a Nabonaſſaro numerentur.*

3° Priora illa Dodwelli verba: *Quanquam autem ab Epochæ initio nullam Epocham numerarint Aſtronomi;* mihi ſatis obſcura ſunt, ut & totus ille §^{us} 32us, quia varia hic miſcet Dodwellus. Videtur tamen hic reſpicere ad id quod dixerat in illius §^{i} initio. *Quintus tamen* (dixerat) *ejus* (Epochæ Auguſtorum) *annus, ſeu potius Biſſexti ſeu dies Intercalares a quinto illo anno numerandi, caput erat, ut ex Theone jam oſtendimus,* (§° ſcilicet VII & VIII) *Epochæ aſtronomicæ.* Nempe, putabat Dodwellus, Alexandrinorum primum annum fixum, non ab initio Auguſti Alexandrino, ſed poſt V^{um} ejus annum (adeoque ab anno Auguſti VI° ineunte) eſſe numerandum: atque eo anno Auguſti VI° ineunte ἀποκατάστασιν anni Ægyptiaci vagi ad annum Alexandrinorum fixum eſſe factam, quia eo anno ineunte uterque Thoth tam fixus, quam vagus in unum eundemque anni Juliani diem (menſis Auguſti XXIX) inciderunt. Sed Theonis mentem non recte percepit, quippe qui docet ἀποκατάστασιν factam eſſe anno Auguſti, non 6°, ſed 5° ineunte, ut alibi oſtendi. Verum, miſſa illâ unius anni differentiâ, an ille annus, quo ineunte ἀποκατάστασις contigit, eſt *Caput Epochæ aſtronomicæ?* & quidem eo ſenſu, ut ab Epochæ initio nullam Epocham numerarint Aſtronomi? an ergo annum Auguſtorum VI^{um} numerarunt ſuæ Epochæ *primum* Aſtronomi? Vix audeo tale quid Dodwello tribuere, quanquam ejus verba nos eo ducunt. Verum quidem eſt, ab illo anno, quo ineunte facta fuit ἀποκατάστασις & uterque Thoth, tam vagus, quam fixus, prima vice, in eundem anni Juliani diem incidit, annum magnum Canicularem initium ſumere; ſed hæc non eſt Epocha aſtronomica: & præterea Embòliſmorum & Tetraëteridum, in Faſtorum Theonis tertia & quarta columnâ, rationem non ſatis perſpexit Dodwellus. Neque, ſi mentem Dodwelli recte percipio, ex vero dici poteſt, quod ab Epochæ initio nullam Epocham numerarint Aſtronomi. Et ipſe Dodwellus in hujus §^{i} XXXII^{di} fine dicit, *eos qui formam anni vagi ſolam obſervarent, a quocunque exordio* (adeoque etiam ab initio Epochæ

ab Auguſto) *potuiſſe numerare.* & addit; *ita igitur noſter Theon, ita & nonnunquam Ptolemæus ſolet, ſed raro, numerare.* Unde dubito, an Dodwelli mentem recte perceperim.

4° Poſteriora autem illa Dodwelli verba, ſupra N° 2° adducta: *Et conveniunt intervalla accuratiſſime, ita tamen ut non ab Auguſto, ſed a Nabonaſſaro numerentur.* Mihi etiam obſcura ſunt. Dixerat §° XXVII. *Hipparchum ſuas aliquot obſervationes Epocha Nabonaſſari ſignaſſe. illam adhibuiſſe Agrippam, Menelaum & Theonem Ptolemæo coævum. atque ita eam ad noſtrum Ptolemæum deſcendiſſe.* In quibus fallitur Dodwellus, ut ſupra §° 13. oſtendimus. & licet vera eſſent; non video quid interſit inter numerationem a Nabonaſſaro, & numerationem ab Auguſto. Si enim Ptolemæus, qui tempus obſervationum Agrippæ, Menelai, & Theonis, deſignatum ab iis per annos Imperatorum Romanorum, ad annos a Nabonaſſaro reduxit, quia eo ad ſcopum ſuum opus habebat, illud ad annos ab Auguſto reduxiſſet, eadem plane fuiſſent intervalla: nam ſi ad annos ab Auguſto adjeceris annos 294, oriuntur anni a morte Alexandri, & ſi porro his adjeceris annos 424, oriuntur anni a Nabonaſſaro, juxta Ptolemæi methodum. Sed forte per numerationem ab Auguſto intelligit numerationem per annos fixos, quales ſupponit fuiſſe annos Auguſtorum ſaltem in uſu civili, ſi non ſtatim ab initio, tamen non diu poſt: & contra per numerationem a Nabonaſſaro, numerationem per annos vagos, quales erant anni Nabonaſſarei. & eo ſenſu verum eſt *intervalla exactiſſime convenire, ſi non per annos fixos, ſed per annos vagos menſurentur.*

B.

An Ptolemæus annis ab Auguſto, in Almageſto ſuo, uſus ſit, & unde hi anni ineant.

1° Dodwellus in Prolegomenis, dicto §° XXXII. in fine dicit, *quod Ptolemæus nonnunquam, ſed raro, ita ſoleat numerare.*

2° Ego autem in toto Ptolemæi Almageſto, unicum tantum deprehendi locum, ubi Ptolemæus hac Epocha ſeu annis ab Auguſto utitur: inſignem ſcilicet illum locum L. 3. C. 8. p. 74. de quo egimus §° 13. Lit. d. N° 13.

3° Notanda autem ſunt ipſa Ptolemæi verba: ἀπὸ τῆ τοῦ α' ἔτους Αὐγούστου κατ' Αἰγυπτίους τῆς ἐν τῷ Θὼθ α' μεσημβρίας, (ἐπειδὴ τὰς ἐποχὰς ἀπὸ μεσημβρίας συνιστάμεθα) μέχρι τοῦ ιζ' ἔτους Ἀδριανοῦ Ἀθὺρ ζ' μετὰ δύο ἰσημερινὰς ὥρας

ὥρας τῆς μεσημβρίας, ἔτη γίνεται ρξα', καὶ ἡμέραι ξϛ', καὶ ὧραι ἰσημεριναὶ β'. Quæ ita verto: *A 1° autem anno Auguſti ſecundum Ægyptios, a menſis Thoth die 1°, a meridie (quoniam Epochas à meridie conſtituimus) uſque ad* 17um *annum Hadriani, Athyr* 7um, *duabus horis Æquinoctialibus poſt meridiem, anni ſunt* 161, *& dies* 66, *& horæ Æquinoctiales* 2.

Ex his Ptolemæi verbis, imprimis ſi cum antecedentibus & conſequentibus conferantur, patet

a. Annum Auguſti 1um inire a meridie diei 1^{mi} menſis Thoth anni a Philippo 295^{ti}, & a Nabonaſſaro 719^{ni}, adeoque a die 31° menſis Auguſti anni Per. Jul. 4684^{ti}, ante Chriſtum 30^{mi}: ut in capite hujus paragraphi diximus.

Nam l. c. ita pergit Ptolemæus: *Quare* (ſi nempe anni 424, & 294, & 161, cum diebus 66, & horis æqualibus 2, in unam ſummam aggregentur) *a primo Nabonaſſari anno ſecundum Ægyptios a meridie diei* 1^{mi}, *menſis Thoth, uſque ad tempus propoſiti autumnalis Æquinoctii, colligentur anni Ægyptii* 879, *dies* 66, *& horæ Æquinoctiales* 2.

b. Hinc porro patet, *annos Auguſti* ſeu Epochæ ab Auguſto, eſſe in Computo Ptolemæi, *annos Ægyptiacos vagos*, dierum 365 tantum, abſque quadrante: ut in Capite hujus paragraphi poſuimus.

Nam 1° loquitur Ptolemæus de Nabonaſſari anno 1° *ſecundum Ægyptios*, quo deſignatur ut vagus, & proinde iniens a meridie diei 26^{ti}, menſis Februarii, anni Per. Jul. 3967^{mi}. Vide Petavii Chronicon. 2° Dicit a meridie diei 1^{mi}, menſis Thoth, anni Nabonaſſari 1^{mi}, uſque ad tempus propoſiti autumnalis Æquinoctii, colligi *annos Ægyptiacos*, hoc eſt, *vagos*, 879, & dies 66, & horas Æquinoctiales 2. 3° Contigit itaque hoc autumnale Æquinoctium, a Ptolemæo obſervatum, labente Nabonaſſari anno vago 880° (qui init a meridie diei 21^{mi} menſis Julii, anni Per. Jul. 4845^{ti}) & quidem hujus anni die 67° labente (qui eſt menſis Athyr dies 7us & menſis Septembris dies 25^{tus}) & quidem duabus horis Æquinoctialibus poſt hujus diei meridiem. Adeoque dies Athyr 7us anni Auguſti 162^{di}, quo Ptolemæus hoc autumnale Æquinoctium obſervavit, eſt dies 25us menſis Septembris anni Per. Jul. 4845^{ti}. & per conſequens *anni Auguſti* ſunt in Ptolemæi computo, anni *Ægyptiaci vagi*. 4° Quod ſi Ptolemæus *annis Auguſti fixis* uſus hic eſſet, tum annus ab Auguſto 162us iniret a die 29° menſis Auguſti anni Per. Jul. 4845^{ti}, & dies hujus anni 67us ſeu menſis Athyr 7us foret menſis Novembris dies 3us. quod a vero autumnalis Æquinoctii tempore, in illo Per. Jul. anno, longe recedit. 5° Adde quod hoc ex loco, quem Sol tempore hu-

jus

jus Æquinoctii obtinebat, etiam probari, & per Ptolemæi Tabulas explorari poſſet.

4° Licet autem Ptolemæus in ſuo Almageſto, ſemel tantum (quantum mihi conſtat) hac Epocha annorum ab Auguſto, expreſſe & explicite in calculo ſuo aſtronomico uſus ſit: non dubito tamen, quia ſæpius ad captandas ſuarum & aliorum obſervationum, ſub Imperatoribus Romanis factarum, ab Epochâ diſtantias, tacite in privato calculo, hac Epocha uſus fuerit.

C.

Dodwelli ſententia de annis Auguſtorum proponitur & examinatur.

1° Dodwellus in Prolegomenis §° XXXII, in initio, hæc habet: *Tertiam itaque Auguſtorum Epocham quod attinet, a morte Cleopatræ ductam; civilis illa potius videtur, Alexandrinorum in honorem Auguſti, quam Aſtronomorum. Non enim aſtronomicis uſibus idonea fuit varia illa anni forma, vagi ab initio, tum fixi, deinde a nono illius Epochæ anno. Quintus tamen ejus annus, ſeu potius Biſſexti ſeu dies intercalares, a quinto illo anno numerandi, caput erat, ut a Theone jam oſtendimus, Epochæ aſtronomicæ. In eo conveniebat Thoth uterque, tam Alexandrinorum, quam reliquorum etiam Ægyptiorum. Inde itaque incipiebat annus Canicularis magnus, eo etiam poſt emenſum CCCLXV Biſſextorum Cyclum rediturus, quem Cyclum numerabat in tertia Faſtorum ſuorum σελίδι, & quarta Theon. Ita ſcilicet commercium ſervabant cum reliquorum Ægyptiorum Aſtronomis, Aſtronomi Alexandrini.* Et poſt multa. *Quod vero dixi ineptam ſupputationibus aſtronomicis hanc fuiſſe ab Auguſto Epocham, de forma Alexandrina intelligo. Qui enim formam anni vagi ſolam obſervarent, quod reliquos feciſſe diximus Ægyptios, a quocunque exordio poterant ſatis commode numerare. Ita igitur noſter Theon, ita & nonnunquam Ptolemæus ſolet, ſed raro, numerare.*

2° Ad hæc Dodwelli verba, in quibus multa coacervat, & varia ſupponit, etiam varia obſervari poſſent, ſed plurima non forent hujus loci, eaque jam præoccupavimus *in Obſervationibus meis in Faſtos Græcos priores forſitan Theonis Alexandrini, & in Theonis Alexandrini εἰς τὰς προχείρους* Κανόνας *Commentarium ſeu ejus fragmentum.* Nunc itaque tantum obſervo ſequentia.

a. Epocham Auguſtorum, a morte Cleopatræ, ſeu imperii Auguſti in

in Ægyptum poſt captam Alexandriam, anno primo deductam, *civilem* in honorem Auguſti inſtitutam fuiſſe agnoſco. Vide conſiderationes meas in locum Dionis Caſſii, L. 51. p. 457. A. edit. Hanov. 1606. in fol. Sed libenter de hujus Epochæ uſu civili & publico plura vellem doceri. Cur autem hujus Epochæ uſum civilem non Ægyptiis in genere, quod Cenſorinus, C. 21. facit, ſed Alexandrinis in ſpecie tribuat, rationem non video. Præterea, cur ipſi hæc Epocha videatur potius fuiſſe civilis Alexandrinorum, quam Aſtronomorum, non capio, & ratio, quam adjicit, ab anni forma, in hujus Epochæ uſu civili adhibitâ, deſumpta mihi non ſatisfacit. Aliud enim eſt ab eadem Epocha annos dinumerare; aliud eſt in ea numeratione annis ejusdem formæ uti. Cur enim Aſtronomi non potuere ab illo inſigni, & in hiſtoria notiſſimo facto hiſtorico, capta ſcilicet Alexandria, & imperii Auguſti in Ægyptum initio, annos dinumerare, & in illa numeratione, more Aſtronomorum annis Ægyptiacis vagis uti; æque ac Alexandrini inde in memoriam Auguſti in uſu civili annos numerare, & licet non ſtatim ab initio, tamen poſt, in illa numeratione annos fixos adhibere. Fateor tamen, mihi non conſtare, an ullus ante Ptolemæum Aſtronomus ab hac Epocha annos numeraverit.

b. Singulare eſt, quod Dodwellus Epochæ Auguſtorum annum nonum faciat primum Alexandrinorum annum fixum. Certum eſt primum Alexandrinorum diem intercalarem, quæ ipſis *ſexta Epagomena* dicitur, & ultimus anni eorum intercalaris dies eſt, incurrere in diem 29um menſis Auguſti, anni Per. Jul. 4692^{di}, urbis conditæ 732^{di}, & in hoc die terminari *annum Auguſtorum* 8um, & a ſequenti die 30° menſis Auguſti, ejusdem anni Per. Jul. 4692^{di}, U. C. 732^{di}, inire *annum Auguſtorum* 9um. Annus enim Auguſtorum primus eſt Nabonaſſari 719us, & Philippi 295us, meuntes labente anno Periodi Jul. 4684°, U. C. 724°, in die 31° menſis Auguſti. Si quis itaque putaret, primum Alexandrinorum annum fixum dicendum eſſe illum, qui poſt primam eorum intercalationem, qua annus figitur, initium ſumit, atque eo ſenſu diceret, *annum Auguſtorum* 9um *eſſe* 1um *Alexandrinorum fixum*: fieret quæſtio de nomine, de quo non litigo. Sed Dodwellus §° VIII dixerat: *Quarto itaque poſt V^{um} illum Auguſti annum, id eſt IX° poſt receptam Alexandriam, U. C. DCCXXXIII° prima erat Alexandrinorum intercalatio.* In quo fallitur, confundens intercalationem diei Biſſextilis Romanam, cum intercalatione ſextæ Epagomenæ Alexandrinorum, quæ Romanam ſex circiter menſibus antevertit, ut modo diximus, & ſi opus eſſet, alterius

probari poſſit. Quomodo autem hæc, quæ hic dicit *de primo Alexandrinorum anno fixo*, conciliari poſſint cum iis quæ dixerat dicto §° VIII. non video: dixerat enim, *quod conſtet, eſſe veriſſimum, a menſis Auguſti die XXIX° incipiendum eſſe annum fixum Alexandrinorum.* Adeoque non, cum Scaligero, ab anno Auguſtorum 1° etiam primum Alexandrinorum annum fixum eſſe numerandum, quia Thoth eo anno init in die 31° menſis Auguſti. Sed, ut docet Theon, poſt V^{um} Auguſti annum (adeoque a VI° ejus anno) eſſe numerandum, quia eo anno uterque Thoth tam fixus, quam vagus, in unum eundemque anni Juliani diem (menſis Auguſti 29um) inciderunt. Atque *inde* (hoc eſt, poſt V^{um} Auguſti annum, a VI° itaque ejus anno incluſive) pro quarto quoque anno Theonem numerare unum diem, quo annus Ægyptiacus Alexandrinum anteverterit. Si enim conſtet, hoc eſſe veriſſimum, quod ille annus Auguſti, a capta Alexandria, quo uterque Thoth tam vagus, quam fixus, inciderunt in eundem anni Juliani diem, & quidem in menſis Auguſti diem XXIX^{um}; ſit primus Alexandrinorum annus fixus; inde ſequitur, non annum Auguſti 1um, ſed 6um eſſe primum Alexandrinorum annum fixum. Cur ergo hic annum Auguſti 9um facit 1um Alexandrinorum annum fixum? quia, ut mihi videtur, ſupponit annum Auguſti 6um, 7um & 8um æque poſſe dici vagos, ac fixos; quia horum annorum Thoth tam vagus, quam fixus in eundem anni Juliani diem, Auguſti menſis 29um, incidunt, & hi anni ſunt tantum dierum 365. & demum annus Auguſti 9us, licet ejus Thoth tam vagus quam fixus etiam in eundem anni Juliani diem, Auguſti 29um, incidant, in ſui fine tamen, apud Alexandrinos, acceperit ſextam Epagomenam, & factus ſit annus intercalaris, dierum 366; atque ita cautum fuerit, ne Thoth anni 10^{mi} infra diem Auguſti 29um relaberetur, ſed in illo die figeretur. Atque hinc forte eſt, quod in hujus Epochæ annis octo prioribus admittat formam anni vagi, & formam anni fixi demum ab hujus Epochæ anno 9no ordiatur. Sed præterea unde quæſo hoc conſtat, primum Alexandrinorum annum fixum, debere a menſis Auguſti die 29° inire? & proinde annum Auguſti 6um eſſe primum Alexandrinorum annum fixum? Certe hoc Theon non docuit. Reſpondebit Dodwellus, hoc inde conſtare, quia eo anno Auguſti 6° ineunte uterque Thoth tam vagus, quam fixus in eundem anni Juliani diem, & quidem menſis Auguſti 29um inciderunt. Sed regero, jam anno præcedente, Auguſti 5° ineunte, utrumque Thoth, tam vagum quam fixum, in eundem anni Juliani diem, nempe menſis Auguſti 30um incidiſſe; & agnoſco Theonem docere, quod [illegible] anni Ægyptii vagi ad annum-

num Alexandrinum fixum, fiat, quando Ægyptii & Alexandrini ſimul facere initium anni incipiunt. Atque inde concludo, hanc ἐπικατάστασιν factam eſſe anno Auguſti 5° ineunte. Et ſi hoc certum eſſet, eundem annum, quo ineunte ἐπικαταστάσεως facta eſt, eſſe quoque primum Alexandrinorum annum fixum; inde porro concluderem, annum Auguſti 5^{tum} eſſe primum Alexandrinorum annum fixum. Atque *inde*, hoc eſt, ab anno Auguſti 5° incluſive, quo ineunte ἐπικατάστασις facta eſt pro unoquoque anno quarto, numerat Theon unum diem intercalarem qui illi unicuique anno quarto exeunte ab Alexandrinis adjectus, ab Ægyptiis vero omiſſus eſt; ſed in Κανόνι ad diem, in anno Alexandrinorum fixo datum, reducendum ad diem in anno Ægyptiorum vago quæſitum, illi diei dato reſpondentem, quod Faſtorum nomine venit, ille unus dies intercalaris ſemper uno anno ſerius, hoc eſt ad unumquemque annum poſt Auguſti annum 5^{tum} excluſive, quartum apponitur, quia ratio & uſus hujus Κανόνος hoc requirebat. & hoc eſt, quod Dodwellum fefellit. Sed lapſus his in rebus facilis eſt.

c. Notanda etiam ſunt hæc Dodwelli verba: *Quintus tamen ejus annus, ſeu potius Biſſexti ſeu dies intercalares a quinto illo anno numerandi, caput erat, ut e Theone jam oſtendimus, Epochæ Aſtronomicæ.* Si ſimpliciter dixiſſet Dodwellus: *Quintus tamen ejus annus .... caput erat ... Epochæ Aſtronomicæ*, tum hæc verba clare indicarent, ipſum illum quintum Auguſti, poſt mortem Cleopatræ, annum haberi ab Aſtronomis pro illo anno, quo ineunte ἐπικατάστασις anni Ægyptiaci vagi ad annum Alexandrinorum fixum facta fuit, ſeu quo ineunte Ægyptii & Alexandrini cœperunt *ſimul facere initium anni*, ſeu quo ineunte uterque Thoth, tam vagus, quam fixus, in eundem anni Juliani diem, *prima vice*, inciderunt; & Aſtronomos illum ipſum Auguſti annum V^{tum} habere pro anno primo magni anni Canicularis. Quæ omnia veriſſima ſunt. Sed quia Dodwellus, ſe ipſum quaſi corrigens, vel diſtinctius explicans, addit, ſeu *potius Biſſexti, ſeu dies intercalares a quinto illo anno numerandi*; dubium redditur an Dodwellus illorum dierum intercalarium numerationem velit fieri ab illo anno quinto incluſive, an vero ab illo anno quinto excluſive, quod eſt revera ab anno ſexto incluſive. Quia autem Dodwellus præterea addit, *ut e Theone jam oſtendimus*; dubii hujus ſolutio eo in loco quærenda eſt, ubi hoc jam oſtenderat Dodwellus, nempe §° VIII. & VII. *Theon* (inquit §° VII) *eam* (comparationem anni Alexandrinorum fixi, cum anno Ægyptiorum vago) *repetendam cenſuit a primo anni fixi Alexandrini exordio, quo primum illi a reliquis Ægyptiis diſceſſerant.* Et

deinde §° VIII. *Sed unde repetendum illud eſſet Alexandrinæ Epochæ caput, & quo tandem Æra Ægyptiaca anno prima facta eſſet ab Alexandrinis intercalatio, id fugit hactenus omnes* (*ante Petavium*) *Chronologos, & nos quoque fugeret; ipſumque Petavium, ni fragmenti noſtri Theoniani ope id quoque diſceremus. Crediderunt nonnulli ab Epocha Diocletiani deducendum* .... *Ipſe Scaliger potius in annum receptæ ab Auguſto Alexandriæ conferendum cenſet, urbis nimirum conditæ* 724um. ...... *Sed tenebras omnes diſpulit noſter Theon. Ab eo diſcimus non ab initio Auguſti Alexandrino, ſed poſt Vum ejus annum eſſe numerandum. Eo anno uterque Thoth tam fixus quam vagus in unum eundemque anni Juliani diem inciderunt. Inde pro quarto quoque anno unum numerat diem Theon, quo annus Ægyptiacus Alexandrinum anteverterit. Quanto itaque poſt Vum illum Auguſti annum, id eſt IX° poſt receptam Alexandriam, U. C. DCCXXXIII°* (Per. Jul. 4693°) *prima erat Alexandrinorum intercalatio. Ita enim Thoth, cum jam fuiſſet in Aug. XXIX°, impeditus eſt, ne in alium quemvis diem relaberetur. Sic optime omnia cohærebunt. Erat enim Biſſextus, & quidem a Scaligerano* 2us. *Ut, ſi Biſſexto Scaligerano anno U. C. DCCXXI°* (Per. Jul. 4681°) *initium Thoth in Aug.* 31um *inciderit. DCCXXV° in Aug.* 30um. *DCCXXIX° in Aug.* 29um *incidere debuerit, inde, interpoſito IVti cujusque anni die intercalari, non poſſit dimoveri.* (* An ergo Thoth Alexandrinorum fixus nunquam ab Aug. 29° dimovetur in Aug 30um? An ergo dies Alexandrinorum intercalaris, & dies Romanorum Biſſextilis in eundem annum Julianum cadunt? Omnes illi anni U. C. ſupra nominati, ſunt more Romanorum Biſſextiles, & per conſequens etiam annus U. C. DCCXXXIIIus more Romanorum Biſſextilis eſt. Sed primus dies intercalaris Alexandrinorum non cadit in illum annum U. C. DCCXXXIIIum, ſed in proxime præcedentem DCCXXXIIum in menſis Auguſti diem 29um. Adeoque non anno Auguſti IX°, U. C. DCCXXXIII°, ſed anno Auguſti VIII°. U. C. DCCXXXII°, *prima erat Alexandrinorum intercalatio.* Totum itaque hoc Dodwelli de prima Alexandrinorum intercalatione ratiocinium non procedit.) *Verum*, ita pergit Dodwellus: *Conveniunt & noſtri Faſti ab illo enim U. C. anno DCCXXIX°, Auguſti V°, extra numerum rejecto, XLIus Biſſextus incidet in annum Urb. Cond. DCCCXXXIIIum*, (lege *DCCCXCIIIum*) *Chriſti CXLum accuratiſſime.* (* Quare accuratiſſime? Quia in dictis Faſtis, in eodem verſu, hæc ſibi invicem apponuntur Ἀντώνιος τρίτος, καὶ Αὐρήλιος Καῖσαρ. (qui Conſules ſunt anni Chriſti 140mi, U. C. 893tii Per. Jul. 4853tii) ἔτος ἀπ᾽ Ἀλεξάνδρου (τελευτῆς) υξγ´ (463us) ἔτος ἀπ᾽ Αὐγούστου ρξθ´. (169us) ἐκαλεῖ-

ἦτο..

ἤτοι ἐμβόλιμοι μα' (XLI.) Ubi vides ſibi invicem apponi annum Chriſti 140um, qui eſt U. C. 893us, & annum ab Auguſto 169um, & intercalarem 41um. Hoc autem confirmat ea, quæ Dodwellus de prima Alexandrinorum intercalatione modo dixerat. Si enim

	Intercalatio	anno Auguſti &	anno U. C.
	XLIa	169o	893o
ablatis	XL	160	160
erit	Ia	9o	733o

Adeoque cum iis quæ modo dixerat Dodwellus, conveniunt *Faſti* accuratiſſime. En Dodwelli ratiocinium. Sed fallitur. Prænotandum enim annum ab Alexandri morte 463um (qui eſt annus a Nabonaſſaro 887us) inire labente anno Chriſti 139o (qui eſt U. C. 892us & Per. Jul. 4852us) ex die Julii 20o, & a proxime ſequentibus Kalendis Januariis concurrere cum anno Chriſti 140o, quo Conſules fuere Antonius Pius Aug. III., & M. Aurelius Cæſar, uſque ad diem Julii 18um incluſive. Atque itidem annum ab Auguſto 169um fixum inire labente eodem anno Chriſti 139o, ex die Auguſti 30o, & a ſequentibus Kal. Jan. concurrere cum anno Chriſti 140o, uſque ad diem Auguſti 28um incluſive. Unde patet menſis Thoth diem 1um anni fixi ab Auguſto 169ni, eſſe diem 42um anni vagi ab Alexandri morte 463tii, ſeu quod eodem redit, anni vagi ab Auguſto 169ni; adeoque antequam annus fixus ab Auguſto 169us iniret; jam dies intercalares XLI ab Alexandrinis eſſe adpoſitos, ab Ægyptiis vero omiſſos: & præterea inde patet annum Alexandrinorum ab Auguſto 169um non eſſe more Alexandrinorum intercalarem, dierum 366, (licet annus Chriſti 140us, U. C. 893us ſit more Romanorum Biſſextilis) ſed communem, dierum 365. His præmiſſis, porro obſervandum, quod Dodwellus, quia ſcopum & uſum hujus Κανόνος, quod Faſtorum nomine venit, non ſatis perſpexerat, male ſupponat, in illo Faſtorum verſu, in quo hæc ſibi invicem apponuntur, indicari, quod anno Chriſti 140o, U. C. 893o, ab Auguſto 169o XLIa *erat Alexandrinorum intercalatio*. Cum contra in illo Κανόνι ſupponatur, XLIam Alexandrinorum intercalationem anno Chriſti 139o, U. C. 892o; ab Auguſto 168o jam fuiſſe: & indicetur, ad diem quemcunque in anno Alexandrinorum ab Auguſto 169o datum adjiciendos eſſe dies XLI, ut inveniatur dies in anno Ægyptio quæſitus, illi diei dato reſpondens. Exempli gratia, detur dies 1us menſis Thoth anni Alexandrini ab Au-

guſto 169ⁱ. & quæratur dies anni Ægyptii, huic diei dato reſpondens: Ad diem 1ᵘᵐ menſis Thoth datum adjice dies XLI. & invenies, diem 1ᵘᵐ menſis Thoth anni Alexandrini ab Auguſto 169ⁱ eſſe diem 42ᵘᵐ anni Ægyptii ab Auguſto 169ⁱ, ſeu eſſe diem 12ᵘᵐ menſis Paophi. Atque hoc Κανόνιον nititur illa, quam Theo in fragmento, a Dodwello edito, tradit, methodo. Quam Theonis methodum etiam non ſatis perſpexit Dodwellus. Ita enim ſcribit Dodwellus §° VII: *Medio intervallo ab illo Alexandrinæ Epochæ capite, a quo prima fuerat intercalatio, numerabant* (Theon, aliique Aſtronomi) *dies intercalares addendos anno Ægyptiaco, ut eundem menſis diem in anno Alexandrino deprehenderent; detrahendos viciſſim Alexandrino, ut eundem reperirent in anno Ægyptiaco.* Quæ quidem in ſe ſpectata, ex vero dici poſſunt, ſed ad Theonem, ejusque methodum relata, a Theonis ſcopo, ac methodo plane aliena ſunt. Ex Theonis enim methodo, & exemplo, quo eam illuſtrat, patet, Theonis ſcopum eſſe, diem in anno Alexandrino datum reducere ad diem in anno Ægyptiaco quæſitum, huic diei dato reſpondentem. (& tali reductione Aſtronomi, qui eâ ætate in calculo aſtronomico omnes anno Ægyptiaco vago utebantur, opus habebant.) Methodus vero Theonis eum in finem jubet calculo inquirere, quot dies intercalares ante initium anni, cujus dies datus eſt, ab Alexandrinis jam fuerint adpoſiti: atque hos dies intercalares jubet *addere* ad diem in anno *Alexandrino* datum & ſumma dierum, quæ ex hac additione oritur, oſtendit quotus dies anni Ægyptii ſit, ille dies in anno Alexandrino datus; quod quærebatur. Hanc autem Theonis methodum invertit Dodwellus, & ex unicâ duplicem fecit. Sed ut redeam eo unde digreſſus ſum, ex iis, quæ, ut vidimus, Dodwellus dicto illo §° VIII° dixerat, clare, meo judicio, patet, eum in hoc §° XXXII° loqui de *quinto* anno *extra numerum rejecto*, & velle illam Biſſextorum, ſeu dierum intercalarium numerationem fieri ab illo *quinto anno excluſive*, adeoque revera ab anno *ſexto incluſive*. Atque inde porro patet ſequentia verba ita eſſe intelligenda, *in eo* (poſt illum Vᵘᵐ anno) *conveniebat Thoth uterque tam Alexandrinorum, quam reliquorum Ægyptiorum*, (incidentes ambo, anno VI° ineunte, in menſis Auguſti diem XXIXᵘᵐ) *Inde* (hoc eſt, ab anno V° evoluto, & VI° ineunte) *itaque incipiebat annus Canicularis magnus* &c. Sed, quid hæc ſibi volunt Dodwelli verba: *Biſſexti ſeu dies intercalares, a quinto illo anno* (excluſive) *numerandi, caput erat .... Epochæ Aſtronomicæ?* Non hoc vult Dodwellus, quod in Epocha aſtronomica, *primus* Biſſextus ſeu dies intercalaris (Alexandrinorum) ponebatur *poſt* Vᵘᵐ illum

illum annum, *ad* VI^um^ annum; nam, ut vidimus, oſtenderat (§° VIII°.) *e Theone, quod IX° Auguſti anno prima erat Alexandrinorum intercalatio, & quod Faſti cum eo convenirent.* Ut ſcilicet putabat. Sed hoc vult, quod in Epocha aſtronomica, ab illo V° anno evoluto, & a VI° anno ineunte numerationem incipiebant, & ad annum IV^um^, poſt illum V^um^, hoc eſt, ad IX^um^ annum apponebant I^um^ Alexandrinorum diem intercalarem Aſtronomi. Per Epocham aſtronomicam enim intelligit hoc loco Dodwellus *annum Canicularem magnum*, & in ſpecie *Cyclum Biſſextorum*, (ſeu dierum Alexandrinorum intercalarium) *quem numerabat in tertia Faſtorum ſuorum σελίδι, & quarta Theon.* ut in proxime ſequentibus verbis dicit Dodwellus. Obſerva ſequens Schema, in quo proleptice exhibentur *Faſtorum* ſeu Κανόνος anni quatuor priores.

annus ab Auguſto.	ἐν αἷς ἡμέραι ἐμβόλιμοι.	τετραετηρίδες.
6us	0.	1.
7us	0.	2.
8us	0.	3.
9us	1.	4.
169us	41.	4.

Hic vides, ex Dodwelli ſententia, quod in columna Tetraëteridum, numeratio ab anno Auguſti V° excluſive ſeu ab anno Auguſti VI° incluſive incipiat, & quod ea numeratio a Tetraëteridis anno 1° & Auguſti VI° coepta, & ſic porro progrediens, anno Auguſti IX° prodat Tetraëteridis annum 4um, & proinde in *Columna Epactarum*, ſeu *Embolimorum*, hoc eſt, dierum intercalarium, eodem anno Auguſti IX° prodat 1um Alexandrinorum diem intercalarem. & per conſequens anno Auguſti 6° ineunte incipit *anni Canicularis magni* annus 1us, & anno Auguſti 9° ineunte incipit *anni Canicularis magni* annus 4us, atque ille annus Auguſti 9us, & Canicularis 4us eſt apud Alexandrinos annus intercalaris, qui in ſui fine recipit ſextam Epagomenam, eſtque dierum 366. Agnoſco in ſuperiori Schemate quatuor priores Κανόνος annos proleptice recte exhiberi: ſed nego conſequentiam, quam inde deducit Dodwellus, ob ea, quae in ſuperioribus de methodo hujus Κανόνος, ejusque uſu jam monui. Et praeterea ad confirmationem ſupradictorum nunc addo, quod juxta Dodwelli placita talis orietur annorum ab Auguſto vagorum & fixorum concurſus erroneus, ut in ſequenti Schemate exhibetur.

annus

annus Nabon.	annus ab Alex.	annus ab Aug.	vagus init	fixus init	
724.	300.	6.	Aug. 29.	Aug. 29.	
725.	301.	7.	—— 29.	—— 29.	
726.	302.	8.	—— 29.	—— 29.	
727.	303.	9.	—— 29.	—— 29.	Intercalaris dier. 366.
728.	304.	10.	—— 28.	—— 29.	

& ſic porro.

Verus autem concurſus ita ſe habet:

annus Nabon.	annus ab Alex.	annus ab Aug.	vagus init	fixus init	
723.	299.	5.	Aug. 30.	Aug. 30.	
724.	300.	6.	—— 29.	—— 29.	
725.	301.	7.	—— 29.	—— 29.	
726.	302.	8.	—— 29.	—— 29.	Intercalaris dier. 366.
727.	303.	9.	—— 29.	—— 30.	
728.	304.	10.	—— 28.	—— 29.	

& ſic porro.

Primum illud Schema erroneum eſſe, patet, quia in eo Thoth anni Alexandrinorum fixi ita ſemper adhæret diei menſis Auguſti 29°, ut nunquam inde dimoveatur. (ut etiam expreſſis verbis (§° VIII) dicit Dodwellus) cum omnes Chronologi, Scaliger, Petavius, Beveregius, doceant, unoquoque quadriennio ſemel Thoth anni Alexandrinorum fixi, per intercurrentem diem Alexandrinorum intercalarem, ex die menſis Auguſti 29° (quem ordinario occupat) protrudi in diem menſis Auguſti 30um. Eoque ipſo ſimul doceant illum Alexandrinorum annum fixum, cujus Thoth in diem menſis Auguſti 30um incurrit, eſſe primum poſt annum intercalarem dierum 366, proxime tranſactum, adeoque communem. Præſertim cum veteres idem doceant, exemplo ſit Heraclius Imperator in illo, quod Dodwellus edidit, Heraclii fragmento. Præterea Schema illud primum erroneum eſſe, porro patet, quia in eo dies intercalaris Alexandrinorum, & dies Biſſextilis Romanorum in unum eundemque annum Julianum cadunt. Abſque eo enim hoc Schema conſiſtere non poteſt,

teſt, quia annus ab Auguſto 9us, qui init ex die menſis Auguſti 29° & deſinit in die menſis Auguſti 28°, non poteſt eſſe intercalaris dierum 366, niſi terminetur in anno Juliano, qui in Februario habet diem Biſſextilem. Et hoc ſtatuit Dodwellus, ubi expreſſis verbis (§° VIII) dicit, *anno Auguſti IX°, U. C. DCCXXXIII° prima erat Alexandrinorum intercalatio*. Annus enim U. C. 733us eſt Romanis Biſſextilis. Cum contra omnes Chronologi, & Heraclius Imperator, in dicto illo, quod edidit Dodwellus, Heraclii fragmento, doceant quod dies Alexandrinorum intercalaris cadat in annum Julianum, qui Biſſextilem proxime præcedit.

Novi equidem Scaligerum, de Emendat. Temp. L. V. p. 454. B. dicere, quod Neomenia Thoth ſemper hæſerit in XXIX Auguſti anno communi: anno vero Biſſextili, in XXX. Quorum verborum ſenſus non eſt, quod Neomenia Thoth ſemper cadat in XXIX Auguſti, quando ille Alexandrinorum annus communis eſt, hoc eſt, dierum 365 tantum: & quod Neomenia Thoth cadat in XXX Auguſti, quando iſte Alexandrinorum annus Biſſextilis, ſeu intercalaris eſt, hoc eſt, dierum 366. Quod contradictorium eſt. Sed eorum verborum ſenſus hic eſt; quod Neomenia Thoth ſemper cadat in XXIX Auguſti, quando annus Julianus, cum quo hic Alexandrinorum annus a ſequentibus Kalendis Januariis concurrit, communis eſt. Et quod Neomenia Thoth cadat in XXX Auguſti, quando annus Julianus, cum quo hic Alexandrinorum annus a ſequentibus Kal. Jan. concurrit, Biſſextilis eſt, niſi quis velit (quod tamen mihi non videtur) Scaligerum iſtum Alexandrinorum annum, cujus Thoth in XXX Auguſti cadit, catachreſtice vocare Biſſextilem; quia hujus anni Neomenia Thoth, per immediate præcedentem Alexandrinorum Biſſextum, ſeu diem intercalarem, loco ſuo pellitur, & in XXX Auguſti protruditur. Quales catachreſticæ expreſſiones etiam alibi, ni fallor, mihi occurrerunt.

Sed ſimili catachreſtica locutione Dodwellus explicari non poteſt; nimis enim præciſe & determinate loquitur, *anno*, inquit, *Auguſti IX°*, a recepta Alexandria, *U. C. DCCXXXIII°*, *prima erat Alexandrinorum intercalatio*.

Quæſtio itaque proponi ita poteſt; quem in anno Juliano diem occupet dies Alexandrinorum intercalaris, ſeu eorum *ſexta Epagomena*, an menſis Auguſti diem 28um, ut Schema primum requirit; an vero menſis Auguſti diem 29um, ut Schema ſecundum præfert. Et in quem annum Julianum ille Alexandrinorum dies intercalaris primâ vice incurrat:

currat: an in annum Julianum 25um, U. C. 733um, Per. Jul. 4693um, ut Dodwellus dicit: an in annum Julianum 24um. U. C. 732um. Per. Jul. 4692um. ut ego contendo.

Singularis apud Petavium L. 10. C. 71. & apud Beveregium L. I. Inſt. Chronol. C. 10. occurrit expreſſio, quod dies Alexandrinorum intercalaris *inter menſis Auguſti diem* 28um *&* 29um *inſeritur*. Nam inter diem Auguſti 28um & 29um nullus dies intercurrit, quem dies Alexandrinorum intercalaris occupare poſſit: neque hoc illi volunt Auctores. Verum orta eſt hæc expreſſio ex alia, quæ de die Romanorum intercalari jure adhiberi poterat, quod nempe *ille dies inter VI° & VII° Kalendarum Martiarum inſeritur*. Nam in anno Romanorum intercalari, inter duos dictos dies intercurrit dies, quem Romani *Bis VI° Kal. Mart.* vocabant, unde etiam ille annus *Biſſextilis* dicitur. Verum hi Auctores in re ipſa conveniunt, & juxta eorum ſententiam, dies Alexandrinorum intercalaris diem menſis Auguſti 29um ſemper occupat.

Hæc ad ſententiæ Dodwellianæ explicationem ſufficere poſſunt, & plura, quam ſupra conſtitueram, notare operæ pretium duxi, quia deprehendi eum non in omnibus cum Petavio convenire.

Quod etiam ipſe Dodwellus indicare videtur, quando, in fine § VIII, ita ſcribit: *Perperam itaque Theonem noſtrum intellexit Petavius, qui ipſum illum annum Auguſti V*^{um} *putavit ab Alexandrinis intercalatum. Fruſtra etiam Anianus & Georgius, qui idem videntur ſenſiſſe cum Petavio, vid. Syncell. p.* 312, 313. *Ita ſi fuiſſet, jam alio die Thoth fixus, alio mobilis inceperit, ut proinde poſt evolutum Cyclum magnum ab eo numerandum, uno adhuc die ab invicem diſcrepantes invenirentur, nec ad ullam redirent ἀποκατάςασιν.*

Quod attinet Petavium; cum Dodwellus eum, ad quem reſpicit, Petavii locum non indicaverit, difficile eſt examinare, an hoc putaverit Petavius. Plura Petavii, tam in ejus Opere de Doctrina Temporum, quam in Auctario ad hoc Opus, nec non in Rationario Temp., inſpexi loca, in quibus de hac materia agit; ſed in iis hanc Petavii ſententiam hactenus deprehendere non potui. Præterea ſi hoc putaverit Petavius, quod illi tribuit Dodwellus, nempe, *ipſum illum annum Auguſti V*^{um} *ab Alexandrinis fuiſſe intercalatum*, id eſt (ut ego hæc verba interpretor) huic anno Auguſti V^{to} exeunti ab Alexandrinis adjectam fuiſſe VI^{am} Epagomenam, adeoque ipſum illum annum Auguſti V^{um} fuiſſe intercalarem, dierum 366, (qui horum verborum ſenſus mihi videtur naturalis) agnoſco, Petavium perperam intellexiſſe Theonem. Theo enim non annum Auguſti V^{um},

V^{um}, ſed VIII^{um} docet ab Alexandrinis intercalatum. Sed vehementer dubito, an non ipſe Dodwellus perperam intellexerit Petavium, & hoc ipſi per quandam conſequentiam tribuerit. Cum principiis enim Petavii ejusmodi ſententia conſiſtere non poteſt. Petavius enim, (ut L. X. de Doctr. Temp. C. 71. videre licet) æque ac Dodwellus, putabat, ἀποκατάστασιν anni Ægyptiaci ad annum Alexandrinorum factam eſſe, juxta Theonem, non anno Auguſti V^{o} ineunte, ſed anno Auguſti VI° ineunte, quando uterque Thoth tam fixus quam vagus in eundem anni Juliani diem, & quidem in diem menſis Auguſti XXIX^{um} inciderunt; atque hunc annum Auguſti VI^{um} Petavius habebat pro *primo* Alexandrinorum *anno fixo*. Nam Petavio *primus* Alexandrinorum *annus fixus* dicitur ille quo ineunte ἀποκατάστασις facta fuit. Eundem autem annum Auguſti VI^{um} Dodwellus habet pro *capite* Epochæ aſtronomicæ, & pro anni Canicularis magni *anno primo*: quod eodem cum Petavio redit. Primus vero Alexandrinorum annus fixus Dodwello eſt ille annus, quo prima erat Alexandrinorum intercalatio: eo ſenſu primus Alexandrinorum annus fixus Petavio foret annus Auguſti VIII^{us}. Dodwello vero eſt annus Auguſti IX^{us}. Atque in eo diſſenſus inter Dodwellum & Petavium eſt realis: cum altera quæſtio, an ſcilicet ille, quo ineunte ἀποκατάστασις facta eſt, an vero ille, quo prima Alexandrinorum intercalatio facta fuit, dicendus ſit *primus Alexandrinorum annus fixus*, ſit quæſtio tantum de nomine. Quod autem Petavius ſtatuat annum Auguſti VIII^{um} Alexandrinis fuiſſe intercalarem, dierum 366, patet, quia l. c. expreſſis verbis tradit, *diem Alexandrinorum intercalarem quinque fere menſibus ante diem Romanorum Biſſextilem inſeri*. & præterea, *quod Thoth Alexandrinorum fixus, proxime diem intercalarem ſequens, in menſis Auguſti diem XXX^{um} incurrat*. Unde neceſſario ſequitur annum Auguſti IX^{um} Petavio eſſe primum poſt intercalarem, eumque inire in die Auguſti XXX°, & eſſe communem dierum 365. quia quinto poſt hunc Auguſtum menſe, in Februario ſcilicet inſeritur dies Romanorum Biſſextilis. Quod etiam ex methodo ad diem in anno Alexandrinorum fixo datum reducendum ad diem in anno Periodi Jul. quæſitum, huic dato reſpondentem, quam in Rationario Temporum. P. 2^{a}, L. I. C. 13. tradit Petavius, confirmari poteſt. Cum autem hæc ita ſint, quomodo quæſo Petavius, qui ſtatuit annum Auguſti VI^{um} eſſe primum Alexandrinorum annum fixum, potuit putare jam ante primum annum fixum, annum Auguſti V^{um} ab Alexandrinis fuiſſe intercalatum. Præterea, quomodo Petavius, qui ſtatuit annum Auguſti VIII eſſe intercalarem, potuit putare tertium ante hunc intercalarem,

annum ſcilicet Auguſti V^{um} etiam ab Alexandrinis fuiſſe intercalatum. Quintus enim annus Auguſti, qui, ut uterque Petavius & Dodwellus ſtatuebant, inibat in die menſis Auguſti 30°, anni Juliani 20^{mi}, Per. Jul. 4688^{vi}, U. C. 728^{vi}, & terminabatur in die menſis Auguſti 28°; anni Biſſextilis Juliani 21^{mi}, Per. Jul. 4689^{ni}, U. C. 729^{ni}, non poterat eſſe intercalaris, dierum 366.

Quod attinet locum in Georgii Syncelli Chronographia p. 312, 313. (cum quo Aniano nihil commune eſt) in eo Syncellus primum annum fixum ſeu annum, quo ineunte ἀποκατάστασις facta eſt, videtur confundere cum illo anno, quo prima erat Alexandrinorum intercalatio. & dubito an non eundem cum Petavio & Dodwello erraverit errorem; & cum utroque putaverit ἀποκατάστασιν factam eſſe anno Auguſti, poſt captam Alexandriam, VI° ineunte, quando uterque Thoth tam fixus quam vagus in menſis Auguſti diem XXIX^{um} inciderunt. Sed, quia locus ſatis obſcurus eſt, hactenus nihil determino. Eſt tamen locus inſignis, qui preſſius examinari meretur, imprimis quia ex eo, quænam de anni Ægyptiaci ἀποκαταστάσει, non tantum Syncelli, ſed etiam Panodori fuerit ſententia, erui forte poterit. Quod tamen hujus loci non eſt.

D.

An forma anni fixi in uſu civili a ſolis Alexandrinis fuerit recepta, & an forma anni vagi in uſu civili, a reliquis Ægyptiis fuerit retenta, & quamdiu.

1° Hac de re fuſe agit Dodwellus in Prolegomenis §° IV—VII. Sententiam ſuam ſatis diſtincte proponit, §° V° *ita* (inquit) *igitur factum puto, ut, cum in Auguſti gratiam forma ea, quam dixi, fixa ab Alexandrinis fuiſſet introducta, Græci quidem eam atque Romani uſurparunt, Ægyptii autem omnes repudiarunt, & qui Sacris Ægyptiis aſſueviſſent, etiam cives alioqui Alexandrini.* Item §° IV, in initio: *Ex illo eximio Theonis fragmento diſcimus (quod neſcirent aliter eruditi) ſua etiam adhuc ætate* (hoc eſt, circa 80um Diocletiani annum) *aliam fuiſſe ſuis civibus Alexandrinis Græcis, aliam reliquis Ægyptiis anni rationem; Alexandrinis nempe fixam atque ſtabilem Solari anno Juliano reſpondentem, reliquis vagam atque mobilem, nec niſi emenſo anno Caniculari magno (annorum ſcilicet Ægyptiorum communium 1461, Julianorum 1460) ad exordium commune redeuntem.* Item §° V. *Nec puto aliquid in anni forma novaſſe Diocletianum, id potius*

curaſſe

curaſſe unum, *ut novam Epocham induceret*, *quam tamen alii annis fixis*, *alii vagis emetirentur*. Denique §° IV. *Eſtque* (inquit) *id animadverſione dignum*, *fixam Chriſtianis*, *vagam Gentilibus notiorem fuiſſe atque receptiorem*, &c.

2° In hac materia Introductio Epochæ annorum ab Auguſto ab Introductione anni fixi, probe diſtinguenda eſt. Epocha annorum ab Auguſto, ſi ex illo Senatus Romani decreto in honorem Auguſti adulatorio, cujus meminit Dio Caſſius, profluxit, certe in gratiam Auguſti, & quidem publica auctoritate introducta eſt, adeoque non ſolos Alexandrinos, ſed Ægyptios in genere concernere videtur. Introductio autem anni fixi, quæ paucis poſt captam Alexandriam annis facta eſt, an in gratiam Auguſti, & qua occaſione, quave auctoritate facta ſit, non conſtat. Tacet enim hic hiſtoria.

3° Formam anni fixi receptam eſſe, & quidem ſatis mature, extra dubium eſt. Non ſtatim ab omnibus per totam Ægyptum, ſed primum ab Alexandrinis, & a Græcis Alexandriæ incolis receptam fuiſſe, & deinde ſucceſſu temporis paulatim apud reliquos Ægypti incolas invaluiſſe, facile conceſſerim. Sed uti introductionis, ſic etiam receptionis anni fixi hiſtoria in obſcuro eſt, idque tanto magis, quia hæc anni fixi forma eo introducta & recepta eſt tempore, quando annus Julianus incuria Romanorum Pontificum vitioſe decurreret.

4° Dodwellus tamen, meo judicio, receptionem anni fixi nimis videtur reſtringere, quando putat anni fixi formam, ab Alexandrinis introductam, a Græcis quidem atque Romanis fuiſſe uſurpatam, ab Ægyptiis vero omnibus repudiatam, etiam ab iis qui Sacris Ægyptiis aſſueviſſent, licet alioqui cives eſſent Alexandrini. Suſpicatur enim Ægyptios formam anni fixi repudiaſſe, & antiquam anni vagi formam mordicus retinuiſſe; eam ob cauſam, quod certa quædam eorum Sacra & feſta certis anni vagi diebus affixa eſſent, & ſpatio anni Canicularis magni in orbem redirent. Concedit tamen formam anni fixi ſatis mature ab Ægyptiis Chriſtianis eſſe receptam, & a Scriptoribus Paſchalibus adhibitam; idque ob commoditatem in uſu & computo Paſchali.

5° Videamus itaque quid Dodwellus ex ſcriptis veterum adducat ad probandum, quod antiquam anni vagi formam retinuerint reliqui Ægyptii omnes ab Alexandrinis diſtincti, & etiam ex Alexandrinis ii, qui Sacris Ægyptiis aſſueviſſent; uno verbo omnes religione Ægyptii, contradiſtincte a Græcis Alexandrinis, & ab Ægyptiis Chriſtianis. Dodwellus §° IV, hæc habet: *Vagam* (anni formam) *uſurpant Scriptores*,

tores, quotquot habemus illorum ſeculorum gentiles, fixam altiſſimo plerunque ſilentio prætermittentes. Illam perpetuo Ptolemæus civis ipſe (ut volunt) Alexandrinus; illam Cenſorinus ſcriptor curioſiſſimus, qui tamen ne id quidem ipſum reſciviſſe videtur; fuiſſentque ex Ægyptiis aliqui qui fixam agnoſcerent: illam Proclus, qui nec aliam innuit ab Ægyptiis uſurpatam. Unus eſt fortaſſe Plutarchus ex Auctoribus gentilibus Diocletiano antiquioribus qui fixos menſes Ægyptiacos agnoverit. Una etiam fortaſſe quæ meminerit inſcriptio Antonino Pio coæva, anno Domini CXLVI. Sed Græci illi erant, non Ægyptii. *Quæ omnia, ut patet, eo tendunt, ut probet id, quod in antecedentibus dixerat, vagam anni formam gentilibus notiorem fuiſſe atque receptiorem: & anni formam fixam ab Alexandrinis quidem Græcis, & a Chriſtianis, minime autem a reliquis Ægyptiis fuiſſe receptam. Hæc autem diſtinctius examinare operæ pretium erit.

6° *Ptolemæum* quod attinet, is in ſua magna conſtructione, unica tantum (ni fallor) vice Epocha annorum ab Auguſto utitur, videlicet L. 3. C. 8. ut ſupra jam monuimus: atque eo in loco hujus Epochæ annos in computo ſuo conſiderat ut vagos, quod hoc ipſo §° 15°, Lit. B. oſtendimus. Uſurpat itaque Ptolemæus in ſuo Almageſto illam anni vagi formam, fateor. Sed quid hoc ad rem faciat, quod Ptolemæus fuerit (ut volunt) civis Alexandrinus, non capio, quamdiu non conſtat, an etiam fuerit Ægyptius, Sacris Ægyptiorum aſſuetus: nam gentilem fuiſſe aliunde conſtat. Uſurpavit tamen (inquit Dodwellus) vagam anni formam Ptolemæus, idque annis 157 circiter poſt introductam fixam anni formam, quam tamen altiſſimo ſilentio premit. Uſurpavit, fateor, Ptolemæus in Almageſto vagam anni formam: ſed qua in occaſione, an in deſignatione temporis, quo ſuas ceperat obſervationes? Minime. Sed tantum in calculo ſuo aſtronomico, (ut ſupra, loco citato oſtendimus.) Adeoque nullam faciendæ formæ anni fixi mentionem iſto in loco aut rationem aut occaſionem habebat: Sed contra Ptolemæus, ut Aſtronomus, in calculo ſuo aſtronomico non aliis, quam vagis uti poterat, quia omnes ejus Tabulæ, ob calculi commoditatem, ad vagam anni formam erant compoſitæ, & Epochæ in anno Nabonaſſari 1° conſtitutæ. Neque hac de re quæſtio eſt, an non Aſtronomi, in calculo ſuo aſtronomico, vagam anni formam longo ſatis tempore retinuerint.

Præterea tantum abeſt, ut fixam anni formam, ab Alexandrinis introductam, altiſſimo preſſerit ſilentio, ut contra ejus expreſſam fecerit mentionem, imo eâ ipſe uſus ſit, & ſe eâ uſum eſſe expreſſe dixerit, *in Syntagmate ſuo de apparentiis inerrantium ſtellarum, & de earum ſignificationibus:*

nibus: (quod integrum Latine edidit a ſe verſum Fredericus Bonaventura Urbinas cum notis, Urbini 1591. in 4°. Partem poſteriorem, in qua ipſum Parapegma, Græce cum ſua verſione edidit Dionyſ. Petavius, in Uranologio, Pariſ. 1630, in folio. Partem vero priorem, Græce cum ſua verſione, & variantes Lectiones partis poſterioris, edidit, ex Apographo Codicis Saviliani, Joan. Albertus Fabricius, in ſua Bibliotheca Græca, L. 4°, P. 1ª, C. 14. p. 420—448. Hamb. 1708, in 4°. Confer Jac. Uſſerii de Macedonum & Aſianorum anno ſolari diſſertationem, C. 6°, p. 81. & C. 7. p. 94 & 96. edit. Lugd. Bat. 1683, in 8°, & Dodwellum in Prolegom. §° XVI, in initio.) Nam in hujus Syntagmatis parte poſteriore, ſeu in ipſo Parapegmate, utitur Ptolemæus *menſibus*, ut Petavius in Uranologio p. 415. dicit, *Actiacis*, vel, ut Uſſerius in dicta Diſſertatione p. 96. dicit, *Alexandrinorum ſuorum Civilibus*, hoc eſt, *fixis:* quod ex Æquinoctio Autumnali, in die menſis Thoth 28°, & ex Solſtitio hiberno, in die menſis Choiac 26°, nec non ex Æquinoctio verno, in die menſis Phamenoth 26°, in hoc Parapegmate notatis, quam clariſſime patet. Accedit, quod Fabricius, loco citato, p. 432, expreſſe monet: *Menſis Thoth dies primus in MS. notatur reſpondere diei 29 Auguſti.* καθ' ἡμᾶς δὲ Αὐγούστου κθ', *dies quartus reſpondet Kalendis Septembris atque ita deinceps per totum annum.* Sed, quod præcipuum eſt, ipſe Ptolemæus in hujus Syntagmatis ſui parte priore, §° 6°, in initio, apud Fabricium, l. c. p. 429. ſic ſcribit: Κεχρήμεθα δὲ τῇ καθ' ἡμᾶς τοῦ ἔτους χρονογραφίᾳ διὰ τὸ τῆς τὸ ἔθος ἐπικείας ἐν τῶν ἐμβολίμαις διὰ τετραετηρίδος ἡμέρας ἀποδιδομένης ἐπὶ πολὺν χρόνον δύνασθαι τὰς αὐτὰς φάσεις τοῖς ὁμωνύμοις ἡμέραις ὡς ἐπὶ πᾶν ἐκλαμβάνεσθαι. Quæ ſic Latine interpretatur Fabricius: *Adhibemus autem anni deſcriptionem, qui apud nos in uſu eſt, ne dierum æquivocatio ob intercalationem quarto quoque anno factam, in notandis excipiendiſque apparitionibus committeretur.* Ego autem ea preſſius, & forte clarius, ſic verterem: *Uſi autem ſumus, in temporis notatione, ea quæ noſtra ætate in uſu eſt, anni forma,* (hoc eſt, fixâ) *propterea quod, per eam, quæ ex more fit, additionem diei, quæ in* (annis) *intercalaribus, ſpatio quadriennali,* (anno) *conceditur, in longum tempus poſſint eadem* (inerrantium ſtellarum) *apparentiæ in ejuſdem nominis diebus utplurimum excipi.* (Quod non potuiſſet fieri, ſi in notatione temporis, quo ſtellæ fixæ oriuntur & occidunt, antiquo Ægyptiorum anno vago uſus fuiſſet.) Pro τῶν ἐμβολίμαις, videtur legendum τοῖς ἐμβολίμοις, & id videtur de ΕΤΕΣΙ ἐμβολίμοις vel ΕΝΙΑΥΤΟΙΣ ἐμβολίμοις intelligendum. Si autem τῶν ἐμβολίμαις retineatur & referatur ad

ἡμέρας

ἡμέρας ἐμβολίμους, tum ſenſus paulo obſcurior eſt, ſed tamen eodem redit. Tum enim loquitur de *additione diei*, quæ ſpatio quadriennali ex quadrantibus diei (ex quibus, ſibi invicem aggregatis, αἱ ἡμέραι ἐμβόλιμοι oriuntur) colligitur, & unicuique anno quarto attribuitur. Vide *Faſtos*, ſeu Κανόνιον Theonis in ultima & penultima columna.

7° *Proclum*, quod attinet, qui teſte Voſſio, circa annum Chriſti 500 claruit, ego in *Procli Diadochi hypotyposi aſtronomicarum poſitionum*, quæ prodiit Latine, ex Georgii Vallæ Placentini interpretatione, Baſil. 1551. in fol. una cum Almageſto, aliiſque opuſculis Ptolemæi, C. 2. p. 342. b. hæc lego: *Quare annus quidem Ægyptius non conjectat quartum, ut ſingulis quatuor annis, dies una adjiciatur, ut ſex faciat dies, ſed eam quartam menſibus inſerit.*

Ad hunc Procli locum reſpicere videtur Dodwellus: alium enim in hoc Procli Opere, ad quod nos ablegat, deprehendere non potui. Ex hoc autem loco, qui, cum antecedentibus & conſequentibus collatus, prout in Latina Vallæ interpretatione legitur, mihi ſatis obſcurus eſt, nihil de anni Ægyptii vagi uſu civili ætate Procli apud Ægyptios adhuc obtinente concludi, meo judicio poteſt. Proclus enim, ut Aſtronomus, in hoc Opere aſtronomico, agit de anni Ægyptiaci uſu in calculo aſtronomico apud Ptolemæum, & qui eum ſequebantur. Quod ex illis verbis: *Sed eam quartam menſibus inſerit*, & ex totius loci contextu patet.

8° *Cenſorinum* denique quod attinet, & quidem in ſpecie *Libelli ejus de Die Natali Caput XXI*um, quo nos ablegat Dodwellus.

Certum eſt Cenſorinum loco citato loqui *de anno Auguſtorum, juxta Ægyptios, CCLXVII°*. Sed adhuc ſub judice lis eſt, an Cenſorinus loquatur de anno Auguſtorum 267° *vago*, quod Dodwellus ſupponit: an vero loquatur de anno Auguſtorum 267° *fixo*, quod ipſe anni numerus requirit. De quo fuſe egimus ſupra §° 11. Lit. N. Obſerv. 7a. Confer Petavium de Doctr. Temp. L. 9. C. 42. p. 98. & C. 51. p. 125. A. in Ration. Temp. P. 2a. L. 3. C. 15. p. 184, 185.

Sed demus Cenſorinum loqui de anno Auguſtorum 267° vago, & (quod inde conſequitur) pro CCLXVII, legendum eſſe CCLXVIII. Quid tum? an inde neceſſario ſequitur, quod vaga anni forma eo, quo Cenſorinus hæc ſcribebat, tempore apud Ægyptios adhuc in publico & civili erant uſu? Mihi non videtur: eodem modo enim ex hoc Cenſorini loco concluderes, Ægyptios, ætate Cenſorini, in uſu publico & civili adhibuiſſe tres Æras, unam a Nabonaſſaro, alteram a Philippo, tertiam ab Auguſto. Cum autem conſtet, in Aſtronomorum Ægyptiorum ſcriptis has

has tres Epochas in calculo aſtronomico adhiberi; ego, hoc in caſu, æque annos Auguſtorum, ac annos Nabonaſſari, & annos Philippi, referrem ad illos annos *qui ab Ægyptiis in literas erant relati.* Cur autem (ex hac hypotheſi) Cenſorinus nullam anni fixi ab Alexandrinis certe adhibiti, faciat mentionem, an ex ignorantia, an alias ob cauſas mihi incognitas, fateor me neſcire.

9° Agnoſcit quidem Dodwellus, *Plutarchum* Scriptorem gentilem, Diocletiano antiquiorem, *fixos menſes Ægyptiacos agnoſcere.* & præterea *in inſcriptione quadam, Antonino Pio coæva, fixorum menſium Ægyptiacorum mentionem fieri.* Sed addit: *ſed Græci illi erant, non Ægyptii.* Quid autem hoc ad rem faciat, non capio. An enim ex eo, quod Græci fuerint, non Ægyptii, ſequitur, quod menſes illi Ægyptiaci fixi, quorum mentionem faciunt, ad Græcos Ægypti incolas tantum ſpectent, non autem ad Ægyptios. Certe Plutarchus, qui inclaruit ſub Trajano & vitam ad Antoninum Pium produxit, & rerum Ægyptiacarum, ut ex ejus de Iſide & Oſiride libello patet, ignarus non erat, & in Ægyptum peregrinatus eſſe (in Menckenii Dictionario) dicitur, ita menſes Ægyptiacos fixos agnoſcit, ut eorum uſum in Ægyptiorum ſacris agnoſcat. Et illa inſcriptio, in qua menſium Ægyptiacorum fixorum mentio fit, poſita eſt, Sexto Ærucio Claro II. & Cnejo Claudio Severo Coſſ. (anno Chriſti 146) πρὸ α' Νωνῶν Μαίων, ἥ ἐςιν ΚΑΤΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΣ Παχὼν ια'. Eamque poſuit ἡ ἱερὰ τάξις Παιανιςῶν τῶν ἐν Ῥώμῃ Διὸς Ἡλίου μεγάλου ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ καὶ Θεῶν Σεβαςῶν.

Scaliger de Emend. Temp. L. 5. p. 454. hanc inſcriptionem profert, ex Grutero, ubi reperitur p. 314. 2. Ut & locum Plutarchi, in Romulo, Tom. I. p. 24. C. edit. Pariſ. 1624.

Idem Scaliger, ibidem, L. 4. p. 237. B. C. D. ex Plutarchi Libro de Iſide & Oſiride, adducit tria loca, in quibus utitur menſibus Ægyptiacis fixis, nempe Tom. 2°, p. 356. C. D. p. 366. D. p. 372. B. Item duo adducit loca, in quibus eoſdem menſes videtur facere Lunares, nempe p. 367. E. p. 372. B.

His addimus & alia Plutarchi ex eodem de Oſiride & Iſide Libro loca, in quibus Ægyptiorum menſes ut fixos conſiderat p. 368. C. p. 372. C. p. 377. B. C. p. 378. B. C. E.

10°. Quod autem attinet rationem, quam dat Dodwellus, cur Ægyptii vagam anni formam ita mordicus retinuerint, ab eorum Sacris & Feſtis petitam. Notandum primo quod Ægyptiorum Sacra & Feſta quæ certis menſium diebus erant affixa, non certis anni tempeſtatibus ſimul fuerint

affixa; hoc enim anni vagi natura non patiebatur. Secundo, quod mutatio anni vagi in fixum non impedit, ut feſta certis menſium diebus affixa in iisdem diebus hærere potuerint. Alexandrini enim receperunt quidem annum fixum formæ Julianæ, non autem ipſum annum Julianum, non menſes Julianos, non locum diei Biſſextilis, neque initium anni Juliani, ſed retinuerunt menſes anni Ægyptiaci, & primum annum fixum ab eodem die cum Ægyptiis exorſi ſunt, & uſque ad primum diem intercalarem, quem ad finem anni adjecerunt, & ſextam Epagomenam vocarunt; uterque annus eodem plane modo decurrebat. Ita ut ii, qui fixam anni formam inſtituerunt, id imprimis curaſſe videantur, ut hæc anni forma ad Ægyptiorum uſum apta eſſet, & ne obtentu Sacrorum & Feſtorum ab iis repudiaretur. An autem ex Ægyptiorum ſuperſtitione profluxerit, quod annum 365 dierum tantum aſſumſerint, & quidem eum in finem, ut eorum Sacra & Feſta, ſpatio anni Canicularis magni, omnes anni tempeſtates peragrarent, & in orbem redirent; an vero hoc profluxerit ex antiqua veræ magnitudinis anni Solaris ignorantia; & an non id, quod Geminus in Elem. Aſtron. C. 6. p. 33, 34. edit. Petav. in Uranologio, de Ægyptiis hac in re refert, ſit Ægyptiorum ſerioris temporis *prophaſis*, qua antiquiorum ignorantiam tegere voluerint; aliis dijudicandum relinquo.

11° Præcipuum autem ſententiæ Dodwellianæ præſidium in *Theonis* fragmento ſitum eſt.

Theo in illo fragmento, §° 1° dicit Epocham computi aſtronomici deduci ἀπὸ πρώτου ΕΤΟΥΣ Φιλίππου τοῦ μετ' Ἀλέξανδρον τὸν κτίστην ΚΑΤ' ΑΙΓΥΠΤΙΟΥΣ, ΚΑΘ' οὓς ἐνιαύσιος χρόνος ἡμερῶν τυγχάνει τξε' μόνον. Item §° 3°. Ἐπεὶ γὰρ ὁ καθ' Ἕλληνας ἤτοι κατὰ Ἀλεξανδρείας ἀναδιδόμενος ἡμῖν ἐνιαυτὸς ἡμερῶν ἐστιν τξε'' δ'. ὁ δὲ κατ' Αἰγυπτίους, ὡς ἔφαμεν τξε' μόνων. δῆλον ὡς ὅτι κατὰ τέσσαρα ἔτη ἡμέραν μίαν προλαμβάνει τὴν κατὰ Ἀλεξάνδρειαν, κατὰ δὲ αυξ' ἔτη ἡμέρας τξε'', τουτέστι κατ' Αἰγυπτίους ἐνιαυτὸν ἕνα. Καὶ πάλιν ἅμα ποιοῦσιν αἵτε κατὰ τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ οἱ κατὰ τὴν Αἰγυπτίων ἀρχὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ. &c. Et paulo poſt §° 4°, γέγονε δὲ ἡ εἰρημένη διὰ αυξ' ἐτῶν ἀποκατάστασις ἀπό τινος ἀρχῆς χρόνου, τῷ πέμπτῳ ἔτει Αὐγούστου βασιλείας, ὡς ἐκ τούτου πάλιν τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι τοὺς Αἰγυπτίους προλαμβάνειν καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τῷ τετάρτῳ μέρει τῆς ἡμέρας.

Ex illo (inquit Dodwellus) *eximio Theonis fragmento didicimus* (*quod neſcirent aliter eruditi*) *ſua etiam adhuc ætate aliam fuiſſe ſuis civibus Alexandrinis Græcis, aliam reliquis Ægyptiis, anni rationem.*

Et fateor rem primo intuitu magnam habere ſpeciem. Varia tamen mihi occurrunt, quæ me ab aſſenſu retinent.

a. Ætas

a. Ætas Theonis nimis longe ab illo, quo fixa anni forma apud Alexandrinos introducta fuerat, tempore abeſt, quam ut probabile ſit, adhuc Theonis ætate reliquos Ægyptios antiquam anni ſui formam vagam retinuiſſe, & in uſu civili uſurpaſſe. Scribebat enim hunc εἰς προχείρους Κανόνας Commentarium ſuum Theo, anno Diocletiani 77°, quadringentis ferme poſt [illegible] annis.

b. Introductio Æræ Diocletianeæ, ejusque receptio in Ægypto in uſu civili non videtur permittere, ut Theonis adhuc ætate, ſolis exceptis Alexandrinis, reliquis Ægyptiis uſus anni vagi tribuatur. Ubicunque enim apud Auctores Æræ hujus mentio occurrit, ſemper anni a Diocletiano fixi numerantur; ſi Aſtronomorum Tabulas & calculum aſtronomicum ſolummodo exceperis. Unde etiam ipſe Theo, in exemplo anni Diocletiani 77^{mi}, menſis Thoth diei 22^{di}, horæ XI^{a}, tempus, prout ſcopus ejus requirebat, juxta fixam anni formam in civili uſu receptam deſignat. Dodwellus, qui hanc ſenſerat difficultatem, eam hac nota præoccupare ſtuduit; *nec puto*, inquit, *aliquid in anni forma novaſſe Diocletianum, id potius curaſſe unum, ut novam Epocham induceret, quam tamen alii annis fixis, alii vagis emetirentur*. Sed an ipſe Diocletianus hanc Æram introduxerit, & an tota ferme Ægyptus annos hujus Epochæ juxta vagam anni formam numeraverit, probationem & exempla requirit.

c. Totum hoc Theonis ſcriptum in diſcipulorum ſuorum, qui in ſchola ſua Aſtronomiæ operam dabant, gratiam conſcriptum eſt, ut eos inſtrueret quomodo προχείροις Κανόσι uti deberent, & in ſpecie ut iis methodum traderet, quomodo diem in anno fixo, qui in uſu civili receptus erat, ipſis propoſitum reducere deberent ad diem in anno vago quæſitum, diei propoſito reſpondentem, quo diſcipuli opus habebant, ut Tabulis aſtronomicis, ad formam anni vagi conſtructis, uti poſſent. Minime vero in uſum illorum Ægyptiorum, qui forte adhuc vagam anni formam retinuerant. Sed mere in uſum aſtronomicum, quo totus hic ſpectat libellus.

d. Eum in finem comparationem facit inter veterem Ægyptiorum annum, dierum tantum 365, quo veteres Ægyptii uſi fuerant, & quo Aſtronomi in Tabulis ſuis aſtronomicis & calculo ſuo aſtronomico etiamnum utebantur, & inter recentiorem Ægyptiorum annum, dierum 365, cum quadrante & die intercalari, qui ex quatuor quadrantibus conflatus, unicuique anno quarto exeunti adjiciebatur, qui annus recentior a Græcis ſeu Alexandrinis primum introductus & in uſum civilem receptus, inde a 5° regni Auguſti in Ægyptum anno cœperat, & ſenſim invaluerat,

 atque

atque ab Alexandrinis, qui eam anni formam introduxerant, & ab urbe Alexandria, ubi primum in uſum civilem receptus fuerat, nomen acceperat & retinuerat.

e. In ea comparatione, ut diſcipuli rem tanto clarius perciperent, utitur fictione quadam, ſeu conceptu quodam proleptico mere fictitio. Rem enim ita proponit, ac ſi jam ante 1460 annos tam Alexandrini, quam Ægyptii ſimul feciſſent initium anni, & poſt illos 1460 annos evolutos, anno Auguſti 5° ineunte facta fuiſſet ἀποκατάστασις anni Ægyptiaci ad annum Alexandrinorum, & tam Alexandrini quam Ægyptii iterum ſimul feciſſent initium anni. Et deinde in illa fictione pergens, rem porro ita proponit, ac ſi etiam inde ab Auguſti anno 5°, non tantum in initio, ſed etiam deinceps, & adhuc ſua ætate non tantum Alexandrini fixa anni forma, ſed etiam Ægyptii vaga anni forma uterentur.

f. Si quis autem inde vellet concludere, Theonem docere fixam anni formam Alexandrinis, vagam vero Ægyptiis, jam 1460, ante Auguſti 5um, annis in uſu fuiſſe. Nonne ridiculus foret. Sic etiam, meo judicio, concludere inde non licet, vagam anni formam antiquam ab Ægyptiis inde ab Auguſti anno 5° uſque ad Theonis ætatem, fuiſſe retentam, & uſurpatam. Idque Theonem hic nos docere. Sufficit enim, quod hæc vaga antiqui Ægyptiorum anni forma ab Aſtronomis recepta etiamnum Theonis ætatem apud Aſtronomos in uſu erat; ut Theo diſcipulis ſuis rem ita proponere potuerit: qui certe hac fictione, ſeu proponendi modo, circa anni vagi vel fixi ſuo tempore uſum, in errorem induci non poterant.

g. Adeoque etiam in hoc revera eximio Theonis fragmento præſidium ſuæ ſententiæ non habet ſatis firmum Dodwellus.

12° Quando autem forma anni fixa per totam Ægyptum fuerit recepta, & an non in partibus Ægypti ab Alexandria remotioribus vaga anni forma longo ſatis tempore in uſu remanſerit, de eo, ſilente hiſtoria, & deficientibus monumentis hiſtoricis, mihi nihil conſtat.

E.

An Aſtronomi poſt Ptolemæum uſque ad Theonem Alexandrinum in Obſervationum ſuarum tempore deſignando, aut in Phænomenων hiſtoria, &c. annis ab Auguſto, v a Diocletiano juxta Alexandrinorum fixam anni formam uſi ſint.

1° Nulla obſervatio aſtronomica, in illo temporis intervallo facta, neque

neque ullum exemplum hactenus mihi occurrit, unde ea de re judicium ferri poſſit.

2° Videtur tamen hoc ſupponi in illo Κανόνι, quod nomine *Faſtorum* venit, & quod inſervit, ad diem in Alexandrinorum anno fixo datum reducendum ad diem in Ægyptiorum anno vago quæſitum, diei dato reſpondentem. Cur enim ejus conditor illud ab anno Philippi 461°, Auguſti 167° repetiiſſet, ſi nullæ obſervationes in illo intervallo factæ, quarum tempus juxta fixam anni formam deſignatum erat, aut nulla Phænomena eo modo annotata erant, aut nullus alius fixæ anni formæ apud Aſtronomos uſus obtinuerat. Tum enim etiam nulla ejuſmodi reductione opus fuiſſet, & uſus Tabulæ tam alte repetitæ periret.

3° Dodwellus aliam hujus rei reddit rationem in Prolegom. §° IX, in initio, ubi ſic ſcribit: *Quod ſi quis quærat cur Faſtos noſtros Theon ab anno Domini CXXXVIII inceperit, nos illam putamus fuiſſe rationem, quod inde repetendum cenſuerit anni magni Canicularis exordium. Id diſcimus e Cenſorino, &c.* Atque ea occaſione fuſe agit *de anno magno Caniculari*, & *de tempore ortus Caniculæ*, aliiſque eo pertinentibus §° IX—XIX. ubi eruditionis ſuæ Theſauros explicat Dodwellus. In his quædam occurrunt, quæ examinari merentur, & imprimis ratio illa, ob quam Theon Faſtos ſuos, judice Dodwello, inde exorſus ſit.

F.

Locus Cenſorini de magno anno Caniculari, & hujus anni initio examinatur.

1° Verba *Cenſorini C. XXI, de Die Natali* hæc ſunt. *Horum* (annorum Nabonaſſari, & Philippi, quorum tunc erat annus Nabonaſſari quidem 986us, Philippi vero 562us) *initia ſemper a primo die menſis ejus ſumuntur, cui apud Ægyptios nomen eſt Thoth: quique hoc anno* (quo Conſules erant Ulpius & Pontianus) *fuit ante diem VII Kal. Jul., cum abhinc annos centum, Imperatore Antonino Pio II. & Bruttio præſente Coſſ. iidem dies fuerint ante diem XII Kal. Auguſti, quo tempore ſolet Canicula in Ægypto facere exortum. Quare ſcire etiam licet anni illius magni, qui, ut ſupra* (C. XVIII) *dictum eſt, & Solaris, & Canicularis, & Dei annus vocatur, nunc agi vertentem annum centeſimum.*

2° Hic Cenſorini libellus, qui inſcribitur: *De Die Natali, ad Q. Cerellium*, ad hunc Q. Cerellium *Natalitii titulo* a Cenſorino miſſus fuit, ut

ut in præfatione dicitur. Cum itaque hic libellus ſit donum natalitium Q. Cerellio in ipſo ejus die natali a Cenſorino oblatum, congruum eſt, ut Capite XXI° in quo ille annus, in quem hic Q. Cerellii dies natalis incidebat, juxta varias Æras ſeu Epochas deſignatur, non tantum ipſum annum Romanum, ſed etiam hujus anni Romani menſem & diem, in quem hic Q. Cerellii dies natalis incidebat, in animo habuerit, & in comparatione annorum, qui non ab eodem, cum Romano anno, initio procedunt, conſideraverit Cenſorinus; ita ut omnes illi anni, qui hoc Capite XXI° memorantur, & diverſum ab anno Romano initium habent, concipiendi ſint, ut eo tempore, ſeu eo die, quo Q. Cerellii dies natalis cadebat, jam labentes, vel adhuc labentes. Dolendum autem, quod Cenſorinus non indicaverit in quem menſis Romani diem Q. Cerellii dies natalis incurrebat. Saltem ego id in hoc libello deprehendere non potui. Quia autem jam labebatur annus Olympiadicus, *ex diebus æſtivis*, & annus Nabonaſſari atque Philippi, *ex ante diem VII Kal. Jul.*, hoc eſt, *ex die menſis Junii* 25° : & adhuc labebatur annus Auguſtorum Ægyptiacus CCLXVII^{us} (juxta vulgatam apud Cenſorinum lectionem) *qui* (utpote fixus) præcedenti anno Romano *ex die menſis Auguſti* 29° *inierat*, & hoc anno in die menſis Auguſti 28° terminabatur, ſequitur, ex hypotheſi ſupradictâ, Q. Cerellii diem natalem poſt dies æſtivos, quando Agon Olympicus celebratur, & ante menſis Auguſti diem 29um, intercurriſſe. Vide quæ notavimus ſupra, §° 11°. Lit. N. Obſerv. 7ª.

3° Totius Computi, hoc in Cenſorini loco, baſis, ſeu, ut ipſe dicit, *velut Index & Titulus quidam eſt*, *Ulpii & Pontiani Conſulatus*, qui ſignat annum Æræ Vulg. Chriſti 238um.

Hoc agnoſcit Dodwellus, §° X. conſentiente Petavio, Bucherio aliiſque. Et ex hoc ipſo Cenſorini loco confirmatur, quia cum hoc Conſulatu componitur annus Julianus 283us, ex Kal. Jan. procedens, & annus U. C. 991us, ex parilibus, & annus ab Olympiade primâ 1014us, ex diebus æſtivis, quando Agon Olympicus celebratur. Ita, ut annus U.C. 991us, & annus ab Olympiade prima 1014us inierint ſub hoc Conſulatu Ulpii & Pontiani, labente anno Juliano 283°. Vide Petavii Chronicon.

Hoc anno, quo Conſulatum geſſerunt Ulpius & Pontianus, *fuit* (ut dicit Cenſorinus) *primus dies menſis Thoth anni Nabonaſſari* 986^{ti}, *& Philippi* 562^{di}, *ante diem VII Kal. Jul.* hoc eſt, die Junii 25°. Adeoque ſub his Conſulibus, labente anno Juliano 283° iniit quoque annus Nabonaſſari 986^{ti}, & Philippi 562^{di}, & quidem ex die menſis Junii 25°.

Unde

Unde etiam confirmatur *Ulpium & Pontianum* fuiſſe Conſules anni Æræ Vulg. Chriſti 238^{vi}.

4° *Scire licet* (inquit Cenſorinus) *nunc* (hoc eſt, hoc anno, quo Conſules ſunt Ulpius & Pontianus, & quidem hoc hujus anni die, in quem Q. Cerellii dies tuus natalis incurrit) *agi magni anni Canicularis vertentem annum centeſimum.*

Hinc itaque oritur talis annorum concurſus:

	labente	ineunt		& init	
	a Kal. Jan.	a VII Kal. Jul.		ab eodem die	
	anno	annus &	annus	annus	
	Chriſti	Nabon.	Philippi	Canicularis	
	238°	986us	562us	100us	
aufer	99	99	99	99	annos
	139°	887us	463us	1us	
	labente	ineunt		init	
	a Kal. Jan.	a XIII Kal. Aug. ſeu die Julii 20°.		ab eodem die.	

5° Cenſorinus facit magni anni Canicularis annum primum inire *ſub Conſulatu Imperatoris Antonini Pii II. & Bruttii præſentis*; qui Conſules fuere anno Æræ Vulg. Chriſti 139°, teſte Petavio, aliiſque, & conſentiente Dodwello, §° XVII, in initio, & §° X. in medio.

Quod etiam cum ſuperiori calculo convenit, in quo, labente anno Chriſti 139° *annus Canicularis primus initium ſumit.*

Adeoque illa Cenſorini verba: *abhinc annis centum*, idem valent, ac *ab hoc anno incluſive, anno centeſimo.* a Conſulatu enim *Ulpii & Pontiani*, qui ſignant annum Chriſti 238um, uſque ad Conſulatum *Imperatoris Antonini Pii II, & Bruttii præſentis*, qui ſignant annum Chriſti 139^{num}, numerantur terminis incluſis *anni centum.* Unde etiam dixerat illius anni magni Canicularis, qui Antonino Pio Aug. II. & Bruttio præſente Coſſ. cœperat, *agi nunc* Ulpio & Pontiano Coſſ. *annum vertentem centeſimum.*

6° Cenſorinus (ſi vulgatam ſequamur Lectionem) facit magni anni Canicularis annum primum inire ex ante diem XII Kal. Aug., hoc eſt, ex die Julii 21°. Dicit enim, *quod iidem dies*, dies ſcilicet primus menſis Thoth anni Nabonaſſari, & dies primus menſis Thoth anni Philippi, *qui hoc anno, Ulpio & Pontiano Coſſ. erant ante diem VII Kal. Jul.*, hoc

eſt,

eſt, Junii 25°, *abhinc annos centum, Imperatore Antonino Pio II. & Bruttio præſente Coſſ. fuerant ante diem XII Kal. Aug.* hoc eſt, die menſis Julii 21°.

Quod cum calculo, ſupra N° 4° propoſito, non convenit; ibi enim, ut vidimus, annus Canicularis primus init ante diem, non XII, ſed XIII Kal. Aug.

Neque etiam hæc duo ſimul conſiſtere poſſunt, quod nempe menſis Thoth dies primus anno Chriſti 238°, in diem VII ante Kalendas Julias, hoc eſt, diem Junii 25um, & anno Chriſti 139°, in diem XII ante Kalendas Auguſti, hoc eſt, diem Julii 21um, inciderit. Nam anno Chriſti 238° dies menſis Thoth primus in menſis Junii diem 25um incurrit, & quidem (quod notandum) tertia vice, adeoque anno Chriſti 139° menſis Thoth dies primus in menſis Julii diem 20um inciderat, & quidem (quod notandum) quarta vice. (Thoth enim vagus, unoquoque quadriennio, locum in anno Juliano mutat, & uno die ad anteriora relabitur.) Et proinde menſis Thoth, dies primus, quarta vice, in diem Julii 21um inciderat anno Chriſti 135°, & prima vice anno Chriſti 132°. Annus autem Chriſti 135us Conſulatum Antonini Pii Aug. II. & Bruttii præſentis quatuor annis antecedit. Hæc in Petavii Chronico ad oculum videre licet, & ex ipſius Theonis calculo confirmari poſſunt. (Non autem ex illo, quo Dodwellus, §° X, utitur, calculo, qui tamen caſu hoc in loco non fallit.)

Hinc patet, illud XII Kal. Aug., quod eſt Julii XXI, erroneum eſſe, & nullo modo retineri poſſe, ſed legendum eſſe XIII Kal. Aug., quod eſt Julii XX.

Hic error autem, meo judicio, minime Cenſorino tribuendus (eſt enim error, proprie loquendo, non unius diei, ſed quatuor annorum) ſed Librariis, quibus facilis lapſus eſt, pro XIII, ſcribere XII.

7° Cenſorinus addit, *quod eo tempore* (hoc eſt, ut vidimus XIII Kal. Aug., quod eſt Julii die XX°) *ſoleat Canicula in Ægypto facere exortum*: Nam illud, *quo tempore* videtur idem valere ac *quo die*. Hoc enim initium anni primi, illius magni anni Canicularis, huic diei, hoc in loco, affixum, requirere videtur. Confer Cenſorini Cap. XVIII. p. 130. ubi dicit, *annum magnum Canicularem initium ſumere, cum primo die menſis Thoth Caniculæ ſidus exoritur*.

Ptolemæus autem in ejus Libro de Apparentiis inerrantium Stellarum, Caniculæ exortum refert ad menſis Epiphi diem XXVII, anni Ægyptiaci fixi, qui eſt in anno Jul. XII. Kal. Aug. hoc eſt, Julii XXI. Vide Dodwell. §° XVI.

Ut

Ut Ptolemæum cum vera Cenſorini lectione qua Caniculæ exortus ad diem Julii XX^um^ refertur, conciliet Dodwellus, ſolutionem tentat ex diverſo diei initio, apud Romanos a media nocte, apud Ptolemæum & Aſtronomos vero a meridie. Ita ut, Romanis numerantibus a media nocte diem Julii XX^um^, Ptolemæus & Aſtronomi ab eâ, quæ hanc noctem ſequitur, meridie numeraverint jam diem Julii XXI^um^. §° X, in fine. Sed, ni ego fallor, fallitur Dodwellus, non enim, ut puto, Ptolemæus, & qui eum ſequuntur initium diei anticipant, ſed protrudunt; ita ut numerantibus Romanis a media nocte diem Julii XX^um^, & Ægyptiis, in uſu civili, ab eo, qui hanc noctem ſequitur, ortu Solis diem Julii XX^um^, Aſtronomi ab ea, quæ hanc noctem, & hunc ortum Solis ſequitur, meridie numeraverint, non Julii diem XXI^um^, ſed itidem Julii diem XX^um^. (Confer Theonis fragmentum §° 5° circa finem.) Quod conciliationis difficultatem auget. Præterea & hoc notandum, quod Ptolemæus in dicto de apparentiis inerrantium ſtellarum libello, utatur fixa anni forma in uſu civili recepta, & menſibus fixis, & diebus civilibus cum horis temporalibus; adeoque in hoc parapegmate diem non ordiatur, ut mihi videtur, a meridie. Sed ipſe quoque Dodwellus, aliam tamen ob cauſam, hanc ſolutionem rejicit. Confer Petavium in Auctario, L. 5. C. 6. & Salmaſium in Solinum p. 303.

8° Nos illam de tempore ortus Caniculæ quæſtionem aliis dijudicandam relinquimus, & ſolummodo notamus

Solinum in Polyhiſtore C. XXXII. p. 43. *ortum Caniculæ*, ut videtur, ponere, *inter tertium decimum Kalendas Auguſtas & undecimum*. Quod cum vitioſa apud Cenſorinum Lectione convenit: quanquam ipſa Solini expreſſio, ficut ſingularis eſt, ita etiam majorem, quam Cenſorini, latitudinem habere poſſe videtur. Integrum Solini locum adducit Dodwellus, §° 13.

Porphyrius autem de antro Nympharum, Caniculæ ortum non ad præciſum anni diem refert, ſed Caniculæ ἀνατολὴν Ægyptiis eſſe ἀρχὴν ἔτους clare indicat. Νουμηνία ipſi non eſt Novilunium, ſed primus menſis Ægyptii (Thoth) & anni dies. Verba ejus hæc ſunt: Αἰγυπτίοις δὲ ἀρχὴ ἔτους, οὐχ ὑδροχόος, ὡς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ καρκίνος. πρὸς γὰρ τῷ καρκίνῳ ἡ σῶθις, ἣν κυνὸς ἀστέρα Ἕλληνες φασί. νουμηνία δ' αὐτοῖς ἡ σώθεως ἀνατολὴ, γενέσεως κατάρχουσα τῆς εἰς τὸν κόσμον. Quæ ita interpretatur L. Holſtenius; *Ægyptiis vero principium anni non Aquarius, ut apud Romanos, ſed Cancer. Nam prope Cancrum eſt Sothis ſtella, quam Græci Canem vocant. No-*

nilumium autem ipſis exortus Sothis, quod generationis principium in mundo ſit. Vide Dodwellum §° IX.

Ipſe *Theo in Scholiis in Aratum*, editionis (ut dicit Dodwell. §° XII) Oxonienſis, p. 22.) dicit, quod *Caniculæ* ἐπιτολὴν ἀρχὴν ἔτους [illegible]. integrum locum profert Dodwellus, dicto §° XII.

Cenſorinus quoque in fine dicti capitis XXI^mi hæc ſubjungit: *Multis a Canis exortu, incipere annus naturalis videtur.*

Solinus, loco ſupra citato, dicit, *Sacerdotes* (Ægyptios) *illud tempus Natalem Mundi judicaſſe*; *id eſt, inter tertium decimum Kalendas Auguſtas & undecimum.* De quo vide Dodwellum §° XIV.

Confer quoque Horapollinem in Hieroglyphicis L. I. C. 3. & C. 5.

9° Sufficit nobis, quod ex hoc Cenſorini loco conſtet, quid de magni anni Canicularis initio ſenſerit Cenſorinus.

Nempe anni magni Canicularis annum primum initium ſumere, *ſub Conſulatu Antonini Pii Aug. II. & Bruttii Præſentis* (labente anno Æræ Vulg. Chriſti 139° ; ab anno Nabonaſſari 887° ; & Philippi 463°) *ex ante diem XIII Kalendas Auguſtas*; hoc eſt, die menſis Julii XX°.

Et *ſub Conſulatu Ulpii & Pontiani*, labente anno Æræ Vulg. Chriſti 238° , & anno Juliano 283° ; ab anno Nabonaſſari 986° & Philippi 562° ; *ex ante diem VII Kalendas Julias, agi illius magni anni Canicularis annum vertentem centeſimum.*

Hæc enim ex ipſo Cenſorini loco, & ex ſupradictis certiſſima ſunt.

G.

De Theonis Κανονίῳ, *quod nomine Faſtorum venit, an illud inde inceperit, unde repetendum cenſebat magni anni Canicularis exordium.*

1° Hæc, ut ſupra jam monuimus, eſt Dodwelli ſententia. Sic enim ſcribit, §° IX° in initio: *Quod ſi quis quærat cur Faſtos noſtros Theon ab anno Domini CXXXVIII° inceperit, nos illam putamus fuiſſe rationem, quod inde repetendum conſuevit anni magni Canicularis exordium. Id diſcimus e Cenſorino, de Die Natali, C. XXI°.* Quem locum ſupra, Lit. F. vidimus.

Certum eſt in Faſtis Theonis primum par Conſulum eſſe *Antoninum Pium, & Camerinum.* (pro quibus Petavius habet Sulp. Camerinum & Q. Nigrum Magnum) & hos Conſules ſignare annum Domini 138um extra dubium eſt.

Ex

Ex Cenſorino autem didicimus, annum magnum canicularem exordium ſumere ſub Conſulatu *Antonini Pii Aug. II.*, *& Bruttii Præſentis*, adeoque labente anno Domini 139°, *ex ante diem XIII Kal. Aug.* & hoc par Conſulum in Faſtis Theonis non primo, ſed ſecundo loco occurrit, & ſignat annum Chriſti 139um.

Adeoque Theon non ab eodem, quo Cenſorinus, anno exordium anni magni canicularis repetit. Si verum eſt, quod putat Dodwellus, Theonem Faſtos ſuos inde incepiſſe, unde repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium. Atque inde contra Dodwelli ſententiam magnum oritur præjudicium.

Dodwellus, qui hunc Theonis a Cenſorino diſſenſum animadverterat, ſic ſcribit, §° XVII. *Diſcrepare tamen uno anno videtur in Faſtis ſuis Theon ab illa ſupputandi ratione quam etiam Conſulibus notavit Cenſorinus. Faſti Theonis ab illis Conſulibus incipiunt, quorum Conſulatu deceſſit Hadrianus, ſucceſſit Antoninus Pius, videlicet anno Dom. CXXXVIII. Incipit Cenſorinus a Conſulibus ſequentibus anni Domini CXXXIX, in illum enim annum incidit Antonini Conſulatus* II^{us}, *cum Bruttio Præſente.*

Ut autem hanc difficultatem tollat, & Cenſorinum cum Theone conciliet, ſuamque de Faſtorum Theonis initio tueatur ſententiam, varia congerit.

a. Primo obſervat, *quod integro quadriennio, ab anno Chriſti 136° ad* 139um *vagi Thoth Neomenia incurrat in diem Julii* XX^{um}. Atque inde concludit, eodem redire, *quod attinet diem ex quo* annus magnus Canicularis init, ſeu hoc Theonis anno (Chriſti 138°) ſeu illo potius Cenſorini (Chriſti 139°) hanc novam Epocham incepiſſe dicamus. Quia ſcilicet Thoth anni vagi æque anno Chriſti 138° ac anno Chriſti 139° in diem Julii XX^{um} incurrit. Docet itaque hæc Dodwelli obſervatio contra ſuam de Faſtorum Theonis initio ſententiam, nullam ex die, quo annus magnus Canicularis exordium ſumere debebat, difficultatem moveri poſſe.

b. Secundo, quia hæc obſervatio diſſenſum in anno inter Cenſorinum & Theonem non tollebat, addit, *quod aliunde quærenda ſit illius difficultatis ſolutio, quod diverſis Conſulibus hujus magni Cycli initium ſignarit noſter Theon atque Cenſorinus. Erit autem* (ſic pergit) *& illa expedita, ſi de annis abſolutis Cenſorinum, de inchoatis noſtrum* (Theonem) *intelligamus, ut ſecundus Antonini cum Bruttio Præſente Conſulatus, ſit hujus Cycli primus abſolutus, ſecundus inchoatus; Ulpii etiam & Pontiani Conſulatus ejusdem Cycli ſit abſolutus equidem centeſimus, inchoatus autem centeſimus primus.*

Fateor, hæc Dodwelli ſolutio eſt expedita, ſed tamen, meo judicio, a verbis Cenſorini ita aliena, ut mirer virum doctiſſimum ita hypotheſi ſuæ, abſque ulla probatione aſſumptæ, voluiſſe ſervire. Si enim mihi aliunde conſtaret, Theonem Κανόνιον ſuum inde incepiſſe, unde repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium; ego potius ingenue faterer Cenſorinum erraſſe, & anni magni Canicularis exordium ſerius quam oportuit, collocaſſe, quam ut Cenſorino ejusmodi calculum, a verbis ipſius plane alienum tribuerem. Perpende enim quæſo ipſa Cenſorini verba: *Primus dies menſis Thoth, a quo annus Nabonaſſari* 986us *& Philippi* 562us *initia ſumunt, fuit hoc anno, quo Conſulatum gerunt Ulpius & Pontianus, ante diem VII Kal. Jul. cum abhinc annos centum, Imperatore Antonino Pio II. & Bruttio Præſente Coſſ. iidem dies fuerint ante diem XII (XIII) Kal. Auguſt. quo tempore ſolet Canicula in Ægypto facere exortum. Quare ſcire etiam licet, anni illius magni, qui Canicularis vocatur nunc (hoc anno, quo Conſulatum gerunt Ulpius & Pontianus, & hoc hujus anni die, quo tuus Q. Cerelli incidit dies Natalis) agi vertentem annum centeſimum.* Et conſidera, an Cenſorinus (quod vult Dodwellus) *de annis abſolutis* poſſit intelligi, ita ut Antonini Pii Aug. II., & Bruttii Præſentis Conſulatus ſit anni magni Canicularis annus primus *abſolutus*, ſecundus *inchoatus*, hoc eſt, *ut ſub hoc Antonini Pii Aug. II., & Bruttii Præſentis Conſulatu, inceperit ex ante diem XIII Kal. Aug. anni illius magni Canicularis annus, non primus, ſed ſecundus:* adeoque anni illius magni Canicularis exordium cadat non in illum annum Julianum & Æræ Vulg. Chriſti, quo Antoninus Pius Aug. II. & Bruttius Præſens Conſules fuere, ſed in præcedentem annum. Præterea, ita ut Ulpii etiam & Pontiani Conſulatus ſit ejusdem anni illius magni Canicularis annus quidem centeſimus *abſolutus*, centeſimus primus autem *inchoatus*. hoc eſt, *ut ſub Ulpii & Pontiani Conſulatu inceperit ex ante diem VII Kal. Jul. anni illius magni Canicularis annus non centeſimus, ſed centeſimus primus*: Adeoque ſcire etiam licebat anni illius magni, tunc *non* agi vertentem annum centeſimum, ſed annum centeſimum jam *exactum* & *evolutum* eſſe, & contra *agi vertentem* annum centeſimum primum. Conſideret hæc Lector, & judicet an Cenſorinus ita poſſit intelligi.

c. Tertio, Dodwellus tamen, ut ſententiæ ſuæ probabilitatem quandam conciliaret, ita pergit: *Id quod admodum ſane veriſimile eſt. Cum enim in fixo anno Juliano fixam etiam Caniculæ, in qua oriretur, ſedem conceſſiſſent, toto etiam illo quadriennio, quo in eundem fixi anni Juliani diem idem vagi menſis Ægyptiaci dies incideret, eodem etiam menſis*

Ægyp-

Ægyptiaci die oriri Caniculam, erat omnino, pro Kalendarii ratione, conſentaneum. Cur igitur ultimum quadriennii annum potius quam alium e tribus anterioribus quemvis eligerent? Ultimum appello propterea quod anno ſequenti Domini CXL° jam intercalato VI° Epagomenων mutabat Neomenia Thoth ſedem in anno Juliano.

Dodwellus his in verbis (ſi ea recte percipio) primo aliquid aſſumit, quod ſpectat ortum Caniculæ. Nempe Caniculæ ortus fixam in anno fixo Juliano ſedem accepit diem ſcilicet Julii XX^um^; qui eſt ante diem XIII Kal. Aug. Thoth vagus toto quadriennio in hunc diem Julii XX^um^ incurrit, anno ſcilicet Chriſti 136, 137, 138, 139. Anno autem Chriſti 140° Thoth vagus mutat locum in anno Juliano, & in diem Julii XIX^um^ incipit incurrere. Quæ vera ſunt, ut in Petavii Chronico videre licet. Inde autem, ut videtur, aſſumit etiam toto illo quadriennio Caniculæ ortum fieri in die Junii XX° & ſimul in die primo menſis Thoth anni vagi: ac proinde anni illius magni Canicularis exordium in unoquoque illius quadriennii anno collocari poſſe. Quod ultimum non ita facile conceſſerim, ſed de eo agam infra.

Deinde, & quidem merito, quærit, *cur igitur ultimum quadriennii annum potius, quam alium e tribus anterioribus quemvis eligerent!* Supponit eos, qui pro arbitrio quemvis hujus quadriennii annum eligere poterant, rationem habuiſſe quare unum præ altero elegerint. (Concedo eos, qui relicto primo quadriennii anno, unum ex tribus reliquis elegerunt, hujus rei rationem habuiſſe.) Supponit porro, nullam rationem dari poſſe, cur ultimum quadriennii annum elegiſſent, quod tamen feciſſent, ſi anni magni Canicularis exordium collocaſſent ſub Antonini Pii Aug. II. & Bruttii Præſentis Conſulatu, labente anno Chriſti 139°, in die Julii XX°. Et contra, prægnantem poſſe dari rationem, quare anni magni Canicularis exordium uno anno citius collocarint ſub Conſulibus præcedentibus, labente anno Chriſti 138°, in die Julii XX, & ſic tertium quadriennii annum elegerint: nempe *initium Imperii Antonini Pii.*

Atque hoc fundamento judicat Dodwellus, quod *admodum veriſimile* ſit, Cenſorinum eo, quo dixerat, modo eſſe intelligendum, & cum Theone conciliandum.

d. Quarto, propterea Dodwellus ita concludit: *Eſt itaque omnino veriſimile in honorem Antonini Pii novam hanc ab Ægyptiis inſtitutam eſſe Epocham, atque adeo ab ejusdem eſſe imperio numerandam.*

Hanc novam Epocham, ſeu hoc novum anni magni Canicularis exordium in honorem Antonini Pii eſſe inſtitutum, etiam mihi veri-

ſimile videtur. & quæ Dodwellus 5° XVIII profert, conſiderationem merentur. rationes meas dabo infra.

Sed inde ſequi hanc Epocham ab Antonini Pii Imperio eſſe numerandam, nego: quia a Cenſorino anni magni Canicularis exordium collocatur ſub Antonini Pii Aug. & Bruttii Præſentis Conſulatu, labente anno Chriſti 139°, in die Julii XX°. Et nihilominus hæc Epocha in gratiam & honorem Antonini Pii potuerit inſtitui.

e. Quinto addit Dodwellus: *Ita omnia convenient ad amuſſim. Ut enim anno $CXXXVIII^{o}$ deceſſiſſe Hadrianum, ſucceſſiſſe Antoninum, probavit feliciſſime Cl. Pagi; ita primum illum Antonini & reliquos deinceps in Æra Nabonaſſari ita numerare Ptolemæum, & apud omnes in confeſſo eſt . . . & e noſtris conſtabit in illum Canonis Ptolemæi locum annotationibus. Nempe annos duntaxat inchoatos numeravit Ptolemæus. Quis autem dubitet numeros Ptolemæi ſuorum etiam fuiſſe numeros Ægyptiorum. Ita ſcilicet magni habebatur ſe in natalem Antonini, non equidem diem, ſed ſaltem annum & menſem, ſi a morte Hadriani ejus Imperium exordiamur, etiam Mundi Natalis incideret, & ab eo uſque exordio tanta illa futurorum in tanto Cyclo annorum ſeries eſſet numeranda.*

Hæc omnia eo ſpectant, ut oſtendat Theonis Faſtos incipere ab Imperio Antonini Pii, adeoque inde incipere, unde repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium.

Eum in finem obſervat, anno Chriſti 138° deceſſiſſe Hadrianum, ſucceſſiſſe Antoninum. Sic etiam primum par Conſulum, quod in Faſtis Theonis occurrit, ſignat annum Chriſti 138um.

Addit: *Ptolemæum ita primum illum Antonini & reliquos deinceps numerare in Æra Nabonaſſari, ut ex ejus Canone patet.* Quod ſi hoc velit Dodwellus, Ptolemæum ita annos Imperii Antonini Pii numerare, ut ejus annum primum deducat ex die Julii 20° anni Chriſti 138^{vi}, (quod connexio cum verbis immediate præcedentibus videtur requirere) tum anno ſolido aberrat. de quo in ſequentibus agam. Sin vero hoc velit, Ptolemæum annos Imperii Antonini Pii ita in Canone ſuo numerare, ut Antonini annum primum componat cum anno Æræ Nabonaſſari 885°, Philippi 461°, Auguſti 167°. Atque itidem in Faſtis Theonis, in primo ςίχῳ, ſeu verſu, vel linea, ad Conſules anni Chriſti 138^{vi} adponi annum (Nabon. 885um,) Philippi 461um, Auguſti, 167um. Adeoque *Faſtos*, ſeu potius Κανόνιον Theonis incipere ab Antonini Pii anno primo. Verum dicit Dodwellus, & hoc ſcopus ejus requirebat.

Quid

Quid autem ſibi velint illa, quæ ſequuntur, Dodwelli verba, *nempe annos duntaxat inchoatos numeravit Ptolemaus*, non ſatis perſpicio. Videtur hoc velle, quod Ptolemæus annum Nabonaſſari 885um numeret Antonini primum, licet Antonini annus primus cum anno Nabonaſſ. 885° non ambulet pari paſſu, ſed illo anno Nabon. 885° labente demum inchoetur, & ſic porro deinceps reliqui anni Antonini. Quod verum eſt. Sed quorſum non video. Difficultatem aliquam videtur vidiſſe, ex qua tamen ſe extricare non potuit.

Quis autem dubitet (inquit) *numeros Ptolemæi ſuorum etiam fuiſſe numeros Ægyptiorum.* Hoc vult, neminem poſſe dubitare, quin Ægyptii annos Imperii Antonini eodem modo numeraverint ac Ptolemæus; adeoque annum Nabon. 885um, Philippi 461um, Auguſti 167um ab Ægyptiis, æque ac Ptolemæo, numerari annum Antonini Pii primum. Quod ſi hic reſpiciat Theonem Alexandrinum, aliosque Aſtronomos Ægyptios, qui illo Canone Regum aſtronomico utebantur; ego etiam non dubito. Sed ſi reſpiciat Ægyptios in genere, & Sacerdotes Heliopolitanos in ſpecie, quibus hujus Epochæ anni illius magni Canicularis inſtitutionem tribuit; res mihi non adeo certa eſt, ut nulla ſuperſit dubitatio. Totum enim illud de Archivis Heliopolitanis, unde hi Theonis Faſti prodierint, negotium probationem requirit.

Ultima hujus pericopæ verba, in quibus hæc occurrit limitatio, *ſi a morte Hadriani ejus* (Antonini) *imperium exordiamur*, ſatis clare, ſi quid video, oſtendunt, Dodwellum rem hic concipere hoc modo: quod Sacerdotes Heliopolitani Natalem Mundi, & anni illius magni Canicularis exordium collocarint in anno Chriſti 138° labente, in die Julii 20°, adeoque in imperii Antonini Pii *anno primo, ejuſque menſe primo. Deceſſit enim Hadrianus, & ſucceſſit Antoninus VI Idus Julii, hoc eſt, die Julii 10° anni Chriſti* 138^vi^. Sed ubi jam ſunt *numeri Ptolemæi, qui etiam procul dubio ſuorum fuere numeri Ægyptiorum.* Certe tum alienum annum ab exceſſu Alexandri & ab Auguſto, ad primum par Conſulum adpoſuit Theon, ſi propterea Faſtos ſuos a Conſulibus anni Chriſti 138^vi^ incepit, quia inde repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium. Sed de eo plura infra N° 2.

N° 2. Dodwellus in illo, quod hactenus vidimus, ratiocinio, non cum debita attentione illud Theonis Κανόνιον conſideravit, quod nomine *Faſtorum* venit. Unde non uno in loco a vero aberravit.

Scopus Theonis in hujus Κανόνιου compoſitione proprie non fuit, ut *Faſtos Conſulares* ederet, ſed ut Tabellam expeditam exhiberet in uſum

Aſtrono-

Aſtronomorum, cujus ope, facili & expedita methodo, quivis dies in anno ab Auguſto fixo datus reduci poſſit ad diem in eodem anno, ab Auguſto vago quæſitum, diei dato reſpondentem.

Adeoque in illo Κανονίῳ non tantum conſiderandi ſunt Conſules, atque anni Chriſti, quibus hi Conſulatum geſſerunt, ſed etiam, & quidem imprimis, conſiderandi ſunt anni Philippi ſeu a morte Alexandri, & anni ab Auguſto, qui ad ſingula Conſulum paria adponuntur.

Idque imprimis eo in caſu neceſſarium erat, ubi quæſtio erat de anni magni Canicularis exordio, qui non a Kal. Jan., a quibus annum Conſulatus ſui auſpicantur Conſules, ſed a primo die menſis Thoth vagi exordium ſumit. Et quidem in ſpecie ubi quærebatur, an Theo hoc ſuum Κανόνιον inde inceperit, unde repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium. Quod tamen Dodwellus non fecit, qui de anno Philippi & Auguſti, a quo Theonis Κανόνιον incipit, nihil ſollicitus, tantum primum par Conſulum, & annum Chriſti, quo hi Conſulatum geſſerunt, conſideravit.

Præterea quam maxime etiam conſiderandum eſt, qualis inter annos Conſulares, & annos Philippi atque Auguſti, qui in hoc Κανονίῳ ſibi invicem adponuntur, obtineat concurſus. Cum enim Thoth vagus annorum Philippi & Auguſti, in prioribus Κανονίȣ annis, in menſem Julium incurrat, anni vero Conſulares ſemper a Kalendis Januariis initium ſumant; clarum eſt annos Philippi atque Auguſti cum duplici Conſulatu, ſeu anno Conſulari, adeoque etiam cum duplici anno Chriſti, ſed diverſimode concurrere. Nempe anni Philippi atque Auguſti ineuntes ex menſe Julio, circa medium anni Juliani, parte ſua priore concurrunt cum parte poſteriori illius anni Conſularis & Chriſti, quo labente initium ſumunt; parte vero ſui poſteriore concurrunt cum parte priore ſequentis anni Conſularis & Chriſti, qui illo anno Philippi atque Auguſti labente a ſequentibus Kalendis Januariis init. Certiſſimum autem eſt ad annos Philippi, atque Auguſti adponi in hoc Κανονίῳ illa paria Conſulum, qui ſignant illum annum Chriſti, non quo labente anni Philippi atque Auguſti initium ſumunt, ſed cum quo anni Philippi atque Auguſti parte ſui poſteriore a Kalendis Januariis concurrunt. Exempli gratia, in hujus Κανονίȣ, verſu primo, ſeu lineâ prima, ponitur par Conſulum, qui ſignant annum Chriſti 138um, & his Conſulibus adponuntur annus Philippi ſeu a morte Alexandri 461us, atque annus ab Auguſto 167us, ineuntes ambo ex die Julii 20o. Sed hi anni Philippi 461us atque Auguſti 167us, non ineunt ſub his Conſulibus, ex die Julii 20o anni Chriſti 138vi,

verum

verum ſub præcedentibus Conſulibus, ex die Julii 20° anni Chriſti 137^{mi}, & demum a ſequentibus Kalendis Januariis cum anno Chriſti 138°, & his Conſulibus, qui annum Chriſti 138um ſignant, concurrere incipiunt. Hæc utpote indubitata, non egent probatione. & quivis in Chronico Petavii, Calviſii, aliorumque, id explorare poterit, modo noverit annum Philippi 461um & Auguſti 167um eſſe Nabonaſſari 885um, & licet ipſe Dodwellus hoc non ignoraverit, non videtur tamen hoc in loco id ſatis conſideraſſe.

Si autem quis quærat, cur Theo Conſules hoc, & non altero modo, cum annis Philippi atque Auguſti connectat. Reſpondeo, rei plane arbitrariæ rationem quæri non debere. Præterea hujus rei hanc reddo rationem, quæ ex ſcopo & uſu hujus *Κανόνος* petita eſt, quod Conſules qui ad annos Philippi & Auguſti in hoc *Κανόνι* adponuntur, cum annis ab Auguſto fixis, a menſis Auguſti die 29° ordinarie ineuntibus, majori ſui parte, per octo menſes concurrunt; cum, ſi altero modo rem ordinaſſet, duntaxat per quatuor menſes concurrerent. Dies autem, qui proponitur in uſu hujus *Κανόνος*, proponitur in anno Auguſti fixo, ut ope hujus *Κανόνος* reducatur ad diem in anno vago, diei propoſito reſpondentem.

His præmiſſis, pergo ad errores Dodwelli detegendos.

a. Primo, Dodwellus §° IX°, in initio. Quæſtionem de hujus *Κανόνος* principio, non recte proponit. *Quærit enim cur Faſtos Theon ab anno Domini CXXXVIII°, inceperit.* & *reſpondet, nos illam putamus fuiſſe rationem, quod inde repetendum cenſuerit anni magni Canicularis exordium.*

An hoc Theonis ſcriptum nomine *Faſtorum* inſigniatur, ut a Dodwello fit, an vero a potiori parte, & a primario ſcopo *Κανόνιον* vocetur, ut a me fit, perinde erit, modo idem Theonis ſcriptum intelligatur.

In hoc Theonis ſcripto, in primo verſu, ſeu in prima linea occurrit par Conſulum, qui ſignant annum Chriſti 138um, de quo nullum dubium eſt. Sed in eodem primo verſu, his Conſulibus adponitur annus Philippi 461us, & annus Auguſti 167us, qui, ut anni Ægyptiaci vagi, ineunt ex die Julii 20° anni Chriſti 137^{mi}, & a ſequentibus Kalendis Januariis cum illo Conſulatu anni Chriſti 138^{vi} concurrunt: quod etiam certiſſimum eſt.

Cum itaque quæritur unde Theo hoc ſuum ſcriptum inceperit; non dicendum ab anno Chriſti 138° ſeu ab illis Conſulibus, qui Conſulatum ſuum geſſerunt anno Chriſti 138°, niſi quis erronée putet annum Philippi 461um & Auguſti 167um ſub his Conſulibus, labente illo anno Chri-

ſti 138° initium ſumere. Sed dicendum eſt, hoc Theonis ſcriptum incipere ab anno Philippi 461° & Auguſti 167° qui, ut anni Ægyptiaci vagi, ineunt ex die Julii 20° anni Chriſti 137^{mi}; & a ſequentibus Kalendis Januariis cum anno Chriſti 138°, & hujus anni Conſulatu, concurrunt. (Quod Dodwellus, ut mihi videtur, non ſatis conſideravit.)

Cum porro *quæritur, an ſcriptum ſuum Theon inde inceperit, unde repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium.* (Quæ quæſtio ex Dodwelli reſponſione naturaliter naſcitur.) Tum certe quæſtio non verſatur circa primum, quod in hoc ſcripto occurrit, par Conſulum, ſed circa primum, qui in hoc ſcripto occurrit, annum Ægyptiacum vagum. Magnus enim annus Canicularis conſtat annis Ægyptiacis vagis, & anni magni Canicularis annus primus initium ſumit, cum, primo die menſis Thoth anni vagi Caniculæ ſidus exoritur, (ut dicit Cenſorinus de Die Nat. C. 18.) quod ſtatuebant fieri die Julii XX°. Adeoque, tum hæc erit quæſtio, an annus Philippi 461us & Auguſti 167us, qui ineunt ex die Julii 20°, quo Caniculæ ſidus exoriebatur, ſit anni magni Canicularis annus primus: & Dodwellus qui (ut videtur) affirmativam tuetur, debet annum Philippi 461um & Auguſti 167um agnoſcere pro anni magni Canicularis anno primo, ex Theonis ſententia.

Sed dicet forte aliquis, Dodwello licuiſſe, quæſtionem eo, quo volebat, modo proponere. Quod in genere concedo, ſed addo, ei non licuiſſe in quæſtionis propoſitione aliquid ſupponere, quod cum hoc ſcripto Theonis non convenit, & Lectorem in errorem abducit. Dum enim quærit, *cur Theon Faſtos ſuos ab anno Domini CXXXVIII° inceperit?* Supponit illud Theonis ſcriptum ab anno Chriſti 138° incipere, quod certe de anno Philippi 461° & Auguſti 167° verum non eſt: & quis quæſo Lectorum, qui hanc quæſtionem legerit & hoc Theonis ſcriptum inſpexerit, non putabit, Dodwellum ſupponere, quod non tantum illi Conſules Conſulatum ſuum anno Chriſti 138° inierint, ſed etiam ſub his Conſulibus, labente illo anno Chriſti 138°, annus Philippi 461us & Auguſti 167us inierint. Præſertim cum ex Dodwelli reſponſione perſpiciat, hic agi de anni magni Canicularis exordio, ſeu anno primo. Et vehementer dubito, an non ipſe Dodwellus hoc in loco, per imprudentiam id ſuppoſuerit. Si Theo ad hos Conſules anni Chriſti 138^{vi} adpoſuiſſet annum Philippi 462um & Auguſti 168um (quod potuiſſet facere, ſed non fecit) tum hæc quæſtio etiam ita proponi potuiſſet.

At inſtabit forte aliquis, diceretque, Dodwellum loqui, non de toto Theonis ſcripto in ſuo complexu, ſed de Faſtis Conſularibus Theonis in ſpecie,

ſpecie, ſeu illa hujus ſcripti columna, quæ ſeriem Conſulum continet: & Dodwellum quærere, non cur Theon hoc ſcriptum ab anno Philippi 461° & Auguſti 167° inceperit, ſed cur Theon ſeriem Conſulum ab iis inceperit Conſulibus, qui anno Chriſti 138° Conſulatum ſuum geſſerunt. Tum reſponderem, hoc fruſtra dici, quod Dodwellus nomen *Faſtorum* Theonis ita reſtringat, cum totum hoc Theonis ſcriptum ab illa parte, quæ ipſi potior videbatur, nomine *Faſtorum* ab eo inſigniatur, & ſemper illud Theonis ſcriptum hoc nomine *Faſtorum* deſignet, etiam iis in locis ubi non de columna Conſulum, ſed de aliis columnis loquitur, ita §° XXXII, in initio; *quem Cyclum Biſſextorum numerabat in tertia Faſtorum ſuorum* σελίδι *& quarta Theon.* Præterea & hoc adderem, quod ipſa Dodwelli ad hanc quæſtionem reſponſio ſatis clare oſtendit, Dodwellum non ſimpliciter abſque reſpectu ad annum Philippi 461um & Auguſti 167um, ſolummodò quæſiviſſe cur Theon Faſtos ſuos Conſulares a Conſulibus anni Chriſti 138^{vi} inceperit? Nam ſi Theon (ut reſponſio Dodwelli præfert) hoc eam ob rationem fecit, quod *inde* hoc eſt, *a Conſulibus anni Chriſti* 138^{vi}, *repetendum cenſuerit anni magni Canicularis exordium.* Alterutrum dicendum & agnoſcendum erit, nempe, vel Theonem tum quoque ad Conſules anni Chriſti 138^{vi} debuiſſe adponere annum Philippi 462um & Auguſti 168um, & non, ut fecit, annum Philippi 461um & Auguſti 167um. Quo illa ratio, cur Theon Faſtos ſuos a Conſulibus anni Chriſti 138^{vi} inceperit, ab anni magni Canicularis exordio, inde repetendo, deſumpta, plane evertitur. Vel dicendum & agnoſcendum erit, Dodwellum ex inconſiderantia ſuppoſuiſſe a Conſulibus anni Chriſti 138^{vi} repetendum quoque eſſe anni Philippi 461^{mi} & Auguſti 167^{mi} exordium, ex die ſcilicet Junii 20° anni Chriſti 138^{vi}.

b. Secundo, Dodwellus §° 17° in initio, diſcrepantiam inter Theonem & Cenſorinum non recte proponit. Dicit enim Theonem a Cenſorino diſcrepare *uno duntaxat anno*, cum revera inter Theonem & Cenſorinum ſit diſcrepantia *ſolidi biennii*.

Fateor, ſi ſolos ſpectes Conſules, erit inter Theonem & Cenſorinum unius tantum anni diſcrepantia. Cenſorinus enim anni magni Canicularis exordium repetit ab Antonini Pii Aug. II. & Bruttii Præſentis Conſulatu, Theon vero (ex Dodwelli hypotheſi) a Coſſ. anni proxime præcedentis. Cenſorinus ab anno Chriſti 139°, Theon vero ab anno Chriſti 138°.

Sed Dodwellus non animadvertit alium apud Cenſorinum, alium apud Theonem inter annos Conſulares & annos Philippi eſſe concurſum. Quo

videtur confirmari Dodwellum inconſideranter ſuppoſuiſſe annum Philippi 461um exordium ſumere ſub Conſulibus anni Chriſti 138vi.

Sed quicquid ſit de hac Dodwelli ſuppoſitione. Hoc certum eſt, apud Cenſorinum annos Philippi initium ſumere ſub illis conſulibus, cum quibus componuntur. Exempli gratia, annus Philippi 562us, qui cum Ulpii & Pontiani Conſulatu componitur, init ſub his Conſulibus, ex die Junii 25° anni Chriſti 238vi, quo Ulpius & Pontianus Conſulatum geſſerunt. Quod probavimus ſupra Lit. F. No. 3. apud Theonem vero, anni Philippi non ſumunt initium ſub illis Conſulibus, cum quibus componuntur, ſed ſub Conſulibus proxime præcedentibus; exempli gratia, annus Philippi 461us, qui cum Conſulibus anni Chriſti 138vi componitur, non ſumit initium ſub illis Conſulibus anni Chriſti 138vi, ſed ſub proxime præcedentibus Conſulibus anni Chriſti 137mi ex die Julii 20° : ut jam ſæpius monuimus, & extra dubium eſt.

Præterea & hoc certum eſt, apud Cenſorinum, cum Conſulatu Antonini Pii Aug. II. & Bruttii Præſentis, qui anno Chriſti 139° Conſulatum geſſerunt, componi annum Philippi 463um, adeoque hunc annum Philippi 463um initium ſumere ſub his Conſulibus, labente illo anno Chriſti 139°, ex die Julii 20°. Quod eſt conſequens prioris, ſi enim labente anno Chriſti 238° init annus Philippi 562us; certum eſt labente anno Chriſti 139° inire annum Philippi 463um. Quod etiam ſupra Lit. F. No 4° videre licet. Cum autem Cenſorinus anni magni Canicularis exordium repetat ab Antonino Pio Aug. II. & Bruttio Præſente Conſulibus, qui Conſulatum geſſerunt anno Chriſti 139°, & quo anno Chriſti 139° labente init annus Philippi 463us. Certum quoque eſt Cenſorinum anni magni Canicularis exordium repetere ab anno Chriſti 139°, & ab anno Philippi 463° incunte ex die Julii 20° hujus anni Chriſti 139ni.

Denique & hoc certum eſt, apud Theonem, in primo hujus ſcripti verſu occurrere annum Philippi 461um, ineuntem labente anno Chriſti 137°, ex die Julii 20°. Adeoque hoc Theonis ſcriptum ab hoc anno Philippi 461° incipere. Si itaque Theo in hoc ſuo ſcripto ordinando de anni magni Canicularis exordio cogitavit, & propterea in hujus ſcripti ordinatione id ſpectaverit & intenderit, ut hoc ſcriptum ab illo anno Ægyptiaco inciperet, a quo repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium: (de quibus omnibus tamen nobis nihil conſtat) tum etiam certiſſimum eſt, Theonem anni magni Canicularis exordium repetere ab anno Chriſti 137°, & ab anno Philippi 461°, ineunte ex die Julii 20°, hujus anni Chriſti 137mi. Adeoque *Theonem ſolido biennio antevertere*

Cen-

Cenſorinum, qui (ut modo vidimus) anni magni Canicularis exordium repetit ab anno Chriſti 139°, & ab anno Philippi 463° ineunte ex die Julii 20° hujus anni Chriſti 139^mi^.

Atque hinc patet, quod Cenſorinus cum Theone conciliari non poſſit. & quod illa Dodwelli ſolutio, qua diſſenſum unius anni inter Cenſorinum & Theonem tollere conatur, non tantum, ut ſupra vidimus, a Cenſorini verbis aliena ſit, ſed etiam diſſenſum *biennii* tollere minime poſſit.

Unde concludimus, vel Cenſorinum eſſe relinquendum; qui tamen relinqui non poteſt, quia ille, & quidem, quantum mihi conſtat, ſolus annum Conſularem, quo labente annus magnus Canicularis ſumſerit exordium, expreſſit, & annum Ægyptiacum, a quo exordium duxerit, in Æra Nabonaſſari & Philippi indicavit: vel Theonem eſſe relinquendum de quo non conſtat, an, quum hoc ſcriptum ederet, de anni magni Canicularis cogitaverit exordio, & negandum Theonem propterea hoc ſuum ſcriptum ab anno Philippi 461° incepiſſe, quia ab illo anno Philippi 461° repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium. Et hanc negativam ego amplector ſententiam.

At dicet forte aliquis, me mentem Dodwelli non recte percipere. Dodwellum enim ſimpliciter dicere, quod Theon propterea Faſtos ſuos a Conſulibus anni Chriſti 138^vi^ inceperit, quia ab his Coſſ. anni Chriſti 138^vi^ repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium. Adeoque hanc eſſe Dodwelli mentem, quod Theon, qui Faſtos ſuos a Conſulibus anni Chriſti 138^vi^ incipit, etiam anni magni Canicularis exordium repetat ab illo anno Ægyptiaco; qui ſub his Conſulibus, labente illo anno Chriſti 138° init ex die Julii 20°, hoc eſt, ab anno Philippi, non 461°, ſed 462°. Et propterea Dodwellum recte inter Theonem & Cenſorinum unius duntaxat anni ponere diſcrepantiam.

Ad hoc effugium varia habeo, quæ reſpondeam. Et quidem

Primo, ſi hæc Dodwelli mens fuit, tum certe Dodwellus cum ſuo Lectore non agit candide, dum, in illa quæſtione, qua agitur de anni magni Canicularis Ægyptiaci, ex Theonis ſententiâ, exordio, ſolummodo primos in Faſtis Theonis Conſules, & annum Chriſti quo Conſulatum geſſerunt, indicat, & ipſum annum Ægyptiacum diſſimulat; licet non primum in Faſtis Theonis annum Ægyptiacum, qui primis Conſulibus adponitur, ſed ſecundum habebat pro illo anno Ægyptio, a quo Theon repetendum cenſebat anni magni Canicularis Ægyptiaci exordium. Nullibi enim in tota hac quæſtione, a §° IX° ad XVIII^um^ indi-

eat, in Æra Nabonaſſari, vel Philippi, vel Auguſti, ipſum annum Ægyptiacum, a quo, ex ipſius ſententia, repetendum cenſebat Theon anni magni Canicularis Ægyptiaci exordium. ſicut etiam non indicaverat annum illum Ægyptiacum, a quo hoc exordium repetebat Cenſorinus. Unde ſtudio videtur ab illo anno Ægyptiaco exprimendo cavere ſibi voluiſſe: idque, ut videtur, eam ob cauſam, ne, ſi annum Ægyptiacum, in Faſtis Theonis ſecundum, Philippi 462um expreſſe indicaſſet, ut eum, a quo repetendum cenſebat Theon anni magni Canicularis Ægyptiaci exordium, videretur annum Ægyptiacum, in Faſtis Theonis primum, Philippi 461um plane excludere. Quem (licet anni magni Canicularis Ægyptiaci exordium non a duobus ſimul, ſed ab unico ſolo anno Ægyptiaco repeti poſſit) tamen plane excludere nolebat, quia Ptolemæus in Canone, & Theon juxta illum Canonem, annum Philippi 461um numerabat Antonini Pii 1um. Imperii autem Antonini Pii annus 1us inchoatur labente anno Philippi 461° & itidem labente anno Chriſti 138°, & ſi a morte Hadriani dinumeratur, inchoatur die Julii 10° decem diebus ante initium anni Philippi 462^{di}. Ita ut annus Philippi 461us ſit imperii Antonini Pii annus inchoatus, juxta Canonem Ptolemæi, qui annos duntaxat inchoatos numerat: annus vero Philippi 462us ſit Imperii Antonini Pii annus 1us juxta numerationem Sacerdotum Heliopolitanorum, qui, ſi inchoetur annus imperii Antonini 1us ab Hadriani morte, anni magni Canicularis exordium repetebant, ſi non ab ipſo die primo, tamen ab anni primi menſe primo imperii Antonini Pii. Hæc enim videtur Dodwellus indicare in fine $§^{i}$ XVII. Supponit enim illam novam anni magni Canicularis Epocham, utpote in honorem Antonini Pii inſtitutam, ab ejus imperii initio ſeu anno primo debere exordium ſumere. Atque ex hac hypotheſi, quam tamen non probat, Cenſorini verbis ſenſum plane alienum affingit; &, quia initium imperii Antonini Pii diverſimode computari poterat, & ejus annus primus diverſimode numerabatur, præciſiorem determinationem per annos in Æra Philippi ſtudio, ut videtur, evitavit, & ſolummodo primos in Faſtis Theonis Conſules, & annum Chriſti, quo illi Conſulatum geſſerunt, expreſſe indicavit. Atque hoc modo Lectori ſuo hoc vel non, vel non niſi admodum obſcure, aperuit, a quo Ægyptiaco anno, ex ſua ſententia, anni magni Canicularis Ægyptiaci exordium repetendum cenſebat Theon.

Secundo, ſi hæc Dodwelli mens fuit, quod Theon propterea Faſtos ſuos a Conſulibus anni Chriſti 138^{vi} incepit, quia anni magni Canicularis Ægyptiaci exordium cenſebat repetendum ab illo anno Ægyptiaco;

qui

qui ſub his Conſulibus, labente illo anno Chriſti 138° init ex die Julii 20°, hoc eſt, ab anno Philippi, non 461°, ſed 462°. Tum certe Theon (ſi hic in hoc ſcripto ordinando ejus ſcopus fuit) modo a ſcopo ſuo alieno hoc ſuum ſcriptum ordinavit, dum ad primos ſuos Conſules, qui anno Chriſti 138° Conſulatum geſſerunt, adponit annum Philippi, non 462um, ſed 461um. Cum convenienter ſcopo ſuo ad Conſules anni Chriſti 138^{vi} adponere debuiſſet annum Philippi non 461um, ſed 462um. Si enim propterea in hujus ſcripti verſu primo poſuit Conſules anni Chriſti 138^{vi}, quia ab illo anno Ægyptiaco, qui ſub his Conſulibus, & illo anno Chriſti 138° labente init ex die Julii 20°, hoc eſt, ab anno Philippi 462°, repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium; multo magis ob eandem rationem in hujus ſcripti verſu primo, ad illos Conſules adponere debuiſſet illum ipſum annum Ægyptiacum, a quo repetendum cenſebat anni magni Canicularis Ægyptiaci exordium, hoc eſt, annum Philippi 462um. Præſertim cum nihil obſtet, quo minus ad primos ſuos Conſules anni 138^{vi} adponere potuerit annum Philippi 462um, æque ac annum Philippi 461um, quem iis Conſulibus videmus a Theone adpoſitum eſſe. Neque dici poteſt, Theonem in hujus ſcripti verſu primo retinuiſſe annum Philippi 461um, quia in Ptolemæi Canone annus Philippi 461us; numeratur imperii Antonini annus 1us. Nam ſi Theon in hac numeratione Ptolemæum ſecutus eſt, tum etiam cum Ptolemæo (ſive bene, ſive male) annum Philippi 461um habuit pro imperii Antonini Pii anno 1°, & annum Philippi 462um pro imperii Antonini Pii anno 2do. Ac proinde ab imperii Antonini Pii anno 2° repetendum cenſebat anni magni Canicularis exordium, & non putavit, cum Dodwello, illud exordium anni magni Canicularis etiam ab imperii Antonini Pii anno 1° debere repeti. Vel ſi Theon in eadem cum Dodwello fuiſſet ſententia, anni magni Canicularis exordium etiam ab imperii Antonini Pii anno 1° repeti debere, tum Ptolemæi numerationem relinquere debuiſſet, & annum Philippi 462um, quem anni magni Canicularis annum 1um numerabat, etiam imperii Antonini Pii annum 1um numerare. Adeoque annum Philippi 462um ad primos ſuos Conſules in verſu primo adponere. (Aſtronomi enim, Theon æque ac Ptolemæus, Imperatorum annos, non κατ' ἀκρίβειαν hiſtoricam; ſed ſecundum rationem Canonicam numerabant.) Cum autem Theon ad primos ſuos Conſules annum Philippi, non 462um, ſed 461um adpoſuerit: merito inde concludo Theonem in hoc ſuo ſcripto ordinando de anni magni Canicularis exordio ne quidem cogitaſſe. Præſertim ſi præterea & hoc cogitemus, Theonem ducentos

&c.

& ultra annos poſt imperii Antonini Pii initium vixiſſe, & hoc ipſius *Κανόνιον* ſupponere alium annum magnum Ægyptiorum, ejuſdem cum Caniculari quantitatis, qui ab Auguſti anno 5° procedit, quo ineunte *ἀποκατάστασις* facta fuerat, ut Theon in ſuo *εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας* Commentario docet.

c. Tertio, Dodwellus §° XVII, ut vidimus ſupra Lit. G. N° 1°. c. aliquid aſſumit, quod ipſi concedere non poſſum, nempe, quod anni magni Canicularis exordium collocari poſſit in unoquoque anno illius quadriennii, quo Thoth vagi dies primus in diem Julii XX^{um} incurrit, & Caniculæ ſidus exortum facere dici poteſt, anno ſcilicet Chriſti 136°, 137°, 138° vel 139°.

Hoc enim cum verbis Cenſorini de Die Natali C. XVIII non convenit: *Anni magni Canicularis Ægyptiaci initium* (inquit) *ſumitur, cum primo die ejus menſis, quem vocant Ægyptii Thoth, Caniculæ ſidus exoritur.*

Exortus autem Caniculæ in Parapegmatibus ad certum anni Ægyptiaci fixi diem affixus erat; qui dies anni Ægyptiaci fixi, juxta Cenſorinum, incurrebat in ante diem *XIII* Kal. Aug. anni Juliani, quod enim apud Cenſorinum legatur *XII* Kal. Aug., error Librarii eſt. Sic enim ſcribit Cenſorinus, C. XXI. *Quod Imperatore Antonino Pio II. & Bruttio Præſente Coſſ. dies primus menſis Thoth fuerit ante diem XII* (lege *XIII*) *Kal. Aug., quo tempore ſolet Canicula in Ægypto facere exortum.* Quæ Cenſorini verba tantum eum in finem adduco, ut oſtendam, Caniculæ exortum affixum fuiſſe, juxta Cenſorinum, ad illum anni Ægyptiaci fixi diem, qui diei XIII Kal. Aug., hoc eſt, diei menſis Julii XX° anni Juliani, reſpondet.

Hinc autem, meo judicio, patet, quod anni magni Canicularis exordium ſit collocandum, quamprimum dies primus menſis Thoth anni Ægyptiaci vagi incurrit prima vice in illum anni Ægyptiaci fixi diem, ad quem Caniculæ exortus affixus eſt, hoc eſt, Julii diem XX^{um}, quod fit anno Chriſti 136°.

Hoc ipſa rei natura poſtulat, & ex anni Ægyptiaci vagi & fixi mutuo concurſu profluit: Mutuus enim ille concurſus anni Ægyptiaci vagi & fixi efficit ut annus magnus Canicularis, qui annis Ægyptiacis vagis conſtat, naturale habeat exordium, & non tantum a determinato die anni Ægyptiaci fixi, qui in menſis Julii diem XX^{um} incurrit, ſed etiam a determinato, in Æra Nabonaſſari, vel Philippi, anno Ægyptiaco vago initium ſumat; qui eſt annus Nabonaſſari 884us & Philippi 460us, ineuntes

tes ambo, prima vice, ex die Julii XX° anni Chriſti 136[ti]. Nam ineuntibus anno Nabonaſſari 884° & Philippi 460° fit ἀποκατάϛασις anni magni Canicularis Ægyptiaci ad illum diem anni Ægyptiaci fixi, quo Caniculæ ſidus exoritur, qui in anno Juliano eſt dies menſis Julii XX[us]. Adeoque a die primo menſis Thoth anni Nabonaſſari 884[ti] & anni Philippi 460[mi] initium ſumit anni magni Canicularis annus primus.

Fruſtra itaque ſtatuitur a Dodwello, anni magni Canicularis exordium a quovis illius quadriennii anno, pro lubitu, repeti poſſe. Cum, convenienter rei naturæ, a primo duntaxat illius quadriennii anno repeti poſſit.

Merito itaque quæritur, cur Cenſorinus anni magni Canicularis exordium repetiverit ab ultimo hujus quadriennii anno, ab anno ſcilicet Nabonaſſari 887° & Philippi 463° ineuntibus ex die Julii XX° anni Chriſti 139[ni].

Reſpondeo, quia anni magni Canicularis exordium inde repetendum cenſuerant Ægyptii, vel ſaltem actu inde repetiverant Ægyptii, quod ſequitur, & ſequi debebat Cenſorinus.

An autem Cenſorinus animadverterit Ægyptios ab anni magni Canicularis vero & naturali exordio, hac in re, aberraſſe, nec ne, res incerta eſt.

d. Quarto, Dodwellus §° XVII, ut vidimus ſupra Lit. G. N° 1°, d. Veriſimile judicat, hanc anni magni Canicularis Epocham in Antonini Pii honorem fuiſſe inſtitutam: atque inde concludit, hanc Epocham ab imperii Antonini Pii anno primo eſſe numerandam.

Ego autem hujus concluſionis conſequentiam videre non poſſum. Vellem tamen Dodwellum rem ipſam probare potuiſſe, nempe hanc Epocham revera ita numeratam fuiſſe. Sed cum Cenſorinus, ex quo ſolo diſcimus, quomodo hæc Epocha fuerit numerata, doceat eam non ab Imperii Antonini Pii anno primo numeratam fuiſſe, ſed potius ab Imperii ejus anno ſecundo, ſi nempe (ut dicit Dodwellus) imperii Antonini initium ab Hadriani morte deducatur: tum fruſtra talis ex congruo nectitur conſequentia.

Cur autem illi Ægyptii, qui hanc Epocham in Antonini Pii honorem inſtituerunt, eam non potius ab imperii ejus anno primo deduxerint, res eſt, quæ ob hiſtoriæ defectum, in obſcuro latet.

Veriſimile tamen etiam mihi videtur hanc anni magni Canicularis Epocham, a Cenſorino memoratam, ab Ægyptiis in Antonini Pii honorem fuiſſe inventam.

Licet enim hæc Epocha non ab ipſo Imperii ejus anno primo deducatur, deducitur tamen ab ejus Conſulatu Auguſteo primo, quem poſt adeptum Imperium anno Chriſti 139° geſſit, & init hæc Epocha ex die Julii 20° hujus anni Chriſti 139ni.

Maxime autem me movet, quod hæc Epocha non ab anni magni Canicularis vero & naturali exordio repetatur, ſed ab anni magni Canicularis veri & naturalis anno quarto; quod, meo judicio, magnam ingerit ſuſpicionem, hanc Epocham fuiſſe inventum, non Aſtronomorum, aut ſapientum in Ægypto virorum, ſed adulatorum, qui vel ex imperitia circa anni magni Canicularis exordium errarunt, vel ex ſtudio adulandi, de præciſa rei veritate non admodum ſolliciti, id tantum curarunt, ut cum aliqua ſpecie principi adularentur, ejusque gratiam hoc invento caperent.

Et ſi dicam, quod ſentio, totum illud de anno magno Caniculari, & hujus Periodi Sothiacæ ἀποκαταστάσει, & nova Epocha ſub hoc Imperatoris Conſulatu, ex die Julii 20° ineunte; negotium mihi videtur opus purum putum adulatorium; de quo veteres Ægyptiorum Sacerdotes ante 1461 annos Ægyptios vagos ne quidem cogitarant: ſaltem non credo prioris Periodi Sothiacæ annos fuiſſe numeratos; videtur enim mihi Periodus proleptice per fictionem mentis conſiderata, quando hæc quaſi nova ab adulatoribus inventa, & ad captandam principis gratiam, ei obtruſa fuerat. Si enim prior illa Periodus Sothiaca in uſu fuiſſet, ejusque anni numerati fuiſſent, tum certe, quia de quantitate illius Periodi conſtabat, tempus ἀποκαταστάσεως, & novæ Epochæ exordium ita determinatum fuiſſet, ut ejusmodi adulationi locus non relinqueretur.

Unde etiam hanc novam Epocham adulatoriam non credo apud Ægyptios in uſu fuiſſe, ejusque annos numeratos fuiſſe; licet Cenſorinus diſtantiam ab hujus Epochæ exordio uſque ad annum, quo ſcribebat, labentem, computet.

Non nego tamen Caniculæ exortum ab Ægyptiis imprimis fuiſſe obſervatum, maxime quia eo circiter tempore, quo Canicula exoriebatur, Nilus incrementa capere ſolebat, & forte etiam, quia hujus ſideris ortus eo aliquid conferre credebatur.

Sed quomodo Caniculæ ortum potuerint ponere initium anni, & quo ſenſu hoc dicantur feciſſe, mihi non adeo clarum eſt.

Non tam eam ob cauſam, quod illa opinio, qua ortus Caniculæ certo anni ſolaris fixi diei ſemper adhærere ſupponitur, falſa nititur hypotheſi. Hic enim non ἀκρίβεια aſtronomica, ſed communis opinio ſpectanda eſt. Vide Dodwellum, §° XI. Petav. Auctar. L. 5. C. 6.

Quam

Quam potiſſimum hanc ob cauſam, quod veteres, qui de ortu Caniculæ apud Ægyptios tempore agunt, in tempore & die definiendo ita variant. Cum ſi dies, quo ortus Caniculæ fieri apud Ægyptios credebatur, fuiſſet anni apud eos principium, etiam debuiſſet eſſe dies determinatus, fixus, & cognitus.

Præterea cujus generis anni fuiſſet ortus Caniculæ principium, eo tempore, quando anno vago in uſu civili utebantur, aut etiam eo tempore, quando in uſu civili annum fixum receperant, qui non ab ortu Caniculæ, ſed ab Auguſti die 29° ordinario initium ducebat. Si quis dicat, ortum Caniculæ fuiſſe anni magni Canicularis principium. Rogo eum, cujus anni magni Canicularis, an illius, qui 1461 annis Ægyptiacis ante Antonini Pii tempora cœperat, an vero hujus, cujus exordium ſub Antonino Pio II, & Bruttio Præſente Coſſ. apud Cenſorinum collocatur. Et præterea obſervo, quod Porphyrius in antro Nympharum, & Theo in Scholiis in Aratum, ortum Caniculæ dicant fuiſſe principium ſimpliciter anni, non *anni magni Canicularis*. Et ſi quis inſtet eos tamen ad annum magnum Canicularem reſpicere. Addo etiam & hanc obſervationem, quod Theo, Porphyrius, Cenſorinus, Solinus ſcripſerint poſt Antonini Pii tempora, adeoque poſt hujus novæ Epochæ adulatoriæ inventionem. Sed mihi potius videtur ortum Caniculæ Ægyptiis principium fuiſſe anni ſolaris naturalis, qui nullum ad uſum civilem reſpectum habebat, & tantum in privato doctiorum Ægyptiorum calculo conſiderabatur: qui cum jam ante Julium Cæſarem notitiam anni formæ Julianæ haberent, etiam ex anni ſolaris naturalis cum anno Ægyptiaco vago comparatione, facile colligere poterant, in privatos ſcilicet uſus, annos ſolares naturales 1460, dierum 365, cum quadrante, facere annos 1461 Ægyptiacos vagos, dierum 365, abſque quadrante, atque eo modo anni magni Canicularis conceptum in abſtracto, formare. Quorſum reſpicere videtur Horapollo in Hieroglyphicis L. I. C. 5. & Cenſorinus C. XVIII. p. 130 quando dicit Ægyptiorum, qui anno vago civili utebantur, *quadriennium uno circiter die minus eſſe quam naturale quadriennium*. & C. XXI. p. 157. *multis a canis exortu, incipere annus naturalis videtur*.

H.

Cur Theo Κανόνιον *ſuum ab anno Philippi 461° inceperit.*

Theonis ſcopus, meo judicio, fuit, ut hoc Κανόνιον inſerviret Scholæ aſtronomicæ. Ut ſi quædam obſervationes inde a tempore Ptolemæi

captæ occurrerent, quarum tempus in fixâ anni forma erat deſignatum: vel quædam problemata aſtronomica juxta fixam anni formam proponerentur, quæ intervallum temporis inde a Ptolemæo concernerent: tempus illud in fixa anni forma propoſitum, ope hujus Κανόνος, ad tempus in vaga anni forma facili methodo reduceretur.

Atque hinc eſt, quod hoc Κανόνιον non ab anno Auguſti 5°, & ab ipſa anni fixi prima receptione, ſeu ab ipſa [illegible] repetiverit, ſed demum inde a Ptolemæo deduxerit:

Cum autem Ptolemæi obſervationes, in ejus Almageſto recenſitæ, non ulterius, quam ad Antonini Pii annum quartum progrediuntur: voluit Theon hoc ſuum Κανόνιον ordiri ab illius Imperatoris anno, juxta Ptolemæum, primo, in cujus anno quarto ipſe Ptolemæus deſierat. Annus autem Antonini Pii, juxta Ptolemæum primus eſt annus Philippi 461us & Auguſti 167us.

Atque hanc ob cauſam eſt, quod hoc Κανόνιον incipiat non tantum ab anno Philippi 461°, ſed etiam, quod alias in tali Κανόνιο minus regulare foret, ab anno, qui poſt annum intercalarem, dierum 366, proxime tranſactum, *tertius* eſt, ut ex Tetraëteridum Columna patet.

XVI.

De Æra Diocletiani.

Æra Diocletiani, ſeu annorum a Diocletiano, quæ hic proprie in conſiderationem venit, init ab initio Imperii Diocletiani, conſtatque annis Ægyptiacis vagis, dierum 365 tantum, abſque quadrante, & incipit poſt annos completos a Nabonaſſaro 1031, a Philippo 607, & ab Auguſto 313, a Nabonaſſari anno 1032°, a Philippo 608°, & ab Auguſto 314° ineuntibus a menſis Ægyptii Thoth die 1°, qui incurrit in diem 13um menſis Junii, anni Periodi Julianæ 4997^{mi}, Chriſti 284^{ti}.

De hac Æra, atque ejus occaſione, quædam ſunt conſideranda.

A.

De Auctore Æræ Diocletiani qui eam primus inſtituit, & in uſum civilem introduxit.

Æram ſeu Epocham, ab Imperii Diocletiani initio deductam, apud Alexandrinos & Ægyptios in uſu civili obtinuiſſe in confeſſo eſt.

Quis

Quis autem eam primus inſtituerit & in uſum civilem introduxerit, in obſcuro latet.

Dodwellus in Prolegomenis §° V (ut vidimus ſupra, §° 15, Lit. D. N° 1°.) videtur innuere, hanc novam Epocham ab ipſo Diocletiano eſſe inductam: quod probatione eget, & mihi veriſimile non videtur.

Æram hanc ab Alexandrinis primo uſurpatam, & ſenſim in uſum civilem introductam eſſe, improbabile non eſt.

B.

Æra Diocletiani, in uſum civilem introducta, numerabat annos Ægyptiacos fixos, a menſe eorum Thoth fixo ineuntes, quod exemplis probatur.

1° Primus qui (quantum mihi conſtat) hac Æra uſus eſt, eſt *Theo Alexandrinus.*

α. In Commentario εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, exempli gratia proponitur annus a Diocletiano 77us fixus, ejusque menſis Thoth, & hujus menſis dies 22us, & hujus diei hora diurna 11^a^, juxta hujus Æræ uſum civilem receptum. Et ope methodi a ſe traditæ, invenit hoc tempus propoſitum eſſe in anno a Diocletiano vago 77°, menſis Pauni diem 28um, a meridie computatum. Confer ſupra §° 15. Lit. D. N° 11°. Et nota hanc reductionem faciendam in Aſtronomorum gratiam, quia Tabulæ Aſtronomicæ ad formam anni Ægyptiaci vagi, quibus olim in uſu civili Ægyptii uſi fuerant, conſtructæ erant.

β. In ſuo in Ptolemæi Almageſtum, ejusque Lib. 6um Commentario, p. 284. proponit Plenilunium Eclipticum, per Ptolemæi in Almageſto Tabulas computandum, quod *contigerat* (inquit) *juxta Alexandrinos* 81° *anno Diocletiani, menſe Athyr; juxta Ægyptios autem eodem* 81° *anno* (*Diocletiani*) *Phamenoth* 1. (forte legendum 6°.) Ubi primo tempus proponitur juxta Æram Diocletiani in uſu civili receptam, in forma anni fixi; & deinde idem tempus exprimitur reductum ad formam anni vagi, quo olim Ægyptii uſi fuerant, & adhuc in Tabulis ſuis utebantur Aſtronomi. Vide ſupra §° 15, Lit. D. N° 11. & infra §° 21, Lit. B. N° 2°, Lit. e.

2° *Paulus Alexandrinus* in ſua εἰσαγωγῇ εἰς τὴν ἀποτελεσματικήν, in Præfatione utitur exemplo præſentis anni a Diocletiano 94^ti^, menſis Mechir die 20°, qui incidit in anni Chriſti 378^vi^ menſis Februarii diem 14um;

Feriam

Feriam IV^{am}. Unde patet eum loqui de die menſis Mechir 20° anni a Diocletiano fixi 94^{ti}.

3° *Epiphanius* aliquoties meminit anni a Diocletiano 90^{mi}. In Ancorato, p. 64. A. Item p. 123. B. & in Synopſi Ancorati, p. 1. D. Nec non in duorum Archimandritarum ad Epiphanium Epiſtola, quæ ejus Libris de Hæreſibus præmittitur, dicitur *ea ſcripta in 92° anno imperii Diocletiani*. Epiphanium autem loqui de annis a Diocletiano fixis, patet etiam ex comparatione dierum menſium Ægyptiorum cum diebus menſium Romanorum, aliarumque gentium ubi agit de Nativitatis, Baptiſmi, & Paſſionis Chriſti tempore, in Panario, p. 446, 447.

4° *Ambroſius* in Epiſtola 83^{a}, ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos, de Feſto Paſchali anni Chriſti 387^{mi}, ſcribit illud Paſcha *ab Ægyptiis indictum eſſe* (anno a die Imperii Diocletiani 103°) *die 30° Pharmuthii menſis, hoc eſt, 7° Kal. Maji.* §° 7. Item, ſic ſcribit, *89° anno ex die Imperii Diocletiani, cum XIV^{a} Luna eſſet IX Kalendas Aprilis, nos celebravimus Paſcha pridie Kalendas Aprilis. Alexandrini quoque & Ægyptii, ut ipſi ſcripſerant, cum incidiſſet XIV^{a} Luna 28° die menſis Phamenoth, celebrarunt Paſcha 5° die Pharmuthii menſis, quæ eſt pridie Kalendas Aprilis, & ſic convenere nobiſcum.* §° 6. *Rurſus* (ſic pergit) *93° anno a die Imperii Diocletiani, cum incidiſſet XIV^{a} Luna in 14um diem Pharmuthii menſis, qui eſt V Idus Aprilis, & erat Dominica dies, celebratum eſt Paſcha, Dominica Pharmuthii 21° die, qui fuit ſecundum nos XVI Kalendas Maji* §° 7. Denique ſic ſcribit, *76° anno ex die Imperii Diocletiani . . . 28° die Pharmuthii menſis, qui eſt IX Kalendas Maji, Dominicam Paſcha celebravimus.* §° 11.

5° *Cyrillus Alexandrinus* Cyclo ſuo Paſchali annorum XCV, quem incipit ab anno Chriſti 437°, Æram Diocletiani innexuit, ab anno Diocletiani 153° ad 247um, teſte Dionyſio Exiguo in ſua de ratione Paſchæ Epiſtola 1^{a}, §° 3.

6° *Proterius Alexandrinus* in ſua ad Leonem Papam Epiſtola reſponſoria, de Paſchate anni Chriſti 455° ſic ſcribit: *Nam & priſcis temporibus, ſi quando die Dominico, XIV^{a} Luna reperta eſt, in ſequentem ſeptimanam eſt dilata Feſtivitas. Sicut in 89° & 93° anno a Diocletiani probatur Imperio. Sic enim & tunc beatiſſimi Patres noſtri feciſſe declarantur. In 89° quidem anno ab Imperio Diocletiani, ſuperſtite beatæ memoriæ Patre noſtro & Epiſcopo Athanaſio, cum XIV^{a} Luna Paſchalis, 28° die menſis Phamenoth, id eſt, IX Kalendas Aprilis die, proveniſſet, die Dominico in ſubſequentem translatum eſt hebdomadem: ita*

in

ut quinta die menſis Pharmoti, hoc eſt, pridie Kal. April. celebraretur Paſcha Dominicum. In 93° autem anno ab Imperio ejusdem Diocletiani, cum XIVª Luna Paſchalis, 14° die menſis Pharmoti, qui eſt V Idus Aprilis, die Dominico contigiſſet; in ſequentem item ſeptimanam dilatio facta eſt: ita ut Dominicum Paſcha 21° die menſis Pharmoti, qui eſt XVI Kal. Maji, ſolemniter ageretur. In 103° quoque anno ab Imperio Præfati Diocletiani, cum Luna Paſchalis XIVª in Pharmoti 23° die, qui eſt XIV Kal. Maji, eſſet die Dominico ſuperventura; iterum ſeptimana quæſita eſt, & Dominicum Paſcha 30° die menſis ipſius Pharmoti, qui eſt VII Kal. Maji, conſtat eſſe celebratum, propter anguſtiam temporis imminentem. Item cum in 160° anno a Diocletiani Imperio, XIVª Luna Paſchalis, Pharmoti 23° die, qui eſt XIV Kal. Maji, occurrerit, tertia Feria Septimanæ, & Dominicum Paſcha 28° die menſis ipſius Pharmoti, qui eſt IX Kal. Maji, tunc celebraſſe meminimus. Neceſſe eſt igitur & in anno CCLV (legendum, ut Bucherius in margine monet, CLXXI. forte quis in margine notaverat annum Chriſti CCCCLV, quod deinde in Textum irrepſit, & annum a Diocletiano excluſit, & poſtea in MSS^tis a Librariis diverſimode expreſſum & quaſi correctum eſt) *anno a Diocletiani imperio, in futuro Paſchali feſto indictione VIIIª, 22° die Pharmoti, qui eſt XV Kalend. Maji, Luna XIVª occurrente die Dominico, in proximam ſeptimanam juxta præcedentem formam, convenienter extendi, ut 29° die menſis Pharmoti, qui eſt VIII Kalendas Maji, Dominicum celebramus Paſcha, propter apprehendentem rurſus anguſtiam: ſicut Patres noſtri fecerunt, XIV^as Lunas occurrentes die Dominico, differentes.*

C.

Æra Diocletiani in uſu aſtronomico adhibita numerabat annos Ægyptiacos vagos, a menſe eorum Thoth vago ineuntes.

Hoc rite intelligendum eſt. exempli gratia: quando aliquod Phænomenon cœleſte (cujus tempus, quo contigerat, cognitum erat) proponebatur, calculo aſtronomico, per expeditas Tabulas, computandum, inquirendum, aut explorandum; proponebatur tempus, quo illud Phænomenon contigerat, juxta Æram Diocletiani in uſu civili receptam, juxta formam anni fixi: ſed quia Tabulæ Aſtronomicæ, etiam illæ, quæ *expeditæ Tabulæ* proprie vocantur, juxta formam anni vagi (quo Ægyptii in uſu civili olim uſi fuerant) conſtructæ erant; computus aſtronomicus

per illas Tabulas peragendus ad illud Phænomenon inquirendum aut explorandum, neceſſario requirebat, ut tempus, quo hoc Phænomenon contigerat, juxta formam anni fixi in Æra Diocletiani propoſitum, reduceretur ad tempus illi, juxta formam anni vagi in Æra Diocletiani, reſpondens, & hoc ſenſu dico, *Æram Diocletiani, in uſu aſtronomico adhibitam, numerare annos Ægyptiacos vagos, a menſe eorum Thoth vago ineuntes.*

Hoc patet ex utroque Theonis Alexandrini loco, ſupra hoc ipſo §° 16, Lit. B. N° 1°, α & β. adducto.

In primo enim exemplum dat methodi ſuæ ad tempus juxta Alexandrinos, hoc eſt, juxta formam anni fixi in Æra Diocletiani propoſitum, reducendum ad tempus juxta Ægyptios, hoc eſt, juxta formam anni vagi in Æra Diocletiani, quæſitum, quo in Computo aſtronomico opus habebant.

In ſecundo loco tempus, quo Plenilunium Eclipticum, quod computandum erat, contigerat, proponit primo ſecundum *Alexandrinos*, hoc eſt, juxta formam anni fixi in Æra Diocletiani: deinde ſecundum *Ægyptios*, hoc eſt, juxta formam anni vagi in eadem Æra Diocletiani.

Fixam anni formam vocat *ſecundum Alexandrinos*, quia eam anni formam Alexandrini, ut videtur, primi receperunt. Vagam vero anni formam vocat *ſecundum Ægyptios*, quia antiqui Ægyptii ea anni forma in uſu civili olim uſi fuerant. Vide quæ notavimus ſupra §° 15, Lit. D. imprimis N° 11°.

D.

An Æra Diocletiani etiam extra uſum aſtronomicum, ab Ægyptiis, contradiſtincte ab Alexandrinis, juxta formam anni vagi, in uſu civili fuerit retenta.

Hoc ſtatuere videtur Dodwellus in Prolegomenis §° V.

Sed hujus ſententiæ probationem & exempla requiro.

Ad Dodwelli enim ex Theonis Alexandrini fragmento argumentum reſpondimus ſupra §° 15. Lit. D. N° 11°.

XVII. De

XVII.

De Canonis Regum Aſtronomici Auctoribus ſeu concinnatoribus in genere.

1° Per hujus Canonis Auctores hic intelligo, non hiſtoricos, qui materiam huic Canoni concinnando ſuppeditarunt, ſed ipſos hujus Canonis concinnatores, qui eum eo, quo eum nunc habemus, modo conſtituerunt, & in hanc, in qua nunc exſtat, formam redegerunt.

2° Canonis hujus Auctores, ſeu concinnatores, vel etiam continuatores fuere plures. De quibus in ſequentibus paragraphis diſtinctius agam.

XVIII.

De Auctore & concinnatore Canonis Regum Aſtronomici a Nabonaſſaro ad Alexandri mortem.

Hic proprie quæſtio verſatur circa illam priorem Canonis partem, quæ a Nabonaſſaro uſque ad Alexandri mortem decurrit, & annorum eſt 424. & quæſtio ipſa ita concipi poteſt, an ſcilicet illa Regum Babyloniorum & Perſarum ſeries a Nabonaſſaro uſque ad Alexandri mortem, jam diu ante Claudii Ptolemæi tempora, in formam Canonis fuerit redacta, & quidem in eam formam, quâ hanc Canonis partem nunc habemus: & a quibus hoc factum ſit.

A.

An Chaldæi hujus Canonis fuerint Auctores & concinnatores.

1° In ea videtur ſententia fuiſſe Georgius Syncellus. Licet enim hoc expreſſe non dicat; ſupponere tamen videtur in iis, quæ in ſua Chronographia dicit, p. 206 & 207. Unde etiam hic Canon ab eo vocatur ὁ Χαλδαικὸς καὶ Ἀστρονομικὸς Κανών, p. 231. c. quia nempe putabat, ut videtur, hunc Canonem ab Aſtronomis Chaldæis fuiſſe concinnatum, & a Chaldæis ad Aſtronomos Græcos perveniſſe.

2° Sed Syncelli auctoritas, in rebus ab ejus ætate adeo remotis, tanti non eſt: præſertim cum ejus ſententia non nitatur veterum teſtimoniis, ſed inde orta videtur, quod putabat, Græcos Æram Nabonaſſari ab Aſtronomis Chaldæis accepiſſe. De quo egimus ſupra, §° 13. Lit. b.

3° Accedit, quod hæc Canonis pars prior, æque ac reliquæ, plane juxta hypotheſes & principia Ptolemæi ſit concinnata.

B.

An Beroſus hujus Canonis primus Auctor fuerit.

1° Hæc eſt Dodwelli ſententia: ita enim ſcribit in Proleg. §° XXVI. *Beroſum itaque noſtri Canonis primum editorem fuiſſe diximus.* Ubi autem hoc in ſuperioribus *dixerat* Dodwellus, non invenio; videtur tamen reſpicere ad ea, quæ dixerat §° XXIV, circa finem, ubi hæc leguntur: *E coctilibus* (Babyloniorum) *laterculis ſuas collegerunt ſiderum obſervationes annorum CCCCLXXX Beroſus atque Critodemus*, (teſte Plinio Hiſt. Nat. L. VII. C. 56.) *DCCXX Epigenes, Babylonias nimirum illas, nec enim alias ſcripſit Beroſus, qui & primus meminit Epochæ, ut vidimus*, (§° XXIII, ex Syncelli Chronograph. p. 207. C.) *Nabonaſareæ. Quare cum doctiſſimis viris Voſſio & Marshamo, omnino exiſtimamus non eſſe aliunde annos illos quam a Nabonaſaro numerandos.* Vide etiam verba ſequentia, ubi de Ætate Beroſi agit.

2° Dodwellus, ut mihi videtur, ratiocinatur hoc modo: Beroſus Æræ ſeu Epochæ Nabonaſſareæ primus meminit, ut patet ex Syncello. Beroſus ex Babyloniorum coctilibus laterculis, quibus illi ſuas inſcripſerant obſervationes, collegit & in ſuo Opere hiſtorico retulit (Confer §° XXVII, in initio) ſiderum obſervationes annorum 480, teſte Plinio. Illi anni 480, ab initio Nabonaſſari dinumerati, deſinunt in illud tempus, quo Beroſus vixit, & Opus ſuum edidit. Adeoque Beroſus hujus Canonis primus editor fuit.

3° Ego autem, licet præmiſſæ Dodwello concedantur, non video, quomodo hoc inde concludi poſſit, quod Beroſus hujus Canonis fuerit editor. Aliud enim eſt Babyloniorum obſervationes inde a Nabonaſſaro annotare, aliud Canonem Regum concinnare. Sed præmiſſæ illæ Dodwello concedi non poſſunt. Ille enim Plinii locus non loquitur de obſervationibus 480 ſimplicium annorum, ſed 480 Millium annorum, ut demonſtravit in Origin. Babylon. Jac. Perizonius. Vide quæ notavimus ſupra

ſupra §° 13. Lit. a. N° 1. Præterea, Plinius dicit quidem *Epigenem docere, quod apud Babylonios DCCXX (M) annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptæ reperiantur. & Beroſum & Critodemum, qui minimum exprimunt, dicere CCCCLXXX (M) annorum.* Sed an Beroſus illas Babyloniorum obſervationes collegerit, & in Opere ſuo annotaverit, de eo ſilet Plinius. Denique, an & quo ſenſu Beroſus Epochæ Nabonaſſareæ primus meminerit, examinavimus ſupra §° 13. Lit. e.

4° Non nego tamen Beroſum in Opere ſuo hiſtorico materiam huic Canoni concinnando neceſſariam ſubminiſtraſſe, & hujus Canonis concinnatores ex Beroſo ſeriem Regum, & annos Imperii eorum haurire potuiſſe.

5° Unde etiam utilem præſtitit operam Dodwellus, quod §° XXVI oſtenderit, Beroſum (in inſigni illo fragmento) non diſſentire a Canone Regum, ſed cum eo conſentire, imprimis circa annos imperii Nabopolaſſari. Quam materiam etiam ulterius proſecutus eſt Perizonius in Origin. Ægypt. C. 23. p. 422—453. Confer quoque C. 24.

X I X.

De Auctore & concinnatore Canonis Regum Aſtronomici, ab Alexandri morte ad Cleopatræ mortem.

Hic proprie quæſtio verſatur circa ſecundam Canonis partem, quæ ab Alexandri morte, ſeu a Philippi Aridæi imperii initio uſque ad Cleopatræ mortem, ſeu uſque ad Cæſaris Auguſti imperii poſt captam Alexandriam initium decurrit. Et quod hic quæritur eſt, an illa ſeries Regum, imprimis Ægyptiorum, inde ab Alexandri morte uſque ad initium imperii Auguſti in Ægyptum, jam ante Claudii Ptolemæi tempora, in formam Canonis fuerit redacta; & a quo hoc factum ſit.

A.

De hujus Canonis Auctore Dodwelli ſententia proponitur & examinatur.

1° Hunc Canonem non a coævis concinnatum fuiſſe probat Dodwellus, quia ipſa Regum ſub hujus Canonis initio tempora ſint vitioſiſſima §° XXIX, ſub finem. Confer §um XXX & XXXI. Juniorem itaque

(concludit, §° XXXI, circa finem) neceſſe eſt hujus Epochæ (& Canonis) fuiſſe conditorem. Et ibidem addit: *Et ſi quidem Epigenis illi anni DCCXX de annis eſſent Nabonaſſari intelligendi, ut intellexit Cl. Marshamus, non equidem alium hujus Ægyptiacæ Epochæ* (& Canonis) *authorem fuiſſe crediderim.* Denique ibidem, de Hipparcho hæc ſubjicit: *Conjunxit equidem Alexandrinas obſervationes & Calippicarum Periodorum annos cum Æra Nabonaſſari Hipparchus. Sed conjunxeritque cum eadem Æra Regum Alexandrinorum aliquem laterculum, illud ſane non conſtat.*

2° Ex his Dodwelli verbis patet, eum nihil certi habuiſſe, quod de hujus Canonis Auctore afferret: niſi hoc tantum, eum non inter coævos, & hujus Canonis initio propriores, ſed inter juniores, & ab hujus Canonis initio longe remotiores eſſe quærendum: Unde etiam de Epigene cogitavit, qui, ex illa Dodwelli & Marshami hypotheſi, vixerit biennio ad minimum poſt Cleopatræ mortem. Sed illa Marshami & Dodwelli hypotheſis de illis Epigenis DCCXX annis, falſa, & illa Dodwelli Epocha ab Alexandrinis in Alexandri Magni memoriam inſtituta, fictitia eſt, ut oſtendimus ſupra §° 14. Lit. γ.

B.

De Porphyrii Canone Regum Ægypti, ejusque cum Canone Regum Aſtronomico conſenſu, Dodwelli ſententia.

1° Dodwellus, §° XXX, ita ſcribit: *Id genus Canonem* (in quo ſcilicet diſtinguit, qui regum anni fuiſſent cum aliis regibus communes, quæ aliorum regum intervalla hujus ejusdemque regis annos interrupiſſent.) *conſervavit nobis in aureo fragmento* (apud Scaliger. in Gr. Euſebii Chron. p. 59.) *Porphyrius cum noſtro Canone ad amuſſim convenientem.*

Obſervat tamen Dodwellus inter Canonem Aſtronomicum & Canonem Porphyrii, in illo intervallo, quod a Philippi Aridæi initio uſque ad Ptolemæi Philadelphi initium decurrit, eſſe differentiam, ut videtur, unius anni. Ita enim ſcribit, §° XXXI. *Ut enim ab initio Philadelphi tempora Ægyptiorum regum certiſſima fuiſſe neceſſe eſt; ita Lagidæ, ſi annos illos aſſignaveris qui a morte Alexandri fluxerint ad initium Philadelphi, conſtabit etiam XXXIX annos abſolutos, pro noſtri Canonis rationibus, ſoli eſſe Lagidæ aſſignandos. Fateor equidem XXXVIII duntaxat concedere Porphyrium. Sed annos Ptolemæi* (Lagi filii) *Porphyrius ab eo uſque tempore numerat quo miſſus eſt in Ægyptum ab Aridæo, quod μετ' ἐνιαυτὸν ait contigiſſe,*

tigiſſe, a morte ſcilicet Alexandri numerandum. Ita factum ut cum annum a morte Alexandri XLI^{um} attigerit Lagides, annos tamen ei XL duntaxat aſſignant Scriptores. quod ab hac ejus ſub Aridæo Satrapia anni numerentur. Nec tamen, pro noſtri Canonis rationibus, neceſſe eſt integrum intelligamus ſeu primum illum a morte Alexandri annum, quo Satrapa conſtitutus eſt ab Aridæo Ptolemæus; ſeu XLI^{um} quo e vivis exceſſerit. Menſes enim aliquot veram Alexandri mortem anticipat noſtra Epocha a morte Alexandri. Et vero ſecundum illum, quo cum patre regnavit Philadelphus, annum, inchoatum duntaxat exiſtimat Uſſerius.

2° Ad hæc Dodwelli varia obſervamus.

a, Recte huic Porphyrii ſcripto nomen *Canonis* tribuit Dodwellus: procedit enim non *κατ' ἀκρίβειαν* hiſtoricam, ſed ad modum Canonis, per annos Regum completos. Sed, quod notandum, in temporis deſignatione utitur Æra Olympiadum, & Regum annos cum Olympiadum annis comparat, & pari paſſu ambulare facit.

b. Maxime inter Canonem Porphyrianum & Aſtronomicum eſt convenientia, quod annos imperii horum Regum attinet, inde a Ptolemæo Philadelpho uſque ad Cleopatram.

c. Differentia tamen, ut jam monuimus, inter utrumque Canonem unius anni eſt in illo intervallo quod ab Alexandri morte ſeu a Philippi Aridæi initio uſque ad Philadelphi initium ſe extendit. Unde etiam Porphyrii Canon uſque ad Cleopatræ mortem annos 293 colligit, Aſtronomicus vero Canon annos 294.

d. Eſt & alia differentia obſervanda quæ ex diverſo utriusque Canonis initio, & diverſa anni forma oritur. Aſtronomicus Canon, in quo anni Ægyptiaci vagi adhibentur, orditur Philippi Aridæi imperium, ab anno Nabonaſſari 425° ineunte ex die 12° Novembris, anni Per. Jul. 4390^{mi}. Adeoque, ut monet Dodwellus, aliquot menſibus ante veram Alexandri mortem. Quam cum Uſſerio, ut videtur, ſtatuit contigiſſe Olympiadis 114^{æ} anno 1° exeunte, Dæſii menſis die 28°, qui eſt Maji dies 22us anni Per. Jul. 4391^{mi}. (Petavius autem ſolido fere anno citius Alexandri mortem refert ad Dæſii menſis diem 28um, qui ipſi eſt Julii dies 19us anni Per. Jul. 4390^{mi}. Olymp. 114^{æ} anno 1° ineunte.) Porphyrii vero Canon imperii Philippi Aridæi annum 1um, & Satrapiæ Ptolemæi Lagi annum 1um, ut & Olympiadis 114^{æ} annum 2um, ut concurrentes & pari paſſu ambulantes componit. Adeoque Canonem ſuum orditur ex diebus æſtivis anni Per. Jul. 4391^{mi}. Unde patet Aſtronomicum Canonem octo circiter menſibus ante Porphyrii Canonem initium ſumere.

c. Notanda hæc Dodwelli expreſſio, quod *hunc Canonem nobis conſervavit Porphyrius.* Quæ, ſi ſtudio ita concepta eſt, inſinuare videtur, Porphyrium non tam ut Auctorem, quam ut conſervatorem hujus Canonis eſſe conſiderandum, & ſic ſuſpicionem ingerere, an non ab Aſtronomis eum acceperit Porphyrius; probe enim noverat Porphyrium Claudio Ptolemæo longe eſſe juniorem.

f. Porphyrius enim natus ſub finem imperii Alexandri Severi anno Chriſti 233°, mortuus vero ante finem imperii Diocletiani, circa annum ætatis 70um, Chriſti 302um. Scripſit in Sicilia degens contra Chriſtianos: in quam inſulam venit anno Chriſti 268°, atque ibi aliquamdiu moratus eſt. Vide Porphyrii vitam ab Holſtenio conſcriptam, C. 2. 3. & 4.

g. Ex hujus Opere contra Chriſtianos, & quidem ex illa hujus Operis parte, in qua Danielis Prophetiam impugnabat Porphyrius, hoc de Regibus Ægypti fragmentum videtur fuiſſe excerptum. (& forte etiam alterum de Regibus Macedoniæ, nec non tertium, ſed mutilum, de Regibus Syriæ fragmentum.) Quod colligimus ex Hieronymi in Danielem Commentario, Cap. imprimis XI°, & ex hujus Commentarii Prologo.

h. Tria hæc Porphyrii fragmenta edidit Scaliger inter reliquias Græcas prioris partis Chronicorum Euſebii, a ſe ex variis Auctoribus collectas. p. 59. p. 62. & p. 61. Miror autem neminem virorum doctorum, quantum mihi conſtat, de eo fuiſſe ſollicitum, ex quo Auctore vel edito, vel nondum edito hæc Porphyrii fragmenta habeat Scaliger; ut per collationem vitia, quæ per excerptoris, vel deſcriptoris incuriam, in Scaligeri editionem irrepſerunt, corrigi tuto poſſint. Quædam hujus de Regibus Ægypti fragmenti particulæ reperiuntur in Syncelli Chronographia p. 283. B. & p. 290. B. quæ etiam inter illas Euſebii reliquias Græcas a Scaligero relatæ ſunt, p. 88. & p. 70.

i. Verba hujus fragmenti, quæ conſideranda veniunt, hæc ſunt, Latine verſa:

Moritur quidem Alexander Macedo centeſima quartadecima Olympiade, cum imperaſſet in univerſum annos duodecim.

Succedit autem in regno Aridæus, qui transnominatus eſt Philippus, frater Alexandri non uterinus, natus enim Philippo erat ex Philinna Lariſſæa: regnat autem annis 7, & occiditur in Macedonia per Polyſperchontem Antipatri filium.

Ptolemæus autem Arſinoës & Lagi filius poſt annum, & labente illo, quod Philippo adſcriptum eſt, regiminis tempore, (μετ' ἐνιαυτὸν καὶ διὰ τοῦ εἰς Φι-

Φιλίππον ἀναγεγραμμένης ἡγεμονίας) ut Satrapa in Ægyptum mittitur. Et Satrapa fuit (σατραπεῦσαι) quidem primis ſeptendecim annis: regnavit (βασιλεῦσαι) autem annos viginti tres. ita ut in univerſum 40 *ei imputentur (anni) uſque ad (ejus) mortem. Quoniam autem vivens adhuc imperio ſe abdicavit, cedens illud filio Ptolemæo (Philadelpho) qui in imperio ſucceſſit, non amplius igitur quadraginta, verum triginta octo Ptolemæi primi, quem etiam Soterem cognominarunt, computantur anni.*

k. Illa Porphyrii verba: *Ptolemæus Arſinoës & Lagi filius μετ' ἐνιαυτὸν καὶ διὰ τῆς εἰς Φιλίππον ἀναγεγραμμένης ἡγεμονίας Satrapa in Ægyptum mittitur*, inſerviunt ad initium imperii Ptolemæi Lagi in Ægyptum determinandum, & ad indicandum eum ab eo tempore revera imperium in Ægyptum tenuiſſe.

Nam illud μετ' ἐνιαυτὸν reſpicit annum mortis Alexandri, & quidem annum Olympiadicum, quo exeunte mortuus erat Alexander, & qui in Porphyrii Canone Alexandri annus 12us & ultimus numerabatur, annum Olympiadis 114^æ^, 1um, & proinde idem valet ac *anno ſequenti*, anno, qui ſequitur poſt annum mortis & ultimum imperii Alexandri, hoc eſt, Olympiadis 114^æ^ anno 2°: ita ut in Porphyrii Canone Olympiadis 114^æ^ annus 2us, & Ptolemæi Lagi Satrapiæ, revera imperii in Ægyptum annus 1us concurrant & pari paſſu ambulent. Adeoque non (quod vult Dodwellus) *inter Alexandri mortem & initium Satrapiæ Ptolemæi Lagi, annus vel integer, vel non integer, ex Porphyrii mente, eſt interponendus.*

Præterea illud, quod additur, καὶ διὰ τῆς εἰς Φιλίππον ἀναγεγραμμένης ἡγεμονίας, non indicat Ptolemæum Lagi a Philippo Aridæo in Ægyptum fuiſſe miſſum, ut hæc verba intellexiſſe videtur Dodwellus; ſed ea, ita ut feci, videntur interpretanda, *& labente illo, quod Philippo adſcribitur, regiminis tempore.* Dixerat Porphyrius, Aridæum Alexandro in regno ſucceſſiſſe, & regnaſſe annos 7. Adeoque per τὴν εἰς Φιλίππον ἀναγεγραμμένην ἡγεμονίαν intelligit *illud ſeptennale Philippi Aridæi imperium, quod ut ſucceſſor Alexandri geſſit, & cujus anni in Actis publicis notabantur, & Philippo, ut Regi adſcribebantur*: (eo ſenſu enim hoc verbo ἀναγράφομαι, de annorum imperii Regum in publicis Actis adſcriptione, ſæpius in hoc fragmento utitur Porphyrius.) Et per totam illam locutionem ſatis clare, meo judicio, indicat, toto illo tempore ſeptem annorum, quo imperium Philippi duravit, & ejus nomen ut Regis, & Alexandri in imperio ſucceſſoris in publicis Actis notabatur, Ptolemæum Lagi, licet nomine Satrapæ, revera imperium Ægypti tenuiſſe: adeoque Ptolemæum Lagi, ab eodem tempore, quo Philippus Aridæus titulum Regis accepit,

pit, & nomen Regis in Actis publicis geſſit, hoc eſt, ab Olympiadis 114^{ae}, anno 2do, etiam imperium Ægypti, nomine Satrapæ, accepiſſe, illudque labente toto illo ſeptennio imperii, Philippo Aridæo adſcripti, jam tenuiſſe: ac proinde ſeriem Regum Ægypti in hoc ſuo Canone recte a Ptolemæo Lagi, ejusque Satrapiæ initio, ſeu anno primo, cum Olympiadis 114^{ae} anno 2do concurrente, repeti.

l. Hæc confirmantur ex collatione alterius fragmenti Porphyriani de Regibus Macedoniæ; in cujus initio expreſſe dicitur, *Aridæus .... ſuſcepit* (διαδέχεται) *imperium, ut diximus, Olympiadis* 114^{ae} *anno ſecundo. Imputantur autem ei anni* 7. *Supervixit enim uſque ad Olympiadis* 115^{ae} *annum quartum.* Item ex collatione tertii fragmenti Porphyriani de Regibus Aſiæ & Syriæ, in cujus initio, *Imperii Aridæi annus ſextus cum Olympiadis* 115^{ae} *anno tertio connectitur.*

m. Confirmantur etiam ex hoc ipſo fragmento, ex ſumma totali, quæ ab anno primo Satrapiæ, revera regni, Ptolemæi Lagi uſque ad Cleopatræ mortem, colligit annos 293, quod etiam in fragmenti clauſula expreſſe dicitur. Illi enim 293 anni, ab Olympiadis 114^{ae}, anno 2° incluſive, dinumerati, deſinunt, cum Olympiadis 187^{ae} anno 2°, in æſtate anni Per. Jul. 4684^{ti}. Canonis autem aſtronomici annus 294us (tot enim in eo a Philippo Aridæo uſque ad Cleopatræ mortem numerantur anni) deſinit in die menſis Auguſti 30° anni Per. Jul. 4684^{ti}. Quod ſatis exacte convenit. Adeoque illa inter utrumque Canonem unius anni differentia, a diverſo utriusque Canonis initio arceſſenda, & non, quod Dodwellus vult, in Ptolemæi Lagi, poſt annum a morte Alexandri, & initium Philippi intermedium, Seniori in Ægyptum miſſione, quærenda eſt. Hoc enim & contra Porphyrii mentem eſt, & ejus Canonem perverteret. Neque hic computus κατ' ἀκρίβειαν hiſtoricam inſtitutus quicquam juvat, cum in duplicis Canonis comparatione, utriusque ratio Canonica ſolummodo ſpectari debeat.

XX.

An Claudius Ptolemæus ſit hujus Canonis Auctor & concinnator.

Communis apud viros doctos invaluit opinio, hunc Canonem, inde a Nabonaſſaro uſque ad finem imperii Antonini Pii, eſſe Claudii Ptolemæi

mæi. Unde videas eum ubivis Ptolemæo tribui, & ſub Ptolemæi nomine citari: quod etiam communem opinionem, & citandi conſuetudinem ſecutus, ſæpius feci.

Hanc communem doctorum virorum opinionem diſtinctius examinare conſtitui: & libenter vellem, eam firmioribus probari poſſe argumentis.

A.

An ex Syncello probari poſſit, hunc Canonem eſſe Ptolemai.

1° Syncellus in ſua Chronographia varia habet, quæ huic opinioni anſam dederunt. Unde etiam Dodwellus §° XXIII expreſſe dicit, *quod hunc Canonem Ptolemæo tribuat Syncellus.*

2° Nullibi autem in tota ſua Chronographia (quantum mihi conſtat) hunc Canonem Regum Aſtronomicum Ptolemæo expreſſe tribuit Syncellus.

3° Attamen hoc verum eſt, Syncellum Ptolemæo expreſſe tribuere τοὺς προχείρους Κανόνας, in quibus Computus aſtronomicus ab Alexandri morte, ſeu a Philippi Aridæi imperii initio deducitur: & præterea Syncellum ubivis ſupponere, hunc Canonem Regum Aſtronomicum ad illas Tabulas Aſtronomicas, quibus Computus Aſtronomicus peragebatur, pertinuiſſe, eumque in illo Tabularum Faſciculo, cui τῶν προχείρων Κανόνων nomen quaſi proprium erat, comprehenſum fuiſſe. Ut oſtendimus ſupra, §° 7. Lit. β. & Lit. ϑ. & §° 14. Lit. δ.

4° Cum autem illi πρόχειροι Κανόνες non ſint ab ipſo Ptolemæo compoſiti, & in unum faſciculum collecti, licet Ptolemæo attribuantur, quia juxta Ptolemæi hypotheſes & principia conſtructi erant, (ut vidimus, ſupra §° 14. Lit. δ.) patet illam Syncelli ſententiam, qua, una cum his προχείροις Κανόσι etiam hunc Canonem Regum Aſtronomicum tacite & per conſequentiam Ptolemæo attribuit, falſa niti hypotheſi. *

5° Præterea, licet concederetur, quod οἱ πρόχειροι Κανόνες ſint ipſius Ptolemæi, & ab ipſo compoſiti, & editi, non tamen inde certo concludere licet, quod hic Canon Regum Aſtronomicus, quia tempore Syncelli,

* (NB. Ita quidem mihi videbatur, ob rationes tamen non ſufficientes, Ptolemæum τῶν προχείρων Κανόνων non eſſe Auctorem, loco modo citato. Sed deinceps comperi, hoc admodum probabile, ſi non certum eſſe, quod Ptolemæus horum Canonum primus Auctor ſit. Vide ſupra §° 14. Lit. ε. ζ. η.)

li, cum his πϱοχείϱοις Κανόσι conjunctus, & eodem faſciculo comprehenſus erat, etiam ſit ipſius Ptolemæi, & ab ipſo concinnatus: Quippe non omnia quæ in hoc Tabularum Faſciculo ſeriori tempore reperiebantur, ſtatim ab initio in eo fuere comprehenſa: cujus, ni fallor, exemplum vidimus, ſupra, §°. 14. Lit. δ. N° 2°, a. & admodum probabile eſt, ejusmodi Tabularum collectionem ſucceſſu temporis, variarum Tabularum, ad utilitatem ſtudii aſtronomici noviter inventarum, acceſſione auctam eſſe.

B.

An ex Calviſii editione probari poſſit, hunc Canonem eſſe Ptolemæi.

1° De hac Calviſii editione egimus ſupra, §° 8° & iterum §° 11. Lit. G. & eodem §° 11. Lit. B. b.

2° Ex hac Calviſii editione magis illa communis opinio invaluit. In ea enim hic Canon non tantum ſub nomine Ptolemæi a Calviſio editur, & ipſi Ptolemæo abſque hæſitatione tribuitur, ſed etiam ipſe Canon hanc habet inſcriptionem: *Ex Manuſcripto Libro Græco Claudii Ptolemæi, continente hypotheſes Planomenun.* Quam non de ſuo adjecit Calviſius, ſed in hujus Canonis Apographo, a D. Overallo Londino ad eum transmiſſo, invenerat.

3° Sed notandum, quod illud hujus Canonis Apographum, ex quo Calviſii editio expreſſa eſt, deſcriptum ſit ex Codice Saviliano 1°, ut admodum probabile eſſe, oſtendimus, ſupra, §° 11. Lit. B. b. & Lit. G. γ. Codex autem Savilianus primus (ex quo tanquam Autographo Calviſii, Bainbrigii, & Dodwelli editio expreſſa eſt) reperitur in Muſæi Saviliani Volumine MS^{to} 2do, quo continentur ſex Opuſcula diſtincta, ut vidimus, ſupra, §° 11. Lit. B. b. Horum Opuſculorum primum exhibet *Ptolemæi Hypotheſes Planetarum.* Secundum inſcribitur *Ptolemæi* πρόχειροι Κανόνες. Reliqua ſunt Theonis & Ariſtidis. Bainbrigius autem, qui ex Muſei Saviliani MSS^{tis} Procli Sphæram, Ptolemæi Hypotheſes Planetarum, & Canonem Regnorum, ſimul edidit, Londini 1620. in 4° in Præfatione expreſſe dicit: *Canonem Regnorum ex pulcherrimo* προχείρων Κανόνων *Volumine MS^{to} eſſe deſumptum*, & a ſe adjunctum. Unde patet hunc Canonem non fuiſſe, proprie loquendo, comprehenſum in Ptolemæi libro de hypotheſibus Planetarum; licet in eodem Volumine MS^{to} fuerit comprehenſus, quo etiam Ptolemæi de hypotheſibus Planetarum liber continebatur, & primum locum obtinebat.

Forte

Forte ille, qui in gratiam D. Overalli hunc Canonem deſcripſit, levi interſtinctionis mutatione, ita ſcripſerat; *ex Manuſcripto Libro Græco, Claudii Ptolemæi, continente hypotheſes Planetarum.* Vel dicendum, eum forte putaſſe, τῆς προχείρυς Κανόνας ad Ptolemæi hypotheſes Planetarum pertinuiſſe, & hæc duo Opuſcula ita conjunxiſſe, ac ſi unum idemque Ptolemæi ſcriptum eſſet.

Calviſius autem bona fide edidit, quod a D. Overallo acceperat.

Non itaque urgenda eſt illa, quæ in Calviſii editione occurrit, hujus Canonis inſcriptio.

4° Si quis regerat, perinde eſſe ſive hic Canon in Ptolemæi de hypotheſibus Planetarum libro, ſive in Ptolemæi προχείροις Κανόσι fuerit comprehenſus.

Reſponderem, hoc non eſſe perinde, cum de Ptolemæi Libro de hypotheſibus Planetarum, ſatis conſtet eſſe Ptolemæi Opuſculum: de προχείροις Κανόσι autem non item. Vide ſupra Lit. A. N° 4° & 5°. Vide etiam infra, Lit. C.

C.

An ex Bainbrigii editione probari poſſit hunc Canonem eſſe Ptolemæi.

1° De hac Bainbrigii editione egimus ſupra, §° 9°, & iterum §° 11°, Lit. F. & B. b.

2° Hæc Bainbrigii editio communem illam, de Ptolemæo hujus Canonis Auctore, opinionem firmare potuit.

a. In titulo enim ſuæ editionis hunc Canonem Ptolemæo adſcribit. qui ita conceptus eſt; *Procli Sphæra. Ptolemæi de hypotheſibus Planetarum liber ſingularis nunc primum in lucem editus. Cui acceſſit ejuſdem Ptolemæi Canon Regnorum.*

b. Hæc, ut ex Bainbrigii præfatione patet, tria Opuſcula ex Muſei Saviliani MSS^tis^ edidit: & hunc Canonem, qui hac editione Ptolemæi de hypotheſibus Planetarum ſubjungitur, in ſpecie edidit ex προχείρων Κανόνων Volumine MS^to^, quod in Muſei Saviliani Codice 2do etiam Ptolemæi hypotheſibus ſubjungitur, cum hoc titulo: *Ptolemæi πρόχειροι Κανόνες.* Bainbrigii in Præfatione verba hæc ſunt: *His tandem adjunximus aureum illum, ex pulcherrimo Κανόνων προχείρων volumine MS. deſumptum, Regnorum Canonem . . . quo ad Antonini Pii regnum uſus eſt ipſe Ptolemæus. Reliquum a Theone (Ptolemæi interprete) additum fuiſſe mihi valde perſuadeo.*

3° Bain-

3° Bainbrigium hunc Canonem, ſeu potius ejus partem uſque ad Antonini Pii regnum, habuiſſe pro Canone Ptolemæi, ſeu, ut ipſe loquitur, *pro illo Canone, quo uſus eſt ipſe Ptolemæus*, certum eſt. Sed quo fundamento hæc ejus ſententia nitatur, non explicat. Varia autem hic notandâ mihi occurrunt.

a. Ipſi Regnorum Canoni, a ſe edito, hunc titulum ſuperinſcribit, Κανὼν βασιλειῶν, & nullum alium: unde concludo, eum hunc titulum, & nullum alium in hujus Canonis MS^to^ inveniſſe.

b. *Illud pulcherrimum* Κανόνων προχείρων *volumen MS^tum^, ex quo aureum hunc Regnorum Canonem deſumpſerat*, non adſcribit Ptolemæo: unde dubium oritur an illud Κανόνων προχείρων volumen MS^tum^ Ptolemæi nomen prætulerit; & an non in Muſei Saviliani Catalogo, huic Κανόνων προχείρων volumini, quod Codicis 2^di^ Opuſculum 2um eſt, Ptolemæi nomen, per hujus Catalogi concinnatorem, ex proprio judicio & communi opinione, præpoſitum fuerit. Atque hoc dubium augetur ex eo, quod Bainbrigius in eadem præfatione, de hypotheſibus Planetarum loquens, expreſſe dicat, *quod hoc Opuſculum Ptolemæi & nomen præferat, & ingenium geniumque referat*. Hoc autem Opuſculum (quod notandum) in eodem Muſei Saviliani Codice 2do reperitur, & primum in eo locum obtinet.

D.

An ex Petavii editione probari poſſit, hunc Canonem eſſe Ptolemæi.

1° De Petavii editione fuſe egi ſupra, §° 10. & iterum §° 11. Lit. H.

2° Hæc Petavii editio, imprimis ea, quæ ad Rationarii Temporum calcem ſubjuncta eſt, communem illam opinionem, quod hic Canon ſit Ptolemæi, ulterius confirmavit.

a. Præfert enim in Capite hunc titulum: Πτολεμαίου Κανὼν βασιλέων.

b. Præterea in Monito ad Lectorem, quod in Rationarii editione tertia præfigitur, ſic ſcribit: *Cum Canonis cujusdam Mathematici ſæpe mentionem fecerimus hoc in Opere, quem Ptolemæus in computandis Regum & Imperatorum annis adhibuit, utile viſum eſt eum hoc loco deſcribere; cujusmodi (in) veteribus Manuſcriptis legitur, & nos eundem in Theonis commentariis* εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας *deprehendimus. Hunc porro ex Græco Codice vetuſto Bibliothecæ Regiæ nonnihil hac editione caſtigavimus; variantes itidem aliquot Lectiones ad marginem adſcripſimus.* Ex his enim Petavii verbis videtur concludendum.

Primo,

Primo, Petavium hunc Canonem in Rationarii ſui editione ſecunda, ex pluribus veteribus Manuſcriptis, a ſe viſis, in lucem edidiſſe: & hunc Canonem in illis veteribus Manuſcriptis Ptolemæi nomen prætuliſſe. Quod etiam Dodwellus inde concluſit; dicit enim *Petavium hunc Canonem edidiſſe ex variis MSS*tis, in Notis Auctorum, poſt §um LXII. & *Petavii Codices hunc Canonem Ptolemæo tribuere*, §o XXIII. ut vidimus ſupra §o 10o, Lit. ε.

Secundo, Petavium præterea hunc Canonem in Theonis Commentariis εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, deprehendiſſe. Quod videtur ſupponere, τοὺς προχείρους Κανόνας cum his Theonis in eosdem Commentariis conjunctos fuiſſe; & etiam hunc Canonem Regum aſtronomicum comprehendiſſe. Unde etiam in Rationario, P. 2a, L. 1. C. 16. p. 54. edit. Franeq. anni 1694, dicit *Canonem hunc Mathematicum Ptolemæi extare in Theonis Libro nondum edito, qui πρόχειροι Κανόνες inſcribitur*.

Tertio, Petavium in Rationarii ſui editione tertia, hunc Canonem, jam ante in Rationarii ſui editione ſecunda a ſe editum, cum Græco Codice vetuſto Bibliothecæ Regiæ contuliſſe, & ex eo nonnihil caſtigaſſe. Ut & eas, quas ad marginem adſcripſit, variantes Lectiones ex eo hauſiſſe. Quod ſupponeret, Græcum illum Codicem vetuſtum Bibliothecæ Regiæ (quisquis ille ſit) hunc Canonem exhibuiſſe.

3o Sed, licet hæc, imprimis ſi ita proponantur, magnam habeant ſpeciem, fateor tamen me hactenus non perſuaderi, ut credam Petavium in hujus Canonis editione, imprimis in ea, quæ in Rationarii ejus editione ſecunda prodiit, ullo hujus Canonis Codice Manuſcripto uſum eſſe. Hujus meæ ſententiæ, vel, ſi vis, conjecturæ rationes propoſui ſupra §o 10o, Lit. ζ. & §o 11o, Lit. H. & quæ ibi fuſe dicta ſunt, hic repetere nolo. Quædam tamen breviter hic monebo.

a. Tanta & tam ſingularis inter hujus Canonis editionem Petavianam & Calviſianam convenientia eſt, ut nullus dubitem, quin Petavii editio ex Calviſii editione expreſſa ſit, nullo intercedente hujus Canonis Codice MSto a Petavio viſo & adhibito.

Neque etiam in Monito ad Lectorem (cujus verba caute concepta, & cum attentione conſideranda ſunt) Petavius dicit, ſe hunc Canonem edidiſſe ex veteribus Manuſcriptis, a ſe ſcilicet viſis & adhibitis: ſed dicit, *ſibi utile viſum eſſe hunc Canonem hoc in loco* (in Rationarii ſui editione ſecunda) *deſcribere; cujusmodi* (in) *veteribus Manuſcriptis legitur*. Quod verum erat, quum in hac ſua hujus Canonis editione exprimeret Calviſii editionem, quæ ex Codice MSto prodierat. Neque veterum Manuſcripto-

rum mentio apud Petavium in plurali quenquam remoretur; quippe quæ formula tantum loquendi eſt, Petavio, aliisque etiam viris doctis non inſolens, quæ urgenda non eſt.

Adeoque quod hic Canon in hac Petavii editione Ptolemæi nomen præferat, hoc non ex MS^{to}, ſed ex Calviſii editione profluxit, ubi in Canonis Capite hæc legitur inſcriptio, *ex Manuſcripto libro Græco Claudii Ptolemæi continente hypotheſes Planomenωn.* Unde Petavius ex proprio judicio collegit hunc Canonem eſſe Ptolemæi, & ſuæ editioni Ptolemæi nomen præpoſuit.

b. Petavius, quum Operis ſui de Doctr. Temp. L. 3. C. 2. conſcriberet, & ibidem p. 254, ex Theonis εἰς τὺς πρoχείρυς Κανόνας Commentario locum vitioſe adduceret, ipſum hunc Theonis Commentarium nondum viderat, ut dicit in Auctario L. 5. C. 4. p. 200. A. Deinde eum nactus, ſic ſcribit in eodem Auctario, L. 5. C. 3. p. 194. C. *Theo Mathematicus eruditiſſimus libro, qui inſcribitur* εἰς τὺς πρoχείρυς Κανόνας, *qui nondum editus penes nos ſcriptus eſt, & in Bibliotheca regia reperitur, &c.* (Hactenus nihil de ipſis πρoχείροις Κανόσι, cum illo Theonis in eos Commentario conjunctis.)

In illo Theonis εἰς τὺς πρoχείρυς Κανόνας Commentario, qui nondum editus penes Petavium ſcriptus erat, & cujus fragmentum deinde edidit Dodwellus, varia occurrunt, quæ hunc Canonem concernunt: vide quæ ex eo habet Petavius in Auctario, L. 5. C. 4. p. 200. & L. 8. C. 4. p. 303. Quando itaque Petavius in Monito ad Lectorem dicit, viſum eſt eum hoc loco deſcribere; *cujusmodi* (veteribus Manuſcriptis legitur, &) *nos eundem in Theonis Commentariis* εἰς τὺς πρoχείρυς Κανόνας *deprehendimus.* His verbis, meo judicio, indicat, hunc Canonem cujusmodi in veteribus Manuſcriptis (ex quibus in Calviſii editione prodierat) legebatur, etiam convenire cum iis, quæ in Theonis εἰς τὺς πρoχείρυς Κανόνας Commentario, de hoc Canone dicta eſſe deprehenderat.

An autem Petavius ipſos πρoχείρυς Κανόνας unquam viderit, de eo nunc adhuc magis, quam antea, dubito. Scribit quidem in Auctario, L. 8. C. 4. p. 303. *Verum in libro* πρoχείρων Κανόνων, *qui Tabulas Aſtronomicas complectitur, Canon idem a Philippo Aridæo incipit;* (ſed ibidem ſic pergit) *ut in Manuſcriptis Codicibus apparet, qui Theonis Commentarios* εἰς τὺς πρoχείρυς Κανόνας *exhibent.* Cur enim, ad probandum, quod in libro πρoχείρων Κανόνων Canon idem a Philippo Aridæo incipiat, non provocat ad ipſum illum Librum πρoχείρων Κανόνων, ſi ille Liber nondum editus penes ipſum ſcriptus fuiſſet; ſed contra provocat ad *Codices Ma-*

Manuſcriptos, qui Theonis Commentarios εἰς τὰς προχείρους Κανόνας exhibent; licet in illo Theonis Commentario non appareat, Canonem Regum a Philippo Aridæo incipere, ſed tantum Epocham in calculo aſtronomico inde a Theone deduci. Hoc autem ex libro προχείρων Κανόνων ad oculum apparere potuiſſet, an Canon Regum (in illo libro comprehenſus) a Nabonaſſaro, an demum a Philippo Aridæo, ſeriem Regum ordiretur. (Nota hoc in loco ſimilem loquendi formulam in plurali *de Codicibus Manuſcriptis, qui Theonis Commentarios* εἰς τὰς προχείρους Κανόνας, *exhibent*, cum tamen unicus tantum nondum editus penes eum ſcriptus erat, cujus Autographum in Bibliotheca regia reperiebatur. Nota præterea Petavium τὰς προχείρους Κανόνας, in hoc ipſo loco, Ptolemæo tribuere, quod habet ex Syncello)

Quando autem Petavius in Rationario, P. 2ª, L. 1. C. 16. p. 54. dicit, *quod hic Canon extet in Theonis libro nondum edito, qui* πρόχειροι Κανόνες *inſcribitur*, loquitur de eodem libro προχείρων Κανόνων, de quo in ſuperiori loco locutus erat. Quod autem hunc librum Theoni adſcribat, & in eo hunc Canonem extare dicat, hoc ex Theonis εἰς τὰς προχείρους Κανόνας commentario, per conſequentiam collegit. Dicit quidem hunc *Theonis librum, qui* πρόχειροι Κανόνες *inſcribitur, nondum editum eſſe, ſed non dicit eum penes ſe ſcriptum eſſe, quod de Theonis libro, qui* εἰς τὰς προχείρους Κανόνας *inſcribitur, dixerat.*

c. Fateor Petavium in Rationarii ſui editione tertia, *hunc Canonem ex Græco Codice vetuſto Bibliothecæ regiæ, nonnihil caſtigaſſe.* Hoc enim expreſſis verbis dicit Petavius. Sed hunc vetuſtum Bibliothecæ regiæ Codicem hunc Canonem exhibuiſſe, non dicit, neque etiam hoc credo: illa enim, cujus in Monito ad Lectorem, expreſſe meminit, hujus Canonis ex illo Codice caſtigatio, contrarium ſuadere videtur. Mihi potius videtur, hunc Codicem Theonis εἰς τὰς προχείρους Κανόνας Commentarium exhibuiſſe, & eundem eſſe cum illo Bibliothecæ regiæ Codice, cujus Apographum penes ſe habebat, ut dicit in Auctario L. 5. C. 9. p. 194. C.

Variantes autem, *quas ad Canonis marginem adſcripſit, Lectiones*, non ex illo Bibliothecæ regiæ vetuſto Codice hauſit, neque etiam id dicit Petavius, ſed eas aliunde habet. Ut oſtendimus ſupra, §° 11°, Lit. H. Obſerv. 6ª Et, quod notandum, variantes illæ Lectiones ad illam duntaxat Canonis adſcribuntur partem, quæ Reges Babylonios a Nabonaſſaro ad Cyrum continet, & horum Regum nomina tantum concernunt.

Video tamen mihi objici poſſe, quod illa quæ Petavius in monito ad Lectorem, ex illo vetuſto Bibliothecæ regiæ Codice Græco profert, non

tantum in fragmento Theonis εἰς τῦς προχείρυς Κανόνας, a Dodwello edito non reperiantur, ſed etiam contraria ſint iis, quæ Petavius, in Auctario L. 8. C. 4. p. 303. in Theonis Commentariis εἰς τῦς προχείρυς Κανόνας, *apparere* dicit, nempe hunc Canonem Regum in Libro προχείρων Κανόνων, a Philippo Aridæo incipere. In monito enim hæc habet Petavius; *in tertia ſerie Græcorum Regum editiones aliorum, & quæ hanc anteceſſit Rationarii noſtri ſecunda, iſtud lemma præfigunt* Ἑλλήνων βασιλεῖς, *tum Alexandrum cum duobus reliquis ei ſubjiciunt. At Codex ille Regius Alexandrum Perſicis regibus adſcribit. quod hic amplexi ſumus, cum eo, quem ibidem reperimus, titulo.* Titulus autem ille in Canone ita exprimitur:. Ἔτη βασιλέων τῶ μετὰ τὴν Ἀλεξάνδρυ τῦ βασιλέως τελευτήν.

Hanc ob cauſam huic meæ conjecturæ, quam modo & etiam ſupra alibi propoſui, nolo inſiſtere; quod nempe vetuſtus ille Bibliothecæ Regiæ Codex Græcus Theonis Commentarium εἰς τῦς προχείρυς Κανόνας exhibuerit, & idem cum illo Bibliothecæ Regiæ Codice fuerit, cujus apographum penes ſe habebat.

Alia quidem mihi oborta eſt ſuſpicio, an non vetuſtus ille Bibliothecæ Regiæ Codex Græcus continuerit Syncelli Chronographiam, tunc nondum editam, & Petavio non incognitam, deinceps vero ex *vetuſto Bibliotheca Regiæ Codice*, a Goaro editam. Dici enim poteſt, quod ille hujus Chronographiæ Codex Regius Alexandrum Perſicis regibus adſcribat: vide Syncelli Chronographiam p. 207—209. Sed illum, quem Petavius *ibidem* ſe reperiſſe dicit, titulum in hac Syncelli Chronographia hactenus non deprehendi, ſaltem iisdem conceptum verbis, quibus a Petavio expreſſus eſt.

Malo itaque hac in re ἐπέχειν, quam in re incerta conjecturis nimis indulgere. (*)

E. *De*

(*) Fateor me, in hac ſententiæ Petavianæ explicatione, nimis conjecturis indulſiſſe, quare etiam in varios lapſus ſum errores, quo etiam obſcuriores quædam & incongruæ Petavii locutiones anſam mihi dederunt. Hos errores jam ſupra §o 10. Lit. ζ. & §o 11. Lit. H. in Notis in inferiore margine locatis, corrigere ſtudui, quas ut benignus Lector conſulat, atque ex iis, illa quæ hic erronĕe dicuntur emendet, enixe peto. Nunc enim poſtquam Codicis Lugduno-Batavi uſus mihi conceſſus fuit, deprehendi, Græcum illum vetuſtum Bibliothecæ Regiæ Codicem, de quo Petavius loquitur, continuiſſe Theonis Commentarium εἰς τῦς προχείρυς Κανόνας, & ſimul ipſos προχείρυς Κανόνας, & inter eos ipſum Canonem Regum Aſtronomicum; & Petavium in Rationarii ſui editione tertia Canonem Regum ex hoc Codice Regio non nihil caſtigaſſe, & forte etiam inde aliquot ſaltem Lectiones marginales deſumpſiſſe, atque ex eodem illo Codice & Canone Regum in eo contento, illum titulum deprompſiſſe. De his autem illi, quibus Bibliothecam Regiam Pariſienſem perluſtrare licet, notitiam diſtinctiorem ſuppeditare poterunt.

E.

De hujus Canonis Auctore Petavii ſententia.

1° Petavius in Auctario L. 8. C. 4. p. 303. B. hæc habet: *Fuit apud Aſtronomos in uſu Canon quidam, ſive laterculum Regum, qui a Nabonaſſaro ad Antoninum uſque propagatur: nimirum ad Ptolemæi tempora, qui a Chaldæis traditum Canonem Romanis Imperatoribus auxiſſe videtur.*

Unde patet

a. Petavium priorem Canonis partem Chaldæis tribuere.

b. Alteram vero, quæ ſeriem Regum Ægypti exhibet, tranſilire.

c. Et Ptolemæo tantum illam tribuere Canonis partem, quæ ab Auguſto ad Antonini Pii finem decurrit: idque adhuc dubitanter.

Unde etiam in illo ad Lectorem monito, quod in Rationarii editione tertia præfigitur, *dicit Ptolemæum Canonem illum Mathematicum*, quem edebat, non compoſuiſſe aut concinnaſſe, ſed *in computandis Regum & Imperatorum annis adbibuiſſe.*

2° Idem Petavius, de Doctr. Temp. L. XI. C. 22. p. 334. C. ſingularem admodum de hoc Canone proponit ſententiam. Quæ tamen, quia non tam ejus Auctorem, quam compoſitionis modum, ejusque cum veris Imperatorum annis conciliationem, ſpectat, infra, ſuo loco, examinanda erit. Vide infra §° 26. Lit. A. N° 2°.

F.

De hujus Canonis Auctore Dodwelli ſententia.

1° Dodwellus in Prolegom. §° XXIII. ſic ſcribit: *Id genus Tabulas cum motuum cœleſtium confeciſſet, tum præterea unam Regum fortaſſe confecerit, quorum* (Regum) *toties in magna conſtructione meminerat, eorumque annis tot Aſtronomorum obſervationes conſignatas commemoraſſet. Ipſi certe Ptolemæo hunc etiam Canonem tribuerunt Codices Petavii, tribuit Syncellus.*

Hic vides,

a. Dodwellum hunc Canonem dubitanter Ptolemæo tribuere. Quod certe non ita feciſſet, ſi in illis, quos tractavit, hujus Canonis Codicibus MSS^tis, firmum aliquod pro communi ſententia inveniſſet præſidium.

b. Quare etiam per probabilem conſequentiam, talem Canonem Regum a Ptolemæo confectum eſſe, ſuadere conatur. Et certe hoc Dodwelli ratiocinium rem probabilem reddit. Vide quæ notavimus ſupra, §° 5°.

c. Quia tamen in ſuis, quos viderat, Codicibus MSS^tis^, hic Canon Ptolemæo non tribuebatur; provocat ad Codices Petavii, & ad Syncellum: de quibus egimus ſupra, Lit. D. & Lit. A.

G.

An ex MSS^tis^ Dodwelli, quia Ptolemæi nomen non præferunt, probari poſſit hunc Canonem non eſſe Ptolemæi.

1° Dodwellus, in ſua hujus Canonis editione, uſus eſt quatuor MSS^tis^, duobus Savilianis, & duobus itidem Voſſianis; ut vidimus ſupra, §° 4°. & de quibus egimus ſupra, §° 11°, Lit. B. I. K. L.

In nullo autem horum quatuor Manuſcriptorum hic Canon Ptolemæo adſcribitur, aut Ptolemæi nomen in capite præponitur.

2° Ad illam vero quæſtionem, an ex eo probari poſſit, hunc Canonem, qui a Nabonaſſaro ad Antonini Pii tempora decurrit, non eſſe Ptolemæi, reſpondeo hoc inde minime ſequi.

Notandum enim, quod ne unus quidem horum quatuor Manuſcriptorum in Antonino Pio deſinat, ſed omnes ad tempora Antonino Pio, & ætate Ptolemæi longe inferiora progrediantur. Cum enim ille, qui Ptolemæo tribuitur, Canon deſinat in anno a morte Alexandri 483°, a Nabonaſſaro 907°; progreditur hujus *Manuſcriptum Voſſianum primum* ad annum a morte Alexandri 934um, a Nabonaſſaro 1358um. *Manuſcriptum* autem *Voſſianum ſecundum*, ad annum a morte Alexandri 1136um, a Nabonaſſaro 1560um. *Manuſcriptum* vero *Savilianum ſecundum*, ad annum a morte Alexandri 1234um, a Nabonaſſaro 1658um. *Manuſcriptum* denique *Savilianum primum*, ad annum a morte Alexandri 1737um, a Nabonaſſaro 2161um. Unde patet in hiſce quatuor MSS^tis^ contineri non tantum ipſum illum, qui Ptolemæo adſcribi poſſit, Canonem, ſed ſimul etiam variorum variam continuationem, longe ſeriori tempore, *quadringentis*, *ſexcentis*, *ſeptingentis*, *&* denique *mille & ultra annis* poſt Ptolemæi tempora, concinnatam.

Mirum itaque non eſt, quod illi, qui in his MSS^tis^ exhibentur, Canones Ptolemæo non adſcribantur, & Ptolemæi nomen non præferant: cum hoc ex vero fieri non potuerit.

Ac-

Accedit, quod in *Manuſcripto Saviliano ſecundo*, prior hujus Canonis pars à Nabonaſſaro ad Alexandri mortem, plane omittatur, & ipſe Canon a Philippo Aridæo demum incipiat: quapropter tanto minus in illo Manuſcripto huic Canoni Ptolemæi nomen præfigi potuit; cum ille, qui Ptolemæo attribuitur, Canon illa parte, non caruerit; & tres reliqui MSS[ti] illam partem exhibeant, & a Nabonaſſaro incipiant: quod etiam in Calviſii & Bainbrigii editione videre licet.

Quibus & hoc addi poteſt, quod in his hujus Canonis Manuſcriptis, collectio annorum a Nabonaſſaro inchoata, in Alexandri morte terminetur, & non ulterius uſque ad Ptolemæi tempora ad minimum prorogetur: ſed nova annorum collectio a Philippo Aridæo inchoëtur, eaque ad Ptolemæi tempora & ultra uſque ad Canonis finem prorogetur; ita ut nulla nova annorum collectio ab Auguſto deducta reperiatur. Cum in illo, qui Ptolemæo attribuitur, Canone videtur locum habuiſſe vel triplex illa annorum collectorum columna, quam in ſua editione exhibuit Dodwellus; vel potius triplex tantum nova annorum collectio; prima ſcilicet a Nabonaſſaro in Alexandri morte deſinens; ſecunda a Philippo Aridæo in Cleopatræ morte deſinens; tertia ab Auguſto in Antonino Pio deſinens, quando vixit Ptolemæus: convenienter Computo, quo utitur Ptolemæus, in magna conſtructione, L. 3°. C. 8°. Si itaque Ptolemæi Canon, non tantum longi temporis continuationem a variis acceperit, ſed etiam per illos continuatores novam quodammodo formam, quoad annorum collectionem, induerit; multo certe adhuc minus mirum eſt, quod in his Manuſcriptis huic Canoni Ptolemæi nomen ab his continuatoribus, & novi quaſi Canonis concinnatoribus, non fuerat præpoſitum.

H.

An ex Theonis ſilentio, qui hunc Canonem Ptolemæo non tribuit, probari poſſit, hunc Canonem non eſſe Ptolemæi.

1° Theo Alexandrinus, in ſuo *εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας* commentario, cujus *fragmentum* edidit Dodwellus, §° 5°, duobus in locis hujus Canonis mentionem facit, ut jam monuimus ſupra, §° 6° ibique a Theone ſimpliciter appellatur *Κανόνιον* & *Κανὼν τῶν βασιλειῶν*, non addito Ptolemæi nomine.

2° Sed inde probari non poteſt, illum qui a Nabonaſſaro ad Antoninum Pium decurrit, Canonem non eſſe Ptolemæi.

a. Potuit enim Theo hunc Canonem, Aſtronomis, ſuisque diſcipulis hoc nomine ſatis notum, & ab aliis Canonibus ſatis diſtinctum, ſimpliciter vocare *Canonem Regnorum*, neque opus erat ut Ptolemæi adjiceretur nomen.

b. Præterea notandum, quod hunc ſuum εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας Commentarium conſcripſerit Theo anno Diocletiani 77°, qui eſt ab Alexandri morte 684us, ducentis poſt Antonini Pii tempora annis: quando Ptolemæi Canon jam ad Theonis ætatem, vel ad minimum ad Diocletiani initium ab aliis erat continuatus: ita ut Canon eouſque continuatus Ptolemæo ſimpliciter adſcribi non potuerit.

c. Denique argumentum ex ejusmodi ſilentio deſumptum non adeo magnam vim habet.

I.

An ex Ptolemæi Almageſto, quia in eo nulla hujus Canonis mentio fit, probari poſſit hunc Canonem non eſſe Ptolemæi.

1° Inter plurimas, quas in Almageſto ſuo Ptolemæus expoſuit, Tabulas aſtronomicas, nulla occurrit Regum ſeu Regnorum Tabula. Imo, quod adhuc magis mireris, nullibi in toto Ptolemæi Almageſto hujus Canonis Regum mentio fit. Ut jam notavimus ſupra, §° 5°.

2° Unde, fateor, ſatis magna oritur ſuſpicio, hunc Canonem Regum non eſſe Ptolemæi. Cum in Ptolemæi Almageſto, hujus Canonis mentionem faciendi, tot in locis, occaſio ſe offerebat. & nulla plauſibilis ratio dari poſſit, cur ſi hunc Canonem jam tum confeciſſet, huic ſuo Operi eum non inſeruiſſet. Præſertim ſi cogitemus, quantum lucis ad hujus Operis illuſtrationem & confirmationem talis Canon afferre potuiſſet.

3° An autem certo inde concludi poſſit, hunc Canonem non eſſe Ptolemæi, affirmare non auſim.

a. Quia revera eſt argumentum negativum, quod non ſemper probat, & magis oſtendit rem non liquere, quam non eſſe, atque id efficit, ut aſſenſus ſuſpendatur, & probatio ab affirmante requiratur.

b. Et licet hoc argumentum, quibusdam rationibus, a congruo & probabili ductis, fulciatur, non tamen illud reddunt apodicticum. Hujusmodi enim rationes ſæpius fallunt, præſertim in rebus facti, quæ teſtimonia hiſtorica requirunt. & quod probabile eſt, non tamen certum eſt. & quam facilis his in rebus & ratiociniis lapſus ſit, ipſa me docuit experientia.

c. Adde,

c. Adde, quod Ptolemæus ejusmodi Canonem Regum potuerit in privatos confeciſſe uſus, & quum Almageſtum ſuum ederet, eundem, ob rationes nobis incognitas, intra privatos retinuiſſe parietes: vel potius, quod Ptolemæus hunc Canonem, poſt Almageſti ſui editionem, potuerit confeciſſe, & edidiſſe. (*)

d. Quid, ſi ipſe Ptolemæus, poſt Almageſti ſui editionem, collegerit vel compoſuerit illum Canonum faſciculum, cui πρωχείρων Κανόνων nomen quaſi proprium eſt, & huic Canonum faſciculo etiam hunc Regnorum inſeruerit Canonem. Certe illos πρωχείρυς Κανόνας ipſi Ptolemæo tribuunt Heraclius imperator, Georgius Syncellus, &c. ut vidimus ſupra, §° 14°, Lit. δ. Atque ex illo τῶ πρωχείρων Κανόνων volumine MSto prodiit Canonis Regnorum editio Bainbrigiana, ut videre licet ſupra, §° 9°. Imo etiam ipſe Textus editionis Dodwellianæ, quanquam de eo nihil moneat Dodwellus; quod mirum non eſt; quia quum Diſſertationes ſuas Cyprianicas conſcriberet, non verſabatur Oxoniæ, ſed ut in Dedicatione legitur, *ſcribebat in ſeceſſu ſuo Aſaphenſi, VI Id. Aprilis anni* 1682di. Quod etiam de Appendice ad has Diſſertationes a Dodwello adjuncta dicendum videtur. Ita ut Dodwellus (quod etiam aliæ ſuadent rationes) hoc Muſei Saviliani volumen MSum τῶ πρωχείρων Κανόνων & hunc in eo contentum Canonem ipſe non viderit; vide Dodwelli Prolegomena, §° LXII. & quæ notavimus ſupra, §° 11°, Lit. B. Magis miror Bainbrigium, profeſſorem Savilianum, qui hunc Muſei Saviliani Codicem, numero 2dum, verſavit, & hujus Codicis Opuſculum primum, Ptolemæi hypotheſes Planetarum, & ex ejuſdem Codicis Opuſculo ſecundo (quo οἱ πρόχειροι Κανόνες continentur) hunc Regnorum Canonem edidit, non majorem illius voluminis MSti, ex quo hic Canon prodibat, Lectori ſuo notitiam ſuppeditaſſe. Certe ex Anglia major lux expectari poterit de illis πρωχείροις Κανόσι. & forte de iis iterum agam in ſequentibus.

K.

An ex Methodo, qua Ptolemæus utitur in Almageſti L. 3. C. 8. probari poſſit, hunc Canonem non eſſe Ptolemæi.

1a De illa Ptolemæi methodo, qua in Almageſti ſui L. 3°, C. 8° utitur;

(*) Præſertim cum Ptolemæus, poſt Almageſtum, ediderit de hypotheſibus Planetarum libellum, & in eo Epochas aſtrorum in Philippi Aridæi anno 10 conſtituerit, & *in latitudinum hypotheſibus quadam immutaverit*: unde nata occaſio πρωχείρυς Κανόνας conſtituendi, & Regum Canonem edendi. Vide §° 14, Lit. ε. ζ. η.

tur, in reductione anni imperii Adriani 17^{mi} ad annum Æræ Nabonaſſari, egimus ſupra, §° 13°, Lit. d. N° 13. item §° 14°, Lit. γ. Obſerv. 7ª.

2° Hinc, fateor, illa augetur ſuſpicio, hunc Canonem non eſſe Ptolemæi.

3° Sed tamen hoc argumentum rem non evincit.

a. Dubitari enim poteſt, an unicum hoc hujus methodi exemplum, firmo ſatis fundamento, in conſequentiam trahi poſſit.

b. Præterea major hujus argumenti vis perit, ſi ponatur, quod Ptolemæi Canon, in annorum Collectione habuerit tres Epochas diſtinctas, quarum prima terminabatur in Alexandri morte, altera in Cleopatræ morte, & tertia in Antonini Pii imperio. Vide quæ diximus ſupra, Lit. G. N° 2°, in fine.

c. Denique ad maximum, nihil amplius inde concludere liceret, quam hunc Canonem eſſe Almageſti editione poſteriorem: quod tamen non certo inde concludi poteſt. Licet res ipſa non improbabilis ſit. Vide ſupra Lit. I. N° 3°, Lit. C.

L.

Ad ea, quæ ſupra hoc ipſo §° 20° *dicta ſunt, mea Epicriſis.*

Hactenus quaſi anceps hæſi, nunc autem, poſtquam incidi in Ptolemæi de Hypotheſibus Planetarum libellum, & Codicis Lugduno-Batavi uſum nactus ſum, judico, quam maxime probabile, ſi non certum eſſe, Ptolemæum hujus Canonis a Nabonaſſaro uſque ad Antoninum Pium eſſe Auctorem.

Hujus judicii meæ rationes ſunt ſequentes:

1ª *Ipſe Ptolemæus in libello de Planetarum Hypotheſibus, quem poſt Almageſtum conſcripſit, Epochas Aſtrorum*, Solis, Lunæ, & reliquarum quinque Planetarum *in anno Philippi Aridæi primo*, in menſis Thoth die primo, in ipſa meridie Alexandriæ, *conſtituit*; ut vidimus ſupra §° 14°, Lit. ε.

2ª In eodem de Hypotheſibus Planetarum libello Ptolemæus, in conſtituenda Epocha ſeu aſſignando loco Solis, Lunæ, & reliquarum quinque Planetarum in anno Philippi primo, in menſis Thoth die primo, in ipſa meridie Alexandriæ, *quædam in latitudinum Hypotheſibus ſtudio immutavit*: ut vidimus ſupra §° 14°, Lit. ε.

3ª *Hæc*

3ª *Hæc in latitudinum Hypotheſibus mutatio procul dubio influentiam habuit in Tabulas, & in eas, ubi hoc opus erat, mutationem quandam intulit.*

4ª Atque hinc præcipue cauſa petenda videtur, cur *in* προχείροις Κανόσι *Tabulæ, quæ in Ptolemæi Almageſto occurrunt, Octodecaëteridum, non reperiantur, & in earum locum Tabulæ Icoſipentaëteridum ſubſtitutæ* ſint. ut vidimus ſupra §º 14º, Lit. η.

5ª Cum autem illæ, quæ in προχείροις Κανόσι reperiuntur, *Tabulæ Icoſipentaëteridum plane juxta Ptolemæi Hypotheſes, & Epochas, in illo de Planetarum Hypotheſibus libello ab ipſo propoſitas, conſtructæ ſint:* & absque ejuſmodi Tabulis, ea, quæ Ptolemæus, in dicto de Planetarum Hypotheſibus libello, noviter obſervaverat & correxerat, in calculo aſtronomico ad uſum deduci non videntur potuiſſe: admodum probabile eſt, Ptolemæum τῶν προχείρων Κανόνων primum eſſe Auctorem: ut vidimus ſupra §º 14º, Lit. η. Et ſi hoc, quod Uſſerius innuit, conſtaret, non tantum de Hypotheſibus Planetarum libello, ſed *etiam* τῶν προχείρων Κανόνων *volumini præfixam eſſe præfationem ad Syrum*, res extra dubium foret: ut vidimus ſupra §º 14º, Lit. ζ.

6ª Cum autem *Icoſipentaëteridum Tabulæ*, ſi ad uſum reducantur, *requirant etiam Regum Canonem*, ad numerum annorum determinandum, qui in Icoſipentaëteridum Tabulam introducendus (ut Theo in ſuo εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας Commentario docet) admodum etiam probabile eſt, Ptolemæum προχείροις Κανόσι inſeruiſſe Regum Canonem.

7ª Unde etiam in Codice Lugduno-Batavo, in Regum Canone ſecundo, ad Ælii Antonini nomen in margine annotatur, ἐπὶ τούτου τὸν Κανόνα ἔγραψεν Πτολεμαῖος, *ſub hoc Canonem ſcripſit Ptolemæus.*

X X I.

An Theon Alexandrinus ſit hujus Canonis Auctor vel continuator.

Quod tempore Theonis Alexandrini, quando anno a Diocletiano 77º, ſuum εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας conſcribebat Commentarium, jam exſtiterit Regnorum Canon, qui ad minimum, uſque ad Imperii Diocletiani initium ſe extendebat, certum eſt, ut vidimus ſupra §º 6. Merito itaque quæritur an Theo hujus Canonis Auctor vel continuator ſit.

A. De

A.

De hoc Regnorum Canone Bainbrigii ſententia.

1° Canon Regnorum a Bainbrigio editus, incipit a Nabonaſſaro, & ſe extendit uſque ad finem imperii Theodoſii ſenioris: ut vidimus ſupra, §° 9° de hac ſua hujus Canonis editione, in fine ſuæ Præfationis, ſic ſcribit Bainbrigius: *His tandem adjunximus aureum illum, ex pulcherrimo* Κανόνων προχείρων *volumine MS*^to^ *deſumptum, Regnorum Canonem. . . . Quoad Antonini Pii regnum uſus eſt ipſe Ptolemeus. Reliquum a Theone (Ptolemæi interprete) additum fuiſſe mihi valde perſuadeo.*

Unde patet Bainbrigium Theonem habuiſſe pro Canonis Ptolemaici continuatore: atque eum in ea fuiſſe ſententia, quod Ptolemæi Canonem continuaverit Theo uſque ad ſuam ætatem. Putabat enim, ut videtur ex Suida, Theonem tempore Theodoſii ſenioris vixiſſe, atque imperii ejus finem attigiſſe.

2° Sed hanc ſuam ſententiam nullo vel argumento, vel teſtimonio probare conatur Bainbrigius: verum ea ſolo ipſius nitebatur judicio, quo hoc probabile eſſe judicabat.

Non enim hunc Canonem Bainbrigius uſque ad Theodoſium ſeniorem extendit, & in regni ejus fine, in ſua editione terminavit; quia illud MStum, ex quo hunc Canonem edebat, euſque progrediebatur, atque ibi deſinebat; ſed Manuſcripti ſui partem duntaxat in ſua editione expreſſit, editionemque ſuam pro lubitu ſuo in Theodoſio ſeniore terminavit; quia putabat Theonem eousque vixiſſe, & propterea *Theonem, Ptolemæi interpretem. Reliqua, poſt Ptolemæum ad ſuam uſque ætatem, addidiſſe, ſibi valde perſuadebat.* Hoc jam obſervavit Dodwellus, cujus verba adduximus ſupra §° 9°, Lit. b. Quibus & hoc addo, quod ex Bainbrigii Præfatione pateat, non tantum in genere, quod hunc Canonem, una cum Procli Sphæra, & Ptolemæi hypotheſibus Planetarum, ex Muſei Saviliani Codicibus MSStis ediderit, ſed etiam, quod hunc Canonem in ſpecie ediderit ex *volumine* Κανόνων προχείρων MSto; quod in Muſei Saviliani Codice MSto, qui numero ſecundus eſt, continetur, & Ptolemæi hypotheſibus immediate ſubjungitur; & ex quo ipſe Canonis Textus in editione Dodwelliana expreſſus eſt; unde patet ipſum hujus Canonis Autographum MStum, cujus partem duntaxat in ſua editione expreſſit Bainbrigius, longe ultra Theodoſii ſenioris tempora, imo ultra Conſtan-

tinopolim

tinopolim à Turcis captam progredi. Vide ſupra §° 9°, Lit. e. §° 11°, Lit. B. & F. §° 20°, Lit. C. & G. N° 2°. Notandum præterea idem locum habere in Calviſii editione, ſeu potius in D. Overalli Apographo, in quo pro lubitu deſcriptoris hic Canon in Antonino Pio terminatur, quia eam duntaxat Autographi ſui partem exhibere volebat, quæ Ptolemæo tribui poterat. Fons enim editionis Calviſianæ, æque ac Bainbrigianæ, eſt, meo judicio, idem illud Manuſcriptum Savilianum.

B.

De hoc Regnorum Canone Dodwelli ſententia.

1° Dodwellus ſuam de hoc Codice ſententiam non adeo clare explicat. De eo agit, §° XXXIII & §° XXXIV, in initio. & §° LVIII, in initio & §° LX. & poſt §um LXII in Notis Auctorum: ut & in Notis ad latus Canonis adjunctis.

a. Si quid video, Dodwellus ſtatuit, eam Canonis partem, quæ a Ptolemæi temporibus ad initium uſque imperii Diocletiani decurrit, ab Aſtronomis fuiſſe concinnatam: ita enim dicit §° XXXIV, in initio, *a Nabonaſſaro tamen ad Diocletianum, ut ab Aſtronomis concinnatus eſt hic Canon, ita eorum uſibus aptatum eſſe veriſimile eſt.*

b. Sed hoc putat factum eſſe non ab Aſtronomis coævis, ſed junioribus. Ita enim ſcribit, §° LVIII, circa initium; *ita quæ ſequuntur Canonis tempora uſque ad Epocham Diocletiani, ut ab Aſtronomis fuerint, a coævis tamen non fuiſſe neceſſe erit.* & §° LX, circa medium; *ſupplenda itaque poſteriorum Imperatorum erant tempora uſque ad initium Epochæ Diocletiani.... Hoc itaque ſupplementum cum a junioribus eſſet, remotioribusque ab eorum temporum memoria; inde tot illius errores.*

c. Quorſum etiam, ut videtur, facit, quod pluribus conetur probare, Aſtronomiæ ſtudium poſt Ptolemæi tempora Alexandriæ neglectum, turbatum, & fere extinctum fuiſſe, & demum Conſtantini M. tempore revi viſcere cœpiſſe. Qua occaſione etiam de Anatolii Canone Paſchali, de Concilii Nicæni de Paſchate decreto, & de Theophili Alexandrini & Cyrilli Cyclo agit. §° LVI—LX.

d. Præterea contendit Dodwellus, quod Theonis Alexandrini tempore hic Canon Regum nondum ulterius, quam ad initium Diocletiani fuerit continuatus, & quod *Epocha Diocletiani*, ut dicit, *nullis Regum temporibus ab Aſtronomis fuerit diſtincta.* §° XXXIII, in initio.

e. Quod conatur probare variis rationibus. 1° Quia Canon, quem habemus, inde a Diocletiano admodum vitioſus eſt. 2° Quia ipſe Theo Canonem, quo uſus eſt, non ulterius, quam ad Diocletianum continuatum conſiderat, & annis a Diocletiano ſimpliciter utitur, non additis Regum ſeu Imperatorum annis. 3° Quia Scriptores Cyclorum Paſchalium etiam eodem modo annis a Diocletiano, abſque Imperatorum annis utuntur. Verba Dodwelli, §° XXXIII, hæc ſunt: *Sed nullis illam* (Diocletiani Epocham) *puto Regum temporibus fuiſſe ab aſtronomicis diſtinctam. Ipſa tempora hoc clamant vitioſiſſima deinde, & a ſumma illa Mathematicorum ἀκριβείᾳ alieniſſima. Noſter Theon, in hoc ejus fragmento, & commentariis in Ptolemæum, hac ipſa uſus Epocha; neutro tamen in loco numerat annos Imperatorum, ſed ne Canonis quidem meminit in quo numerarentur. Idem tamen annos ab Auguſto ad Diocletianum, ἐκ τοῦ βασιλειῶν Κανόνος, numerat* 313 *Similiter & Scriptores Cyclorum Paſchalium Chriſtiani* (*a quibus Aſtronomorum morem diſcendum eſſe diximus*) *annum Diocletiani numerant quidem, ſed nullo unquam Imperatoris anno deſignatum.*

f. Denique Dodwellus in ea fuit ſententia, quod Theo uſus fuerit illo Canone Regum, qui in Manuſcripto Saviliano ſecundo exhibetur, ſaltem uſque ad Diocletianum. & forte etiam ipſum Theonem pro hujus Canonis, ab Antonino Pio ad Diocletianum continuatore habuit. Sic enim ſcribit in Notis Auctorum, poſt §um LXII. *S.* 2. *MS. Savilii ſecundum, quod Theonis fuiſſe puto uſque ad Diocletianum* & paulo poſt, in Obſervationibus, quæ ad latus Canonis ponuntur, hæc habet: *Conſtat porro e Theonis fragmento, non altius ab illo, quam ab hac ſecunda Epocha Philippi, repetitam eſſe aſtronomicorum Phænomenorum hiſtoriam. Nec aliter in προχείροις Κανόσιν ipſe Ptolemæus.* Vide Syncell p. 207. *Et quidem e Theſauro Saviliano alium nobis & ex alio Codice, Catalogum deſcripſit Cl. Walliſius a Philippo incipientem, quem nos proinde Theoni tribuendum eſſe cenſemus, a recentioribus tamen aliis ad ſua uſque tempora perductum, & fortaſſe conſpurcatum. Quod enim in Theodoſio majori ſuum finierit Canonem Bainbrigius, eſt quod ſuſpicemur non aliqua MS^ti fide, ſed ſua potius conjectura, id feciſſe Bainbrigium, & Catalogum ſuum poſteriori parte mutilaſſe. Nullum reperit Codicem Walliſius in Cimeliis Savilianis, qui Theodoſium ultimum numerarit. Nec aliunde veriſimile eſt ſua accepiſſe Bainbrigium. Convenit certe etiam in ſcribendis minutiis cum priori noſtro Codice Saviliano, quem deſcripſerat Uſſerius.* (Vide ſupra Lit. A. N° 2°) *Nec etiam uſquequaque convenit, cum tempore quo Catalogum ſuum confecit Theon, finis Theodoſii. Obiit Imperator an. Dom. CCCXCV. Scripſit in*

προχείρυς Canones noſter anno Diocletiani LXXVII. Chriſti CCCLXI. Scripſit in poſteriores magna Syntaxeos Libros anno Diocletiani LXXXI. Nabonaſſari MCXII. Chriſti CCCLXV. Faſti noſtri Græci priores, ſi quidem ſunt, ut putamus, Theonis, ad an. Chriſti CCCLXXII. pertingunt: Necdum tamen Auguſtus factus eſt Theodoſius. Eſt tamen, fateor, mendis Chronologicis, pro hac ſecunda Epocha, inquinatiſſimus noſter iſte Theon.

2° Ad hanc Dodwelli ſententiam quædam obſervamus:

a. Eam hujus Canonis partem, quæ poſt Ptolemæi tempora uſque ad initium Diocletiani decurrit, ab *Aſtronomis* eſſe concinnatam, non nego: modo numerus pluralis non urgeatur.

b. Idque factum eſſe, non a coævis, ſed a junioribus, remotioribusque ab eorum temporum memoria, etiam facile conceſſerim. Certum enim eſt illum Aſtronomum, qui poſteriorum Imperatorum tempora uſque ad initium Diocletiani ſupplevit, fuiſſe initio Diocletiani poſteriorem, ſed tamen, quod notandum, anno Diocletiani 77° poſterior eſſe non poteſt, quia eo anno labente hic Canon, uſque ad initium Diocletiani continuatus, jam extabat, ut ex Theonis εἰς τοὺς προχείρυς Κανόνας Commentario, a Dodwello edito, patet. Adeoque quod hæc continuatio uſque ad Diocletianum profecta fuerit a junioribus, remotioribusque ab eorum temporum memoria, non nimis urgendum. & an inde ſint illius continuationis errores ulterius inquirendum.

c. Aſtronomiæ ſtudium poſt Ptolemæi tempora Alexandriæ non ita floruiſſe, ut antea, & varie turbatum fuiſſe, ob rationes a Dodwello allatas, facile credo: ſed rem a Dodwello nimium exaggerari, etiam non dubito. Saltem, quæ §° LVII, in fine, de *Anatolio* habet ex Bucherio, docent Dodwellum cum Bucherio Pſeudo-Anatolium pro vero Anatolio habuiſſe, quod in Dodwello, qui rem non examinavit, ſed incidenter tantum tangit, facile tulerim, in Bucherio autem, qui rem ex profeſſo tractavit, & in iis, quæ Cyclos Chriſtianorum Paſchales ſpectant, verſatiſſimus erat, ferre non poſſum. Sed hæc non ſunt hujus loci. Quare etiam ea, quæ de Concilii Nicæni de Paſchatis obſervatione decretis, §° LVIII. & de Ambroſio, Theophilo, & Cyrillo §° LIX habet Dodwellus, prætereo. In genere tantum hoc addo, Dodwellum ſatis magnam Aſtronomiæ in Epiſcopis Alexandrinis requirere & ſupponere notitiam, quam tamen in ſuis Epiſtolis, Prologis, & Cyclis Paſchalibus non produnt.

d. Majoris momenti eſt illa quæſtio, an ſcilicet tempore Theonis, Canon Regum continuatus fuerit duntaxat uſque ad initium Diocletiani, quod

quod ſtatuit Dodwellus; an vero ulterius fuerit continuatus uſque ad Theonis ætatem, quod naturale videtur.

e. Primum & præcipuum Dodwelli argumentum eſt, *quod ipſa Regum tempora* in Canone, quem habemus, inde a Diocletiano uſque ad & etiam ultra Theonis tempora, *ſint vitioſiſſima, & a ſumma Mathematicorum ἀκριβείᾳ alieniſſima. Adeoque* (ut alibi dicit) *Theone prorſus ſint indigna.*

De vitiis, quæ in hoc Canone inde a Diocletiano occurrunt, egimus ſupra, §° 11°, Lit. O. ubi vidimus, quod ſtatim in hujus partis initio committatur inſignis error quatuor annorum, qui deinceps propagatur non tantum uſque ad Theonis ætatem, ſed etiam ulterius uſque ad Theodoſium Juniorem, & demum in hujus imperii fine tollitur. Adeoque certum eſt, eam Canonis partem, ita vitioſam Theone prorſus eſſe indignam, eique tribui non poſſe.

Sed ibidem vidimus, hoc quatuor annorum vitium non in omnibus hujus Canonis Manuſcriptis, ſed tantum in Saviliano 1°, & 2° occurrere, cum illud in Voſſiano 1° & 2° evitetur: adeoque *illam Dodwelli de temporibus regum inde a Diocletiano vitioſiſſimis querelam Codices tantum Savilianos reſpicere, ad Voſſianos autem applicari non poſſe.* Unde hujus argumenti Dodwelli vis maxima perit.

Præterea etiam hoc notandum, quod ex Canonis continuationibus, earumque Manuſcriptis, ſerioris temporis, a Theonis ætate longe remotis, vix certi aliquid de brevi 77 annorum a Diocletiano ad Theonem continuatione, concludere liceт cum & injuria temporum, & licentia continuatorum, & lapſus deſcribentium varios nævos in hunc Canonem inferre potuerint: cujus rei exempla etiam in hujus Canonis MSS^tis non deſunt.

Alterum Dodwelli argumentum ab ipſo Theone petitur, & quidem ex duplici Theonis ſcripto.

Sed in neutro loco, ſcopus Theonis hoc requirebat, ut ad annum Epochæ Diocletiani adjiceret annum Regis, vel in temporis deſignatione, id non per annos a Diocletiano, ſed per annos imperii Regum exprimeret. Non enim agitur de Obſervatione a Theone in cœlo capta, cujus tempus, quo capta fuerat, per annos Regum & Imperatorum, more Aſtronomorum, deſignandum erat.

Sed in primo loco, exempli gratia, proponitur in Æra Diocletiani civili, in anno Diocletiani 77° fixo, menſis Thoth fixi, dies civilis 22us, & hujus diei hora 11^a, eum in finem, ut hoc tempus datum, juxta methodum a Theone traditam, reduceretur, ad horam, diem, menſem, & annum vagum in Æra Philippi, tempori dato reſpondentem.

In

In altero autem loco, ni fallor, proponitur primo p. 277. calculo, per Tabulas Ptolemæi in ejus Almageſto, inquirenda prima Syzygia Synodica anni a Nabonaſſari 1112^{mi}. Et deinde eandem Syzygiam Synodicam calculatur p. 282, per προχείρους Κανόνας, ut oſtendat utrumque calculum eodem redire. Denique, p. 284, calculo, per Tabulas Ptolemæi in ejus Almageſto, inquirendum proponitur *Plenilunium Eclipticum anni Nabonaſſari* 1112^{mi}, *quod dicitur, factum eſſe Alexandriæ*, 81° *anno Diocletiani menſe Athyr ſecundum Ægyptios, eodem autem* 81° *anno, Phamenoth* 1°, *quandoquidem præcedens ejus Novilunium, juxta ante expoſitam a nobis* ἔφοδον, *in Mechir* 21um *proxime incidit.* Ubi videre licet tempus hujus Plenilunii Ecliptici deſignari duplici modo, nempe, quod contigerit anno a Diocletiano 81° fixo, & hujus anni menſe Athyr itidem fixo, & quod contigerit eodem anno a Diocletiano 81° vago, & hujus anni menſe Phamenoth itidem vago, atque hujus menſis *die*, non, ut male legitur, 1°, ſed, ut præcedens Novilunium in die Mechir 21° requirit, & ſequens calculus oſtendit, 6°. Præterea hic videre licet, quod hoc hujus Plenilunii tempus deſignetur rudiori modo; nam in deſignatione temporis juxta anni fixi formam, in uſu civili receptam, annus in Æra Diocletiani, & hujus anni menſis Athyr duntaxat exprimitur, neglecto hujus menſis die, & neglecta quoque illius diei hora, ac horæ parte: in deſignatione autem temporis, juxta formam anni vagi, ab Aſtronomis in Tabulis & calculo aſtronomico retenti, annus in Epocha a Diocletiano, & hujus anni menſis Phamenoth, & hujus menſis dies 6us duntaxat exprimitur, diei autem illius hora, una cum partibus horæ omittitur, & calculi ope inquiritur, atque invenitur. Hinc autem patet, hic non agi de obſervatione in cœlo capta, cujus tempus κατ' ἀκρίβειαν aſtronomicam deſignatur, ſed hic fieri rudem (& forte ex Parapegmate ſeu Kalendario iſtius anni) temporis deſcriptionem, quantum neceſſe erat, ut hoc Plenilunium calculo, per Ptolemæi in ejus Almageſto Tabulas, inquiri & explorari poſſet. quod etiam inde patet, quia hujus Plenilunii menſem & diem determinat, licet ruditer, ex præcedenti Novilunio quod in menſis Mechir diem 21um inciderat. Quod Æra Diocletiani utatur, inde eſt, quod iſtius anni civilis, menſem Athyr civilem indicare voluerit: cujus diem 29 (forte in Kalendario notatum) additione 97 dierum intercalarium, in Aſtronomorum anno vago omiſſorum, facile, juxta methodum a Theone traditam, ad menſis vagi Phamenoth, diem 6um reducere poterant Theo-

nis diſcipuli. Adeoque in hoc Theonis loco, nullum pro ſua ſententia invenit præſidium Dodwellus.

(* Dubito, an non ſit legendum, *γεγενημένην κατ' Ἀλεξανδρέας τῷ πα° ἔτει Διοκλητιανοῦ ἀθὺρ μηνὶ, κατ' Αἰγυπτίους τῷ ἢ αὐτῷ πα° ἔτει Φαμενὼθ ς°. factam ſecundum Alexandrinos* 81° *anno Diocletiani menſe Athyr, ſecundum Ægyptios autem eodem* 81° *anno Phamenoth* 6°.)

Tertium Dodwelli argumentum inde petitum, *quod Scriptores Cyclorum Paſchalium Chriſtiani annum Diocletiani memorent quidem, ſed nullo unquam Imperatoris anno deſignent*, miror a viro doctiſſimo proponi; cum Cycli Paſchales ordinario in futurum Eccleſiæ uſum conficiebantur, adeoque Æra opus habebant, ad cujus annos Paſchata in futurum celebranda annotabantur, annos autem Imperatorum, qui in futurum imperium tenerent, divinare non poterant. Præterea Dodwellus ſupponit, Scriptores Cyclorum Paſchalium annum Diocletiani memorare; quod tamen nullo exemplo probat. Quatuor mihi Scriptores Cyclorum Paſchalium occurrunt, qui poſt Diocletiani imperium circa aut non longe poſt Theonis ætatem floruerunt, Anianus videlicet & Panodorus, ambo Monachi Ægyptii, ut & Theophilus atque Cyrillus Archiepiſcopi Alexandrini. Anianus autem & Panodorus ediderunt ambo periodum magnam Paſchalem, quæ Æræ eorum Mundanæ innexa erat, & ſimul Chronographiam, in qua Canon Chronologicus, in quo per annos Patriarcharum, Judicum, Regum, & Imperatorum collectos, eorum Æra Mundi conditi conſtituebatur, & in ſpecie ambo numerabant & in eorum Canone componebant annum Mundi 5816um, Conſtantini M. annum 20um, & Periodi magnæ Paſchalis XI^æ^ annum 496um: teſte Syncello p. 36. quanquam in annis Incarnationis a ſe invicem diſſentirent: verum hæc latius hic deducere hujus loci non eſt. Theophilus vero edidit centum annorum Laterculum Paſchalem, qui a primo Theodoſii Magni Conſulatu initium ducebat, & cui, quantum conſtat, nulla alia Æra illigata erat. Idem Theophilus edidit eodem tempore Cyclum 418 annorum, (teſte Cyrillo in Prologo ſuo Paſchali) qui, meo judicio, inibat ex anno Æræ Mundi Aniani 5967° & ex anno Laterculi ſui 96°, & quo Periodus magna Paſchalis XII^a^ complebatur in anno Mundi 6384°. Quænam huic Cyclo Æra illigata fuerit, non conſtat, quanquam Æram Mundi fuiſſe, cogitare proclive eſt. Cyrillus, qui Theophilo ſucceſſit, edidit Cyclum 95 annorum, cui Æra Diocletiani illigata erat quique ex Theophili 418 annorum Cyclo profluxit, & inibat ex anno Diocletiani 153° & in anno Diocletiani 247° deſinebat, ut ex Dionyſii Exigui Epiſtola 1^a^ diſcimus. Ambroſius, licet

cet Epiſtolam de dubio ſcripſerit Paſchate, inter Cyclorum Paſchalium Scriptores tamen numerandus non eſt. Metrodorum, cujus apud Photium mentio fit, licet Cyclum ſuum, 532 annorum, ab anno Diocletiani 1° orſus ſit. quia tamen longe ſerioris ævi eſt, hic prætereo.

a *Scriptoribus Cyclorum Paſchalium Chriſtianis Aſtronomorum morem eſſe diſcendum*, dixit quidem Dodwellus, ſed quo fundamento non explicavit, quod vellem; ego enim vehementer dubito.

f. An ille, qui in MSto Saviliano ſecundo exhibetur, Canon, ſaltem uſque ad Diocletianum, ſit Theonis, & Theoni ſit tribuendus, quod ſtatuit Dodwellus, determinari non poteſt ex eo, quod Theo Epocham calculi ſui aſtronomici in Philippi Aridæi anno 1° conſtituat, & ille, qui in hoc MSto exhibetur, Canon, omiſſa priori Canonis parte, a Nabonaſſaro uſque ad Alexandri mortem, demum ab imperii Philippi Aridæi initio incipiat.

Aliud enim eſt Epocham calculi ſui aſtronomici in Philippi anno 1° conſtituere, & Tabulam εἰκοσιπενταετηρίδων inde ordiri: aliud eſt ipſum Canonem priore ſui parte mutilare, & eam plane omittere. Quomodo enim Ptolemæi Almageſtum, ſeu μέγας ἀςρόνομος, ita enim, teſte Voſſio, Ptolemæi Almageſtum appellabatur, in Schola aſtronomica tractari & explicari poterat, omiſſa priore Canonis parte. Quomodo novæ obſervationes cum antiquioribus, quæ ante Alexandri mortem captæ erant, comparari, earumque a ſe invicem diſtantiæ colligi, abſque integro Canone commode poterant, ad confirmanda vel illuſtranda Ptolemæi placita aſtronomica!

Theo & qui eum deinceps ſecuti ſunt, Aſtronomi προχείροις Κανόσι uſi ſunt, & tamen in tribus reliquis hujus Canonis MStis prior illa Canonis pars minime omittitur; quod merito videtur mirum, ſi jam Theonis tempore illa Canonis pars omitti cœpiſſet. Et licet ille, qui in MSto Voſſiano 1° exhibetur, Canon a Nabonaſſaro incipiat, eo tamen non obſtante illum Heraclii Imperatoris fuiſſe Dodwellus putat.

Qui προχείροις Κανόσι in calculo aſtronomico utebantur, ut numerum annorum, cum quo in Tabulam Icoſipentaëteridum debebant ingredi, invenirent, non opus habebant, in illa annorum collectione, ut computum altius repeterent, quam a Canonis Epocha ſecunda: quod etiam propterea Theonem ita facere videmus, in fragmento a Dodwello edito.

Præterea in hoc Canone, qualis in MStis exhibetur, illa Epocha, quæ a Philippo Aridæo inchoatur, deinde continuo prorogatur, & poſt illam nulla alia nova Epocha numeratur. Sed non licet ſupponere, quod hoc

etiam

etiam tempore Theonis in hoc Canone eodem modo obtinuerit. Mihi enim videtur, eum, quo utebatur Theo, Canonem habuiſſe quatuor a ſe invicem diſtinctas Epochas, ſeu annorum collectiones: quarum prima (de qua hic quæſtio eſt) a Nabonaſſaro inchoata, in Alexandri morte deſinebat, & annos 424 colligebat: altera autem a Philippo Aridæo inchoata in Cleopatræ morte deſinebat, & annos 294 colligebat; tertia vero ab Auguſto inchoata, in fine imperii Cari deſinebat, & annos 313 colligebat; quarta denique (de qua quæritur an annis Imperatorum ab Aſtronomis fuerit diſtincta) a Diocletiano inchoata, adhuc labebatur: & quum Theo εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας ſcriberet, annos 77 colligebat. Atque hinc eſt, quod Theo, quando anno Diocletiani 77° colligit numerum annorum, qui introducendus erat in Tabulam Icoſipentaëteridum, quæ in προχείροις Κανόσι a Philippi anno 1° incipiebat, procedat hoc modo; primo annos 294 ſecundæ Epochæ, & annos 313 tertiæ Epochæ, per additionem, in unam colligit ſummam & ſic invenit a Philippo ad Diocletianum annos 607. Tum porro his addit annos a Diocletiani anno 1° uſque ad annum propoſitum, qui hic ſunt 77, & ſic invenit annos, a Philippo ad annum Diocletiani 77um, 684, qui eſt numerus annorum introducendus in Tabulam Icoſipentaëteridum, in προχείροις Κανόσι comprehenſam. Hoc diſcimus ex Theonis εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας fragmento, a Dodwello edito, ubi §° 5°. Theon ſic ſcribit: ὑποκείσθω χρόνος ἡμῖν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς Φιλίππου βασιλείας μέχρι Διοκλητιανοῦ ἔτους οζ´, Θωθ κβ´, ὥρας ἡμερίνης ια´. Ἐπεὶ οὖν ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς Φιλίππου βασιλείας μέχρι τῆς Διοκλητιανοῦ συνάγεται ἔτη χζ´, ὡς ἐκ τῶν ἐν τῷ Κανονίῳ τῶν βασιλειῶν ἐπισυναγωγῶν γίνεται δῆλον. ἐὰν τούτοις προσθέντες τὰ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ Διοκλητιανοῦ ἀναδοθέντα ἔτη οζ´, τὰ συναγόμενα χπδ´ εἰσάγομεν εἰς τὸ τῶν εἰκοσιπενταετηρίδων πρῶτον σελίδιον &c. Quæ ita vertimus: *Proponatur nobis tempus ab initio regni Philippi, uſque ad Diocletiani annum 77um, Thoth 22, hora diurna 11^{a}. Quoniam itaque ab initio regni Philippi uſque ad initium Diocletiani colliguntur anni 607, ut ex iis, quæ in Tabula Regnorum exhibentur, collectionibus, manifeſtum eſt. Si, quum his addiderimus annos ab initio Diocletiani datos 77, collectos annos 684 introducimus in Tabulæ Icoſipentaëteridum primam columnam &c.* Notandum Theonem non dicere, ὡς ἐκ ΤΗΣ ἐν τῷ Κανονίῳ τῶν βασιλειῶν ΕΠΙΣΥΝΑΓΩΓΗΣ γίνεται δῆλον, in ſingulari, ſed ὡς ἐκ ΤΩΝ ἐν τῷ Κανονίῳ τῶν βασιλειῶν ΕΠΙΣΥΝΑΓΩΓΩΝ γίνεται δῆλον, in plurali. Unde colligimus in Canone, quo utebatur Theo, inde a Philippo ad Diocletianum, non fuiſſe *unam* duntaxat ἐπισυναγωγὴν, ſed *plures* ἐπισυναγωγάς: unam ſcilicet a Philippo

lippo ad Cleopatræ mortem annorum 294, alteram ab Auguſto ad Diocletianum annorum 313; ex quarum aggregatione συνάγεται ἔτη χζ'. *colliguntur anni* 607. Hoc ulterius confirmatur ex iis, quæ Theo ibidem, paulo poſt addit: Ἐπεὶ καὶ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς Αὐγούστου μέχρι τοῦ Διοκλητιανοῦ ἔτη ὁμοίως συνάγεται ἐκ τοῦ τῶν βασιλειῶν Κανόνος τιγ'. hoc eſt: *Quoniam itaque ab initio Auguſti uſque ad initium Diocletiani anni ſimiliter colliguntur ex Regnorum Canone* 313. Nam inde colligimus, novam ἐπισυναγωγὴν, ſeu *annorum collectionem*, incepiſſe in Canone ab initio imperii Auguſti poſt Cleopatræ mortem, in qua præcedens ἐπισυναγωγὴ deſierat. Ratio autem, quare Theo de annis, a Diocletiani initio, 77 loquens, Canonis non meminit, hæc eſt, quod Diocletiani annus 77us, ut terminus ad quem, propoſitus erat, adeoque hi a Diocletiani initio anni 77 erant *dati*. (*ἔτη ἀναδοθέντα*) adeoque eos ex Canone petere, neceſſe non habebat. Eodem plane, ut mihi videtur, modo procedit Theo, in Commentario in Ptolemæum, p. 284. ubi Diocletiani annus 81us erat propoſitus; colligit enim ibi (quanquam minus aperte) ex tribus in Canone ἐπισυναγωγαῖς, quarum prima erat annorum 424, ſecunda annorum 294, & tertia annorum 313, annos 1031, &, additis annis a Diocletiano datis 81, in univerſum annos 1112, introducendos in Tabulam Icoſipentaëteridum, quæ in Ptolemæi Almageſto erat comprehenſa. Atque in hac collectione ſequitur Theo fere Ptolemæi methodum, qua utitur in Almageſto, L. 3. C. 8. Hinc autem tandem concludimus, quod hoc non liceat ſupponere, in Canone, quo uſus eſt Theo, unam duntaxat fuiſſe ἐπισυναγωγὴν, quæ a Philippo inchoata, ad & ultra Diocletianum decurrebat, ſicut hoc in eo, quem MSS^ti^ exhibent, Canone obtinet, quod ſeriori tempore, ob calculi compendium, videtur eſſe inventum.

Hæc omnia ſi conſiderentur, apparebit, nullo juſto fundamento niti illam Dodwelli ſententiam, qua illum, qui in MS^to^ Saviliano ſecundo exhibetur, Canonem Theoni tribuendum eſſe, cenſet. Cum illa omiſſio prioris in hoc Canone partis potius negligentiæ deſcriptoris videatur eſſe tribuenda.

C.

De hoc Regnorum Canone mea ſententia.

§ 1° Certum eſt, primam (quantum conſtat) hujus Canonis fieri mentionem apud Theonem in Commentario εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, in

frag-

fragmento a Dodwello edito. Unde ſuſpicio, ſed admodum levis, oritur, an non Theo etiam primus hujus Canonis fuerit Auctor & Concinnator. Sed tum, ut videtur, Theo etiam hunc Canonem ſibi tribuiſſet, & non eo modo, ac fecit, de hoc Canone tam indifferenter fuiſſet locutus.

2° Certum eſt, Theonis ætate jam extitiſſe Canonem, qui ſe ultra Ptolemæi tempora extendebat, ad minimum uſque ad Diocletianum, & Theonem hoc Canone fuiſſe uſum. Unde patet eam, quæ poſt Ptolemæi tempora acceſſit, Canonis partem, non eſſe Ptolemæi, ſed alterius, qui ad minimum poſt Diocletiani initium vixerit. Atque hinc non levis oritur ſuſpicio, an non Theon fuerit hujus Canonis continuator. Non tamen hoc affirmare auſim, quia teſtimonia & certa documenta deſunt. Probabile tamen mihi videtur.

3° An tempore Theonis hic Canon non ultra Diocletiani initium progrediebatur, examinavimus ſupra, Lit. B. & oſtendimus, quod argumenta Dodwelli, qui hoc ſtatuit, id minime evincant. Et licet contrarium argumentis demonſtrativis probare non poſſim, multo tamen mihi probabilius eſſe videtur, quod Theon (poſito, quod hujus Canonis fuerit continuator) eum uſque ad ſua tempora continuaverit, quam quod in Diocletiani initio ſubſtiterit.

XXII.

An Heraclius Imperator ſit hujus Canonis continuator.

Ille, qui in MSto Voſſiano primo exhibetur, Canon deſinit in fine Imperii Phocæ, cui ſucceſſit Heraclius Imperator: ut vidimus ſupra, §° 11°, Lit. I. β. Unde merito quæritur, an Heraclius Imperator hunc Canonem uſque ad ſui Imperii initium continuaverit.

A.

De hoc Canone Dodwelli ſententia.

1° *Dodwellus putat hoc Manuſcriptum Voſſii primum fuiſſe Heraclii Imperatoris, & illud cenſet Heraclio imperatori eſſe tribuendum. & illud Imperatorum* Κανόνιον *ab eo auctum eſſe, veriſimile judicat.* Ut vidimus ſupra §° 11mo, Lit. I. β. in initio. Hoc itaque, meo judicio, vult Dodwellus.

a. Pri-

a. Primo, Heraclium Imperatorem uſum eſſe tali Canone Regum, qui a Nabonaſſaro incipiens, in fine Imperii Phocæ, hoc eſt, in anno Philippi 933° (qui eſt a Nabonaſſaro 1357us) deſinebat; qualis erat ille Canon, qui in Manuſcripto Voſſiano primo exhibebatur: cujus deſcriptionem videre licet, ſupra §° 11mo. Lit. L. An autem illud, quod Voſſius poſſidebat, hujus Canonis Manuſcriptum fuerit illud ipſum, quo Heraclius uſus eſt, autographum, non dicit Dodwellus, neque etiam hoc veriſimile mihi videtur. Confer quæ notavimus ſupra, §° 11°, Lit. I. β.

b. Secundo, hoc vult Dodwellus, Heraclium hunc Canonem uſque ad Phocæ finem & ſui imperii initium continuaſſe; atque eo ſenſu illud Imperatorum Κανόνιον auxiſſe. Unde autem illa hujus Canonis continuatio, ab Heraclio facta, inceperit, non exprimit Dodwellus.

2° Sententiam ſuam probat Dodwellus his rationibus:

a. Primo, quia hic Canon in imperii Phocæ fine deſinit, atque ita ad Heraclii imperii initium ſe extendit. Ita enim, in Notis, quæ Canoni ſubjunguntur, ſcribit Dodwellus; *deſinit hoc in loco* (in imperii Phocæ fine) *Voſſii* 1um, *quem proinde Heraclio imperatori tribuendum eſſe cenſeo.*

b. Secundo, quia Heraclius ſcripſit in προχείρους Κανόνας: ita enim loco citato pergit: *qui ſcripſit in Canones προχείρους; ut proinde illud Imperatorum* Κανόνιον (quod inter προχείρους Κανόνας reperiebatur) *ab eo auctum eſſe, veriſimile ſit.* Vide infra, hoc ipſo §° 22°, N° 3°.

c. Tertio, quia Faſti Voſſiani Conſulares (una cum Regnorum illo Canone ex Apographo Voſſii, in hac Appendice, a Dodwello editi) ſe uſque ad Heraclii annum 20um extendunt, & in eo deſinunt. Ita enim loco citato porro pergit Dodwellus; *præſertim cum & Faſti Voſſiani Conſulares deſinant ſimiliter in annum hujus Epochæ* ϡνγ' (953) *Heraclii annum pro hac ſupputatione* XX^{um}. Confer quæ Dodwellus in horum Faſtorum capite annotat. & nota hos Faſtos ſimilitudinem quandam cum Faſtis Theonis habere, & ad uſum aſtronomicum potuiſſe inſervire, nempe, ut dato anno in Æra Diocletiani, aut in Æra Conſulari, ſtatim inveniri poſſet, quotus ille a Philippo annus eſſet, atque eo ipſo haberetur numerus annorum, qui in Tabulam Icoſipentaëteridum, in προχείροις Κανόσι comprehenſam, introducendus erat: & præterea, ut ſtatim inveniri poſſet, quotus ille annus datus, ab Auguſto annus eſt, atque eo ipſo ille annus datus, qui fixus erat, juxta methodum a Theone traditam, ad annum vagum reduci poſſet.

3° Supra hoc ipſo §° 22°, N° 2°, Lit. b, dicit Dodwellus, *Hera-*

alium ſcripſiſſe in Canones πϱοχείϱους. Sed non probat, neque etiam aliquam hujus ſcripti notitiam nobis ſuppeditat. Et forte hac in re fecit Dodwellus quod potuit, quia illi, qui Dodwello illud Heraclii fragmentum, quod edidit, vel indicarunt, vel exſcribendum curarunt, ipſi majorem hujus ſcripti notitiam non ſuppeditarunt. Dubito enim an ipſe Dodwellus illud Heraclii εἰς τοὺς πϱοχείϱους Κανόνας ſcriptum unquam viderit. Imo ego ipſe aliquando dubitavi, an Heraclius unquam in Canones πϱοχείϱους ſcripſerit; & an non hæc opinio nata fuerit ex iis, quæ Heraclius dicit in initio illius fragmenti, quod edidit Dodwellus. Quamobrem hoc in loco, ea, quæ de illo Heraclii in Canones πϱοχείϱους ſcripto, mihi occurrerunt, annotare volui; judicium relinquens iis, quibus Angliæ Bibliothecas adire, Codiceſque MSS[tos] perluſtrare datum eſt.

a. Dodwellus in hac, ad Diſſertationes ſuas Cyprianicas, Appendice edidit, ultimo loco, *Fragmentum Heraclii Imperatoris, Græce, cum ſua verſione Latina.* In quo fragmento continentur duo Tractatus Imperatoris Heraclii, diverſo tempore ab eo ſcripti: quorum primus tradit methodum ad inveniendam feriam in quocunque anni die, quam primo proponit, & deinde explicat, & *hic Tractatus ſcriptus eſt Indictione VII[a] anni Imperii ſui 9[ni].* Alter tradit methodum ad inveniendum Paſchatis diem; & *hic Tractatus ſcriptus eſt Indictione XI[a] anni Imperii ejus 13[tii].*

b. Primus Tractatus ab his verbis incipit: Ἐν τῷ πϱοχείϱῳ Κανόνι τοῦ Πτολεμαίου μετὰ τοὺς Κανόνας τῶν ἀπλανῶν ἀστέϱων ἐγκεῖται Κανόνιον δι' οὗ δύναται τις γνῶναι τὴν ἑκάστου μηνὸς ἡμέϱαν εἰς ποίαν ἡμέϱαν τῆς ἑβδομάδος καταντᾷ.

c. Huic fragmento titulum hunc non Textui Græco, ſed verſioni ſuæ Latinæ ſuperinſcripſit Dodwellus: *Fragmentum e Commentario Imperatoris Heraclii in πϱοχείϱους Ptolemæi Canones.*

d. In Prolegom. §o LXII. ſic ſcribit Dodwellus: *Eidem* (Epiſcopo Oxonienſi *debemus) & excerpta quæ damus e commentariis Theonis Alexandrini & Heraclii Imperatoris in πϱοχείϱους Ptolemæi canones. Heraclium indicavit amicus integerrimus Thomas Smith Theologiæ Profeſſor eruditiſſimus & ſocius collegii Magdalenenſis digniſſimus. Nos ex utroque ea exſcribenda ſelegimus, quæ ſeu ad Canonem intelligendum, ſeu ad rem hiſtoricam aliquatenus illuſtrandam, factura viderentur. Paſchalia vero ex Heraclio idcirco lubentius exſcribenda curavimus, quod &c.*

e. In hujus autem Appendicis titulo, inter contenta recenſentur etiam hæc duo Opuſcula: *Fragmentum Theonis Alexandrini in πϱοχείϱους Ptole-*

mæi

mæi Κανόνας, *e MS*^to^ *Barocciano*. &, *Fragmentum Imperatoris Heraclii in* προχείρας *Ptolemæi* Κανόνας, *e MS*^to^ *eodem Barocciano*.

f. Manuſcriptum hoc *Baroccianum* reperitur, ut mihi videtur, in *Catalogo Librorum Manuſcriptorum Angliæ & Hiberniæ* (qui prodiit Oxonii anno 1697. in fol.) *Volumine* 1°, *Parte* 1^a (qua continentur Codices MSS^ti in Bibliotheca, quæ a fundatore ſuo Thoma Bodley denominata, appellatur Bodleiana) *Claſſe* 3^a (qua continentur Codices Græci XXII. Ruſſici II. Pars reſidua Bibliothecæ Baroccianæ, ex dono Oliveri Cromwelli) ubi p. 44. occurrit Codex grandiuſculus, partim veteri, partim recenti manu ſcriptus, numero 297us, in quo continentur Opuſcula plura; & quidem

N° 8. *Theon Alexandrinus in Tabulas* προχείρας *Ptolemæi*.

N° 20. *Theonis Alexandrini in* προχείρας *Canones Commentarius*.

N° 24. *Heraclii Imperatoris Liber aſtronomicus* ἀνεπίγραφος; *continet autem explicationem Theonis in Canones* προχείρας.

g. In eodem Catalogo, Vol. 1°, Parte 1^a occurrit Codex (qui hujus partis 6611us, Muſei autem Saviliani 64us numeratur) cum hoc titulo: *Heraclii Imperatoris in Cl. Ptolemæi Canones* προχείρας *commentarius, cum Tabella Regum a Philippo Aridæo ad Leonem II. Græce. Alia quædam aſtronomica*.

h. In eodem Catalogo, Vol. 2°, Parte 1^a (qua continentur Codices MSS^ti Eccleſiarum Cathedralium, & aliarum celebrium Bibliothecarum in Anglia) occurrit Codex (qui hujus partis 6072us, Bibliothecæ autem Th. Gale 228us numeratur) ita deſcriptus: *Heraclii Imp. commentarius in Cl. Ptolemæi Canones* προχείρας. *Itemque de Paſchate Chriſtiano. Liber emendate ſcriptus, & rarus, & ineditus Gr.*

i. Videmus itaque in illo Catalogo tria occurrere hujus ſcripti Imperatoris Heraclii Manuſcripta, quæ pro diverſo genio eorum, qui hunc Catalogum ejusque partes confecerunt, diverſimode deſcripta ſunt.

Manuſcriptum *Baroccianum* (quod a Dodwello in Prolegom. §° 3°, in fine, etiam appellatur *Bodleianum*, & utroque modo appellari poteſt) deſcribitur ut *Heraclii Imperatoris Liber aſtronomicus* ἀνεπίγραφος. (unde etiam Dodwellus fragmento Heraclii Imperatoris, a ſe edito, nullam ἐπιγραφὴν Textui Græco præpoſuit) *Continet autem* (ut judicat Catalogi concinnator) *explicationem Theonis in Canones* προχείρους. (unde orta eſt illa ἐπιγραφὴ, quam Dodwellus verſioni ſuæ Latinæ præpoſuit) *Fragmentum e commentario Imperatoris Heraclii in* προχείρους *Ptolemæi Canones*. Ubi tamen nomen *Theonis* in *Ptolemæi* mutatur.) Nulla autem in hac hujus

Manuſcripti deſcriptione mentio fit duorum illorum Tractatuum Imperatoris Heraclii, *de Feria in quolibet anni die invenienda*, & *de Paſchate Chriſtiano inveniendo;* quos tamen ex hoc MS^to^ edidit Dodwellus.

Manuſcriptum autem *Savilianum*, quod attinet, in ejus recenſione hoc Heraclii ſcriptum ſimpliciter ita deſcribitur; *Heraclii Imperatoris in Cl. Ptolemæi Canones προχείρους commentarius.* Videtur tamen hoc Heraclii ſcriptum eadem continuiſſe, quæ e MS^to^ Barocciano edidit Dodwellus.

Manuſcriptum *Bibliothecæ Th. Gale* ita deſcribitur, ac ſi contineret duo Imperatoris Heraclii ſcripta, uno eodemque Libro comprehenſa, quorum *primum* erat *Heraclii Imperatoris commentarius in Cl. Ptolemæi Canones προχείρους.* *Alterum* autem ejuſdem *Heraclii Imperatoris de Paſchate Chriſtiano tractatus.*

k. Dum has unius ejuſdemque ſcripti Imperatoris Heraclii diverſas conſidero deſcriptiones, fateor etiamnum illam animo inhærere ſuſpicionem, an non ex his fragmenti, a Dodwello editi, initialibus verbis: Ἐν τῷ προχείρῳ Κανόνι τῷ Πτολεμαίου, in eorum, qui hos Catalogos confecerunt, animis orta ſit illa opinio, quod vel totum hoc Imperatoris Heraclii ſcriptum, vel ſaltem ejus prior pars contineret Commentarium in Ptolemæi προχείρους Canones. Huic meæ ſuſpicioni tamen agnoſco hoc obſtare, quod in recenſione Opuſculorum, quæ continentur in illo Voluminis 1^mi^, Partis 1^æ^, Codice 297° grandiuſculo, ad pleraque Opuſcula videatur annotari quota iſtius Codicis pagina incipiant; & quod fragmentum Heraclii, a Dodwello editum, non videatur tot paginas poſſe continere, quot Opuſculo, hujus Codicis Barocciani, 14° videantur tribui.

XXIII.

Quinam fuerint hujus Canonis continuatores poſteriores.

Tempore Theonis Alexandrini jam extitiſſe Canonem Regum aſtronomicum, qui ſe extendebat ad minimum uſque ad Imperii Diocletiani initium, & forte etiam ulterius uſque ad Theonis ætatem, vidimus ſupra, §^o^ 21°.

Illum, qui in MS^to^ Voſſiano 1° exhibetur, Canonem, qui ad Imperii Heraclii initium ſe extendit, fuiſſe Imperatoris Heraclii, probabile eſt, ut vidimus ſupra, §^o^ 22.

Reſtat

Reſtat itaque adhuc triplex Canon, qui in tribus Manuſcriptis, Saviliano 1°, & 2°, & Voſſiano 2°, exhibetur; de quo quæri poteſt, quinam fuerint hujus Canonis continuatores poſteriores.

A.

De horum trium Canonum continuatoribus poſterioribus nihil certi mihi hactenus occurrit.

De Voſſiani 2di ulteriori continuatione in Codice Lugduno-Batavo, vide infra §° 29.

XXIV.

De Canonis Regum Aſtronomici forma & conſtitutione.

De hujus Canonis forma & conſtitutione agit Dodwellus in Prolegomen. §° XXXIV – XXXVIII.

Varia hic erunt conſideranda, quorum quædam clara & certa ſunt, alia vero minus clara & certa, quæ ulteriorem diſquiſitionem & probationem requirunt.

Nos a clarioribus & certioribus faciemus initium.

A.

Hic Canon habet formam Canonis & procedit per annos completos.

1° Huic Regum ſeriei datur nomen *Canonis Regnorum*, duplicem ob cauſam, quia numerat annos imperii ſingulorum Regum completos, & ex illorum annorum continua aggregatione Æram, vel Æras conſtituit, ac proinde formam Canonis habet. Hoc enim ipſa Canonis natura requirit.

2° Hoc cuivis, Canonem hunc inſpicienti, videre licet; adeoque probatione ulteriori non indiget. Nullibi enim in toto hoc Canone indicatur, quot menſes ac dies ultra annos, ſingulis Regibus tributos, excurrant, aut ad illos annos complendos deficiant.

3° Unde ſequitur annos Regum omnes & ſingulos in Canone, cum annis

annis Æræ, quæ ex annis Regum ſibi invicem aggregatis conſtituitur, non tantum concurrere, ſed & pari paſſu ambulare, hoc eſt Canonice ſimul inire, & ſimul deſinere. Ita ut initia annorum Imperii horum Regum, juxta Canonem conſiderata, &, juxta veritatem & ἀκρίβειαν hiſtoricam computata, a ſe invicem differant, & non ſint confundenda.

B.

De anni forma in hoc Canone adhibita.

1° Certum eſt in hoc Canone adhiberi formam anni Ægyptiaci vagi, dierum 365 tantum absque quadrante; (qualis anni forma olim apud Ægyptios in uſu civili fuit, & Aſtronomorum uſibus commodiſſima erat) ita ut anni imperii, Regibus in Canone tributi, ſint anni Ægyptiaci vagi, & Æra per annos Regum, ſibi invicem aggregatos, collecta, annis conſtet Ægyptiacis vagis.

2° Hoc ex Ptolemæi Almageſto ad ſatietatem uſque probari poteſt. Et cum de Æra annorum collectorum nemo dubitet, certe de annis imperii ſingulorum Regum, ex quibus, ſibi invicem aggregatis, hæc conſtituitur Æra, dubitari non poteſt.

3° Hinc autem ſequitur, annos Regum omnes & ſingulos in Canone inire a die primo menſis Thoth, qui apud Ægyptios primus anni vagi menſis erat, & cum annis Æræ pari paſſu ambulare.

C.

De initio diei aſtronomico in hoc Canone adhibito.

1° Certum eſt, quod in hoc Canone diei initium aſtronomice computetur ab ipſa Meridie.

2° Ita videmus Ptolemæum in ſuo Almageſto, L. 3. C. 8. *Epocham annorum ab Auguſto deducere ab anno Auguſti* 1°, *menſis Thoth die* 1°, *a Meridie:* & itidem *Epocham annorum a Nabonaſſaro deducere ab anno Nabonaſſari* 1°, *menſis Thoth die* 1° *a Meridie.* Sic etiam videmus Theonem Alexandrinum, in Fragmento a Dodwello edito, *Epocham annorum a Philippo Aridæo deducere ab anno Philippo* 1°, *menſis Thoth die* 1°, *a Meridie.* Quod etiam facit Ptolemæus in Libro de hypotheſibus Planetarum.

3° Un-

3° Unde colligimus annum Nabonaſſari, Philippi, & Auguſti 1um in Canone inire *a Meridie diei primæ menſis Thoth anni Ægyptiaci vagi.* Quod proinde etiam de reliquis horum, & de omnium aliorum Regum & Imperatorum annis omnibus & ſingulis dicendum atque agnoſcendum eſt. Abſque eo enim, ex annis Regum & Imperatorum ſibi invicem aggregatis, hæ Epochæ ſeu Æræ conſtitui non poſſent, atque hic Canon uſibus aſtronomicis inſervire non potuiſſet. Plura ad ulteriorem probationem non addo, quia res ipſa per ſe clara eſt.

D.

Reges, qui annum integrum in imperio non implerunt, in Canone omittuntur.

Hoc probatur exemplis Regum in Canone omiſſorum.

1° In ſerie Regum Aſſyriorum & Medorum omittitur *Laboroſoarchodus*, paucorum duntaxat menſium princeps, quem numerat Beroſus, ut dicit Dodwellus in Prolegom. §° XXVI.

2° In ſerie Regum Perſarum omittuntur, *Magorum* imperii menſes VI. *Xerxis filii Artaxerxis* menſes 2. & *Sogdiani* menſes VII. Vide Syncellum p. 207—209.

3° In ſerie Regum Græcorum in Ægypto, nullus omiſſus mihi occurrit.

4° In ſerie Imperatorum Romanorum ab Auguſto ad Diocletianum, omittuntur, exempli gratia, *Galba*, *Otho*, *Vitellius*.

Hoc porro ex eo probatur, quod in toto hoc Regum Canone, ne *unus* quidem compareat, qui non ſpatium *annuum* expleverit, ut dicit Dodwellus in Prolegom. §° XXXVI. Quod in illis Regibus, qui cum unico Imperii anno Canonem ingrediuntur, explorari poterit.

Quem in finem obſervo, in Canone unum duntaxat imperii annum tribui,

Ριγηβηλῳ, anno Nabon. νε'. 55.
Nervæ, anno Philippi υκ'. 420.
Decio, anno Philippi Φογ'. 573.
Claudio, anno Philippi, Φϛβ'. 592.

Et nemini præterea uſque ad Diocletianum.

E.

De Methodo in Canone adhibita in figendis Imperii Regum initiis.

Cum Imperii Regum initia in Canone ſemper a primo die menſis Thoth anni Ægyptiaci vagi deducantur, & Imperii Regum initia vera, juxta ἀκρίβειαν Hiſtoricam computata, diverſimode per annum Ægyptiacum vagum labentem vagentur, & modo in priorem, modo circa mediam, modo in poſteriorem anni Ægyptiaci vagi partem incidant: neceſſarium eſt, ut vera Imperii Regum initia in Canone vel ad præcedentem menſem Thoth retrahantur, vel ad ſequentem menſem Thoth protrudantur.

Merito itaque quæritur de Methodo, in figendis Imperii Regum & Imperatorum initiis, in Canone adhibita; an ſcilicet vera Imperii Regum & Imperatorum initia, ex methodo uniformi in Canone, vel ſemper ad præcedentem menſem Thoth retrahantur, vel ſemper ad ſequentem menſem Thoth protrudantur; an vero pro re nata modo retrahantur, modo protrudantur.

Dodwellus tribuit hac in re Aſtronomis methodum uniformem, ſeu morem conſuetum, & putat vera Imperii Regum & Imperatorum initia, ex more Aſtronomorum conſueto, in Canone ad præcedentem menſem Thoth retrahi.

Quem in finem, ut hoc oſtendat, ſeriem Imperatorum Romanorum ab Auguſto uſque ad Diocletianum (ulterius enim non proceſſit) percurrit, & vera Imperii ſingulorum Imperatorum initia, cum eorundem in Canone initiis comparat, in Proleg. §§. 38–55.

XXV. *Initia*

XXV.

Initia Canonica & Hiſtorica Imperii Romanorum Imperatorum ab Auguſto ad Diocletianum, inter ſe comparantur ex mente Dodwelli.

Dodwellus hanc comparationem inſtituit in Prolegom. §° xxxviii-lv.

Nos hoc intervallum in duas diſtinguemus partes, quarum prima ab Auguſto ad Antoninum Pium, altera ab Antonino Pio ad Diocletianum decurrit.

A.

De Intervalli parte prima ab Auguſto ad Antoninum Pium.

Hujus primæ Partis comparationem, a Dodwello inſtitutam, duplici modo diſponemus

1ª Hujus Partis diſpoſitio hæc erit.

Cleopatræ annus ultimus eſt Nabonaſſari . . . . 718us

Augustus, cui tribuuntur in Canone anni 43, ... 43
obiit anno Chriſti 14°, *Septembris* die 19°,
labente jam anno Nabonaſſari 762°, qui
cœperat anno Chriſti 14°, die Auguſti 20°;
adeoque Auguſti annus 43us eſt Nabonaſſari . . . . 761us

Tiberius, cui tribuuntur in Canone anni 22, ... 22
obiit anno Chriſti 37°, die Martii 16°,
labente adhuc anno Nabonaſſari 784°, qui
cœperat anno Chriſti 36°, die Auguſti 14°;
adeoque Tiberii annus 22us eſt Nabonaſſari . . . . 783us

Cajus, cui tribuuntur in Canone anni 4, ... 4
obiit anno Chriſti 41°, die Januarii 24°,
labente adhuc anno Nabonaſſari 788°, qui
cœperat anno Chriſti 40°, die Auguſti 13°;
adeoque Caji annus 4us eſt Nabonaſſari . . . . 787us

Claudius, cui tribuuntur in Canone anni 14, ... 14
obiit anno Chriſti 54°, die Octobris 13°,
labente jam anno Nabonaſſari 802°, qui
cœperat anno Chriſti 54°, die Auguſti 10°;
adeoque Claudii annus 14ᵘˢ eſt Nabonaſſari 801ᵘˢ

Nero, cui tribuuntur in Canone anni 14, ... 14
obiit anno Chriſti 68°, die Junii 9°,
labente adhuc anno Nabonaſſari 815°, qui
cœperat anno Chriſti 67°, die Auguſti 7°;
*** Neronis annus 14ᵘˢ eſt Nabonaſſari 815ᵘˢ

Galba.

Otho.

Vitellius.

Nullus horum annum explevit, & propterea Neronis annus 14ᵘˢ eſt Nabonaſſari 815ᵘˢ & Veſpaſiani annus 1ᵘˢ eſt Nabonaſſari 816ᵘˢ in Canone.

Vespasianus, cui tribuuntur in Canone anni 10, ... 10
obiit anno Chriſti 79°, die Junii 24°,
labente adhuc anno Nabonaſſari 826°, qui
cœperat anno Chriſti 78°, die Aug. 4°;
adeoque Veſpaſiani annus 10ᵘˢ eſt Nabonaſſari 825ᵘˢ

Titus, cui tribuuntur in Canone anni 3, ... 3
obiit anno Chriſti 81°, die Septembris 13°,
labente jam anno Nabonaſſari 829°, qui
cœperat anno Chriſti 81°, die Auguſti 3°;
adeoque Titi annus 3ᵘˢ eſt Nabonaſſari 828ᵘˢ

Domitianus, cui tribuuntur in Canone anni 15, ... 15
obiit anno Chriſti 96°, die Septembris 18°,
labente jam anno Nabonaſſari 844°, qui
cœperat anno Chriſti 96°, die Julii 30°;
adeoque Domitiani annus 15ᵘˢ eſt Nabonaſſari 843ᵘˢ

Nerva,

Nerva, cui tribuitur in Canone annus 1, ... 1
adoptat Trajanum anno Chriſti 97°, die Octobris,
abdicat Imperium anno Chriſti 97°, die Decembris 27°,
obiit anno Chriſti 98°, die Januarii 27°,
labente anno Nabonaſſari 845°, qui
coeperat anno Chriſti 97°, die Julii 30°;
adeoque Nervæ annus 1^{mus} eſt Nabonaſſari 844

Trajanus, cui tribuuntur in Canone anni 19, ... 19
adoptat Hadrianum anno Chriſti 116°, die Aug. 9°,
labente jam anno Nabonaſſari 864°, qui
coeperat anno Chriſti 116°, die Julii 25°;
adeoque Trajani annus 19us eſt Nabonaſſari . . . . . . 863us
obiit anno Chriſti 117°, die Aug. 11°,
labente jam anno Nabonaſſari 865°, qui
coeperat anno Chriſti 117°, die Julii 25°.
* Terminatur itaque Trajani Imperium
non in ejus obitu, ſed in adoptione
Hadriani ſucceſſoris.

Hadrianus, cui tribuuntur in Canone anni 21, ... 21
adoptat Ælium Verum anno Chriſti 136° ante menſem Junium, ſed Ælius Verus moritur Kal. Jan. anni Chriſti, non 138^{vi}, ſed 137^{mi}.
adoptat Antoninum Pium anno Chriſti 138°, menſe Februario.
obiit anno Chriſti 138°, die Jul. 10°,
labente adhuc anno Nabonaſſari 885°, qui
coeperat anno Chriſti 137°, die Jul. 20°;
adeoque Hadriani annus 21us eſt Nabonaſſari . . . . 884us

Antoninus Pius, cui tribuuntur in Canone anni 23, . . 23
obiit anno Chriſti 161°, die Martii 7°,
labente adhuc anno Nabonaſſari 908°, qui
coeperat anno Chriſti 160°, die Julii 14°;
adeoque Antonini annus 23us eſt Nabonaſſari . . . . 907us

2da Partis primæ diſpoſitio hæc erit:

Init Hiſtorice	Init Canonice
AUGUSTUS, annos 43.	
ante Chriſtum,	ante Chriſtum,
30° a Cleopatræ morte obiit anno Chriſti 14°, die Sept. 19°.	30°, Aug. 31. Nab. 719.
TIBERIUS, annos 22.	
poſt Chriſtum,	poſt Chriſtum,
14° die Sept. 19° obiit anno 37°, die Martii 16°.	14°, Aug. 20. Nab. 762.
CAJUS, annos 4.	
37° die Martii 16° obiit anno 41°, die Januarii 24°.	36°, Aug. 14. Nab. 784.
CLAUDIUS, annos 14.	
41° die Januarii 24° obiit anno 54°, die Octob. 13°.	40°, Aug. 13. Nab. 788.
NERO, annos 14.	
54° die Octobris 13° obiit anno 68°, die Junii 9°.	54°, Aug. 10. Nab. 802.
GALBA, OTHO, VITELLIUS.	
VESPASIANUS, annos 10.	
69° die Julii 1°, in Alexandria, obiit anno 79°, die Junii 24°	68°, Aug. 6. Nab. 816.
TITUS, annos 3.	
79° die Junii 24° obiit anno 81°, die Sept. 13°.	78°, Aug. 4. Nab. 826.

Do-

Init Hiſtorice	Init Canonice
DOMITIANUS, annos 15.	
poſt Chriſtum,	poſt Chriſtum,
81° die Septemb. 13°, obiit anno 96°, die Sept. 18°.	81°, Aug. 3. Nabon. 829.
NERVA, annum 1.	
96°, die Septemb. 18°, adoptat Trajan. anno 97° die Oct. abdicat Imp. anno 97° die Dec. 27° obiit anno 98°, die Januarii 27°.	96°, Jul. 30. Nabon. 844.
TRAJANUS, annos 19.	
97° die Octobris 27°, ab adopt. die Decembris 27, ab abdic. adoptat Hadrian. an. 116° (die Aug. 9°) obiit anno 117°, die Aug. 11°.	97°, Jul. 30. Nabon. 845.
HADRIANUS, annos 21.	
116°, die Aug. 9°, ab adoptione. adoptat Anton. Pium an. 138° Feb. obiit anno 138°, die Julii 10°.	116°, Jul. 25. Nabon. 864.
ANTONINUS PIUS, annos 23.	
138°, die Febr. ab adopt. die Julii 10° ab ob. obiit anno 161°, die Martii 7°.	137°, Jul. 20. Nabon. 885.

B. De

B.

De Intervalli parte ſecunda ab Antonino Pio ad Diocletianum.

Hujus ſecundæ partis comparationem, a Dodwello inſtitutam, etiam duplici modo diſponemus.

1ª Partis ſecundæ diſpoſitio.

Antonini Pii annus ultimus eſt Nabonaſſari 907ᵘˢ

ANTONINUS & COMMODUS, anni 32. 32
obiit M. Antoninus anno Chriſti 180°, Mart. 17°,
obiit Commodus anno Chriſti 192°, die Dec. (31°)
labente jam anno Nabonaſſari 940°, qui
cœperat anno Chriſti 192°, die Julii 6°;
adeoque horum annus 32ᵘˢ eſt Nabonaſſari 939ᵘˢ

PERTINAX

obiit anno Chriſti 193°, die Martii 28°.

JULIANUS

obiit anno Chriſti 193°, die Junii 1°. —

SEVERUS & CARACALLA, anni 25. 25
obiit Severus anno Chriſti 211°, die Feb. 4°,
obiit Caracalla anno Chriſti 217°, die April. (8°)
labente adhuc anno Nabonaſſari 964°, qui
cœperat anno Chriſti 216°, die Junii 30°.
***. Horum annus 25ᵘˢ eſt Nabonaſſari 964ᵘˢ
ob tempus Macrini iis imputatum.

MACRINUS omittitur,
licet annum impleverit,
vincitur ab Heliogabalo anno 218°, Junii 3°,
occiditur a militibus anno 218°, Junii (7°)

AN-

Antoninus Heliogabalus, anni 4 4
obiit anno Chriſti 222°, die Martii 6°.
labente adhuc anno Nabonaſſari 969°, qui
coeperat anno Chriſti 221°, die Junii 27°.
adeoque Antonini Heliogabali annus 4us eſt Nabon. . . . . 968us

Alexander Mammeæ. anni 13 13
obiit anno Chriſti 235°, die Martii (14°)
labente adhuc anno Nabonaſſari 982°, qui
coeperat anno Chriſti 234°, die Junii 26°.
adeoque Alexandri annus 13us eſt Nabonaſſari . . . . 981us

Maximinus. in Canone anni 3 3
obiit anno Chriſti 237°, ſub anni finem ante
ludos Capitol. Dodw. anno 238°, poſt Martii 14um; Pagius.
labente adhuc anno Nabonaſſari 985°, qui
coeperat anno Chriſti 237°, die Junii 25°.
adeoque Maximini 4us eſt Nabonaſſari . . . . 984us

Gordianus pater & filius, in Africa
obierunt anno 237°, Pagius.

Balbinus & Pupienus
obierunt anno 238° ante finem Maji Pag.

Gordianus junior. in Canone anni 6 6
obiit anno Chriſti 244°, poſt Aprilis 25um. Pagius.
labente adhuc anno Nabonaſſari 991°, qui
coeperat anno Chriſti 243°. die Junii 24
adeoque Gordiani annus 6us eſt Nabonaſſari . . . . . . 990us

Philippus. in Canone anni 6 6
obiit anno Chriſti 249°, poſt diem Junii 17um, &
ante diem Octobris 19um, Pagius.
labente jam (ut videtur) anno Nabonaſſari 997°, qui
coeperat anno Chriſti 246°, die Junii 22°.
adeoque Philippi annus 6us eſt Nabonaſſari . . . . . 996us

Decius, cui tribuitur in Canone annus 1nus	1
obiit anno Chriſti 251°, anno exeunte.	
labente itaque jam anno Nabon. 999°, qui	
cœperat anno Chriſti 251°, die Junii 22°,	
***. Decii annus 1nus eſt Nabonaſſari	997us
erronëe, ob annum 1num tantum Decio tributum.	
Gallus, cui tribuuntur in Canone anni 3	3
obiit anno Chriſti 253° circa menſem Majum. Pagius.	
labente adhuc anno Nabonaſſari 1000°, qui	
cœperat anno Chriſti 252°, die Junii 21°,	
***. Galli annus 3us eſt Nabonaſſari	1000us
quia ei menſes Æmiliani imputantur.	
Æmilianus. menſes 3, vel 4. vide Pagium.	
(Valerianus &) Gallienus. anni 15.	15
Valerianus anno 259° captus a Perſis. Pagius.	
obiit Gallienus anno Chriſti 268°, non diu poſt	
Martii 24um. Dodwell. aliquot dies ante. Pagius.	
labente adhuc anno Nabonaſſari 1015°, qui	
cœperat anno Chriſti 267°, die Junii 18°,	
***. Gallieni annus 15us eſt Nabonaſſari	1015us
Claudius, cui tribuitur in Canone annus 1	1
obiit anno Chriſti 270°, poſt Octobris 26um,	
labente jam anno Nabonaſſari 1018°, qui	
cœperat anno Chriſti 270°, die Junii 17°;	
***. Galli annus 1nus eſt Nabonaſſari	1016us
Aurelianus. in Canone anni 6	6
obiit anno Chriſti 275°, in initio anni. Dodw.	
labente adhuc anno Nabonaſſari 1022°, qui	
cœperat anno Chriſti 274°, die Junii 16°;	
***. Aureliani 6us eſt Nabonaſſari	1022us
Quia ei Interregni menſes 6 annumerantur.	

In-

INTERREGNUM, menſes 6.

TACITUS
init anno 275°, die Septembris 25°,
obiit anno 276°, die Aprilis 13°.

FLORIANUS, menſes circiter 3.
vide Pagium.
init poſt Taciti mortem
ſimul cum Probo.

PROBUS, cui tribuuntur in Canone anni 7 7
obiit anno Chriſti 282°, poſt diem Junii 14. Dodw.
circa initium menſis Auguſti. Pagius.
labente jam anno Nabonaſſari 1030°, qui
cœperat anno Chriſti 282°, die Junii 14°,
adeoque Probi annus 7us eſt Nabonaſſari 1029us

CARUS (CARINUS & NUMER.) anni 2 2
obiit Carus anno Chriſti 283°, autumno, Dodw.
vide Pagium, qui Cari mortem ad annum Chriſti
284um differt.
obiit Numerianus, anno Chriſti 284°, Sept.
obiit Carinus anno Chriſti 285.
horum Imperium terminatur in cæde
Numeriani, quæ contigit
labente jam anno Nabonaſſari 1032°, qui
cœperat anno Chriſti 284°, die Junii 13°;
adeoque Cari, &c. annus 2us eſt Nabonaſſari 1031us

DIOCLETIANUS
Imperator creatur
anno Chriſti 284°, die Sept. 17°,
labente jam anno Nabonaſſari 1032°,
qui cœperat anno Chriſti 284, die Junii 13°;
adeoque ejus annus 1us eſt Nabonaſſari 1032us.

2da Partis ſecundæ diſpoſitio hæc erit:

Init Hiſtorice	Init Canonice
ANTONINUS & COMMODUS, annos 32.	
Chriſti,	Chriſti,
161°, die Maji 7°, obiit Commodus an. 192°, die Dec. 31.	160°, Jul. 14. Nabon. 908.
PERTINAX, dies 87.	
init anno 193°, Jan. 1°, obiit anno 193°, Martii 28°.	
JULIANUS, dies 66.	
init anno 193°, Martii 28, obiit anno 193°, Junii 1°.	
SEVERUS (& CARACALLA), an. 25.	
193°, die April. 13°, vel, die Jun. 1°, obiit Caracalla anno 217°, Apr. 8°.	192°, Jul. 6. Nabon. 940.
MACRINUS	
init anno 217°, April. 11°, vincitur anno 218°, Junii 3°, obiit anno 218°, Junii 7°.	
ANTONINUS HELIOGAB. annos 4.	
218°, die Martii 16°, Pagi, die Junii 3°, Dodw. } obiit anno 222°, die Martii 10°.	217°, Jun. 30. Nabon. 965.
ALEXANDER MAMMEÆ, annos 13.	
222°, die Martii 10°, obiit anno 235°, die Martii 14°.	221°, Jun. 29. Nabon. 969.
MAXIMINUS, annos 3.	
235°, die Martii, obiit an. 237°, ſub anni finem, Dodw. vel anno 238°, poſt Mart. 14, Pagi.	234°, Jun. 26. Nabon. 982.

Init Hiſtorice Chriſti.	Init Canonice Chriſti.
GORDIANUS Pater & Filius.	
init anno 237°, circa Mart. 21um obiit anno 237°, ante Julii 9um.	
BALBINUS & PUPIENUS	
init anno 237°, die Julii 9°, obiit anno 238°, ante finem Maji. vide Pagium.	
GORDIANUS Junior, annos 6.	
238°, ante Junium, obiit anno 244°, poſt Apr. 25um.	237°, Jun. 25. Nab. 985.
PHILIPPUS, annos 6.	
244°, ante diem Martii 14um, ob. an. 249°, poſt Jun 17, & ante Oct. 19.	243°, Jun. 24. Nab. 991.
DECIUS, annum 1.	
249°, ante diem Oct. 19um, obiit anno 251°, anno exeunte.	249°, Jun. 22. Nab. 997.
GALLUS, annos 3.	
251°, in exitu anni, obiit anno 253°, circa menſem Maj.	250°, Jun. 22. Nab. 998.
ÆMILIANUS, menſes 3, vel, 4. partim ſub Gallo, partim ſub Gallieno.	
(VALERIAN. &) GALLIENUS, an. 15.	
253°, adulta æſtate, Dodw. poſt Jun. 21. non tardius quam menſe Majo, Pagi. ob. an. 268°, aliquot dies ante Mart. 24, Pagi. non diu poſt Mart. 24, Dodw.	253°, Jun. 21. Nab. 1001.
CLAUDIUS, annum 1.	
268°, circa diem Mart. 24um, Dod. Pagi. obiit anno 270°, poſt Octob. 26.	268°, Jun. 17. Nab. 1016.

Init Hiſtorice	Init Canonice
Aurelianus, annos 6.	
Chriſti,	Chriſti,
270°, menſe Novemb., aut Decemb. obiit anno 275°, in initio anni, Dodw. menſe Aprili ineunte, Pagi.	269°, Jun. 17. Nab. 1017.
Interregnum, menſium 6.	
Tacitus	
init anno 275°, Sept. 25°, obiit anno 276°, April. 13°.	
Florianus, circiter menſes 3.	
init poſt Taciti mortem, ſimul cum Probo. Pagi.	
Probus, annos 7.	
276°, aliquot diebus poſt Taciti mortem, obiit anno 282°, poſt Junii 14, Dodw. circa initium Auguſti, Pagi.	275°, Jun. 16. Nab. 1023.
Carus, cum filiis, annos 2.	
282° poſt Probi mortem, obiit Carus an. 283°, Autumno, Dodw. anno 284°, in æſtate, Pagi. obiit Numerianus anno 284°, Sept. obiit Carinus anno 285°.	282°, Jun. 14. Nab. 1030.
Diocletianus.	
284°, die 17° Septembris, poſt cædem Numeriani, vivente adhuc Carino.	284°, Jun. 13. Nab. 1032.

XXVI.

Obſervationes ad §^{um} 25um.

A.

Quod attinet Intervallum ab Auguſto ad Antoninum Pium.

1^{a} Inſignem in Imperii primorum Imperatorum Romanorum, ab Auguſto ad Antoninum Pium, annis ordinandis præſtitit Dodwellus operam, eos enim ita ordinavit, ut vera Imperatorum Romanorum initia Hiſtorica, ex more Aſtronomorum conſueto, in Canone ad præcedentem menſem Thoth, ejusque diem primum, in anno Ægyptiaco, retrahantur.

2^{a} Ex hac annorum Imperatorum Romanorum ordinatione Dodwelliana ſolvitur Objectio, & refutatur ſententia Petaviana in Opere de Doct. Temp. L. XI. C. XXII. p. 333. C. Confer quoque Hieron. van Alphen in ſuo in Danielis Cap. IX. Commentario Belgico, in de Bylagen/ 1ſte Deel/ 3de Hoofdſtuk/ p. 9–13.

3^{a} Ex hac inter Imperatorum annos Hiſtoricos & Canonicos diſtinctione evertitur Petavii de mortis Alexandri tempore ſententia, ſeu potius ejus pro illa ſententia argumentum, quod ab initio Æræ Philippi, ſeu a morte Alexandri deſumitur. Æræ Philippi, ſeu ab Alexandri morte annus 1us, qui eſt annus Ægyptiacus vagus a Nabonaſſaro 425us, init a menſis Ægyptiaci Thoth die 1°, qui incurrit in diem 12 Novembris anni Periodi Julianæ 4390^{mi}. Ut in confeſſo eſt: atque hinc (*quia hæc Æra vocatur a morte Alexandri*) deducit Petavius hanc Æram incipere a Neomenia Thoth, quæ Alexandri obitum conſecuta eſt, adeoque Alexandrum obiiſſe labente anno Per. Jul. 4390°, ſed ante diem Novembris 12um in quem illa Neomenia Thoth incurrit. Cum potius (ex more Aſtronomorum conſueto) inde debuiſſet deducere hanc Æram, ſeu annum Philippi 1um incipere a Neomenia Thoth, quæ Alexandri obitum præceſſit, adeoque Alexandrum obiiſſe ſequenti anno Per. Jul. 4391°. & tamen hæc Æra Philippi recte dicitur Æra ab Alexandri morte. Alexander enim (ut ita loquar) *canonice* moritur anni a Nabonaſſaro 424^{ti} die ultimo, hoc eſt, menſis Novembris die 11°

anni

anni Per. Jul. 4390^mi^. Imperii autem Philippi annus 1us *Canonice* init, ab Alexandri (ut ita dicam) obitu, ab anni a Nabonaſſaro 425^ti^ primo die, hoc eſt, menſis Novembris die 12° anni Per. Jul. 4390^mi^, & conſuetus Aſtronomorum mos eſt (ut in Imperatoribus Romanis, ab Auguſto ad Antoninum Pium, oſtendit Dodwellus) vera initia Imperatorum Hiſtorica, in Canone ſuo aſtronomico non protrudere ad Neomeniam Thoth, quæ mortem præcedentis Imperatoris conſequitur, ſed ea retrahere ad Neomeniam Thoth, quæ mortem præcedentis Imperatoris præcedit. Vide Petavium in Opere de Doctr. Temp. L. X. C. 38 & 39. In Chronico, ad annum Per. Jul. 4390um. & L. 13. p. 859. inter Paralipomena.

B.

Quod attinet intervallum ab Antonino Pio ad Diocletianum quod eſt annorum circiter 124.

1^a^ Hoc intervallum ita, ut præcedens, ordinare non potuit Dodwellus, verum in eo quoſdam invenit & agnoſcit nævos, in quibus ab Aſtronomorum more conſueto receditur.

2^a^ *Macrinus* omittitur, licet annum integrum in Imperio impleverit.

3^a^ *Decio*, licet duos in Imperio annos impleverit, eique in Canone duos commode annos dare potuiſſet, tribuit annum tantum unicum, unde alii oriuntur errores.

4^a^ *Gallus* init Hiſtorice anno Chriſti 251, in exitu anni: deberet itaque Canonice (juxta Regulam) inire a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 999^ni^, in die Junii 22 anni Chriſti 251^mi^, ſed erronëe init a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 998^vi^, in die Junii 22 anni Chriſti 250^mi^. Solido anno citius, quam oportebat.

5^a^ *Claudius* init Hiſtorice anno Chriſti 268, circa diem Martii 24um: deberet itaque Canonice (juxta Regulam) inire a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1015^ti^, in die Junii 18 anni Chriſti 267^mi^; ſed erronëe init a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1016, in die Junii 17 anni Chriſti 268^vi^.

6^a^ *Aurelianus* init Hiſtorice anno Chriſti 270, menſe Novembri, aut Decembri: deberet itaque Canonice (juxta Regulam) inire a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1018^vi^, in die Junii 17 anni Chriſti 270^mi^, ſed erronëe init a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1017^mi^, in die Junii 17 anni Chriſti 269^ni^.

7^a^ Neque

7° Neque ad tollendos hos errores quicquam conferre poteſt, quod in Codicis Lugduno-Batavi Canone 1° & 2°, Philippo tribuantur imperii anni 7, loco 6, quia (poſt Decium intermedium cum Imperii anno unico) ſtatim Gallo tribuantur imperii anni 2, loco 3.

XXVII.

Notitia Codicis Manuſcripti Bibliothecæ publicæ Lugduno-Batavæ.

Poſtquam ea, quæ præcedunt, jam conſcripſeram, Codicis hujus uſus, diu expetitus, conceſſus mihi eſt, hoc anno Chriſti 1734, menſe Februario exeunte: pro qua conceſſione gratias ago maximas.

Codicem hunc deſcribere, ejusque uberiorem tradere notitiam conſtitui. Si autem hac in re alicubi a me erratum ſit, hoc meæ in tractandis Manuſcriptis Græcis imperitiæ, & Aſtronomiæ veteris cognitioni admodum exiguæ imputetur, bonique conſulatur, velim. Feci, quod potui.

A.

De Codicis hujus Inſcriptione, & poſſeſſore, cujus ope in Bibliothecam publicam devenerit.

1° In Catalogo Bibliothecæ publicæ Univerſitatis Lugduno-Batavæ, qui prodiit anno 1716, in folio, hic Codex, inter Manuſcriptos Orientales, p. 478. col. 1. ita recenſetur. 1702. *Θέων Ἀλεξανδρέως εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας. Græce. Liber ſcriptus in Pergamena, cum frequentibus tabulis.* 182. Uterque numerus etiam Codicis dorſo inſcriptus eſt: in ſuperiori parte numerus 182, in inferiori vero numerus 1702.

2° *Codicem hunc ex Oriente advexit Jacobus Golius*, Matheſeos & Linguarum Orientalium, in Academia Lugduno-Batava, Prof. publ. Quod ſic colligo: numerus 1702 reſpicit novum Catalogum, anno 1716, in folio editum, in quo hic Codex hoc numero inter Codices Manuſcriptos Orientales inſignitur. Alter numerus 182 reſpicit veterem Catalogum, in quo idem ille Codex hoc numero inter Codices MSS. Orientales notatus fuerat. Ita enim in hoc novo Bibliothecæ Lugduno-Batavæ catalogo legitur p. 409. *Manuſcripti Libri Orientales . . . . qui tribus continen-*

 tur

tur Bibliothecis: I. Communi, cujus maximam partem Cl. Golius ex Oriente advexit; hujus Volumina ſunt a N° 1. uſque ad 211. II. Legati Scaligeriani, ſcilicet a N° 212 ad 268. III. Legati Warneriani, a N° 269 ad 1198. Hic omnes numeri ſunt veteris Catalogi; in novo enim Manuſcripti Orientales ad N^um^ 1993 aſſurgunt. Adeoque hic Codex, in veteri Catalogo N° 182, reperitur in 1^a^ Bibliotheca Manuſcriptorum Orientalium, quorum maximam partem Cl. Golius ex Oriente advexit: atque hunc etiam in ſpecie Codicem inter eos fuiſſe, quos Cl. Golius ex Oriente advexit, inde colligimus, *quod Græce ſcriptus, fere ſolus inter Orientales locum habeat*. Accedit, quod Golius, quum Alfragani elementa aſtronomica, Notis ſuis illuſtrata, conſcriberet, hoc ipſo Codice uſus ſit, & non tantum varia ex Theonis ſcripto loca ex hoc Codice adduxerit. Sed imprimis, de hujus Codicis Tabulis, ſeu προχείροις Κανόσι loquens, illum Codicem appellaverit *exemplar quod Conſtantinopoli ego advexi*. Vide ſupra §° 14, Lit. δ. N° 70.

B.

De hujus Codicis conſtitutione & forma exteriore.

1° Hic Codex ſcriptus eſt in Pergamena, habetque formam, quam vocant in *Quarto*, ordinariæ magnitudinis, craſſitiem vero duorum ferme pollicum.

2° Continet folia, ſi numerationem recte inſtitui, numero CLIX. Si duo exceperis folia, quæ in Codicis fronte poſita videntur, ut a prima Commentarii Theonis pagina damnum arceant. Unumquodque folium autem duas habet paginas; unde folii exempli gratia 50^mi^ paginam 1^am^ ita deſignare ſoleo. fol. 50. a. ejusdem vero folii paginam 2^am^ hoc modo, fol. 50. b.

3° Hic Codex jam olim de novo religatus, ſeu compactus fuit. Unde factum (a) ut ſcriptura marginalis quibusdam in foliis ex parte abſciſſa ſit: & ut (b) Tabulæ quædam alieno loco poſitæ; nec non (c) folium unum atque alterum ordine inverſo complicatum ſit. &c.

4° Marginum tam exteriorum, quam ſuperiorum atque inferiorum ora ſqualore quodam obſita; & quaſi fuligine infecta ſunt.

C. De

C.

De hujus Codicis partitione generali, & partium diverſa ſcriptura.

Codicem hunc partimur in duas partes generales: quarum prima comprehendit *Theonis Alexandrini commentarium in expeditos Canones*, a folio I. uſque ad folium XLVI, cum plurimis annotationibus marginalibus. Altera pars complectitur *Tabularum Aſtronomicarum*, tam proprie dictarum, quam Aſtronomorum uſibus inſervientium, *congeriem, quæ* πρόχείρων Κανόνων *nomine veniunt;* cum frequentibus annotationibus marginalibus.

Theonis Alexandrini in expeditos Canones commentarius ſcriptus eſt a capite ad calcem ab una eademque manu, literis ligatis, ſeu Tachygraphicis, cum plurimis abbreviationibus & ſcripturæ compendiis, atramento ſatis nigro: cujusmodi manus & ſcriptura deinceps in hoc Codice non occurrit. Annotationes autem marginales huic Commentario adjunctæ, ab alia, & quidem diverſa manu exaratæ, & ex iis plures plane detritæ ſunt.

Tabularum expeditarum longe maxima pars ab antiqua manu ſcripta eſt, literis quadratis, absque accentibus & ſpiritibus, & ſine vocum diſtinctione, ſatis nitide, intra lineas rubras: cum adjunctis pluribus annotationibus marginalibus, ut plurimum ab eadem manu, iisdemque literis, ſcriptis. Sunt tamen, imprimis inter Tabulas Aſtronomicas proprie dictas, Tabulæ aliquot a recentiori manu ſcriptæ, literis ligatis, ſeu Tachygraphicis.

D.

Primæ partis recenſio.

Primæ partis, a folio I. uſque ad folium XLVII, a. *Auctor eſt Theo Alexandrinus.* Qui hæc pars ita inſcribitur, Θέωνος Ἀλεξανδρέως εἰς τοὺς προχείρους Κανόνας, hoc eſt, *Theonis Alexandrini in expeditos Canones Commentarius.* Et hæc inſcriptio non tantum primum hujus ſcripti caput, ſeu primam ejus Sectionem, ſed totum hoc ſcriptum reſpicit: quod, ſi non plane certum, admodum tamen probabile eſt.

Hic Theonis Commentarius dividitur in plura capita ſeu Sectiones, & forte etiam Subſectiones: quæ vel magis vel minus a ſe invicem diſtinguuntur, & quarum diſtinctionum nota ordinaria eſt litera majuſcula, ſingulari modo picta.

Hæc Capita, eo, quo mihi occurrerunt, modo, ordine recenſebo.

C. 1. Quod e MS° Barocciano, in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas, ab Henr. Dodwello, cum Latina interpretatione, editum eſt, & *Theonis Fragmentum* dicitur: in hac Dodwelli editione ita inſcribitur: Ὅσα δεῖ προειδέναι τοὺς ἀρχομένους τοῦ Κανόνος: quæ inſcriptio in Codice Lugdunenſi non reperitur. In quo ſe extendit a folio 1, ad folium 5. a. & clauditur hoc Caput quibusdam linearum ductibus inflexis: qualis diſtinctio in ſequentibus Capitibus non occurrit.

C. 2. Περὶ τοῦ κατὰ μῆκος τοῦ ἡλίου ψηφηφορίας. Folio 5. a.

C. 3. Περὶ τοῦ τῶν ὡρῶν διακρίσεως. Folio 7. a.

C. 4. Πῶς ἂν τὰς ἐν ἑτέρᾳ οἰκήσει διδομένας ἀπὸ μεσημβρίας ὥρας ἰσημερινὰς μεταλάσσωμ. πρὸς τὰ ἀπὸ τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ μεσημβρίας. Folio 8. b.

C. 5. Περὶ τῆς πρὸς τὰ ὁμαλὰ νυχθήμερα διακρίσεως. Folio 10. a.

C. 6. Περὶ ὡρ. . . . . Folio 11. a.

C. 7. Περὶ μεσουρανήσεως. Folio 12. b.

C. 8. Περὶ τῆς κατὰ μῆκος τῆς σεληνιακῆς ψηφοφορίας. Folio 12. b.

C. 9. Περὶ τῆς διορθώσεως τῶν κεφαλαιῶν συναγομ. ὁμαλῆς κινήσεως ἡλίου καὶ σελήνης. Folio 15. a.

C. 10. Ἑξῆς δὲ καὶ τὰ τῶν πλανωμένων. Περὶ τῆς τῶν πλανωμένων κατὰ μῆκος. . . Folio 15. b.

C. 11. Περὶ τῆς διορθώσεως τῶν ἑκαστῶν κεφαλαιῶν συναγομ. ὁμαλῶν παρόδων τῶν πλανωμένων. Folio 18. a.

C. 12. Περὶ τροπῆς. Folio 18. b.

C. 13. Περὶ τῆς τοῦ ἡλίου λοξώσεως. Folio 19. a.

C. 14. Περὶ τοῦ ἀναβιβάζοντος καὶ καταβιβάζοντος. Folio 20. a.

C. 15. Περὶ τῶν κατὰ πλάτος ἀπὸ τοῦ διὰ μέσου τῶν ζωδίων διαστάσεων τῶν πλανωμένων. Folio 20. b.

C. 16. Ἑξῆς δὲ καὶ περὶ τοῦ τῶν στηριγμῶν ἐφόδου. Περὶ στηριγμῶν. Fol. 22. b.

C. 17. Περὶ Φάσεων. Folio 23. b.

C. 18. Περὶ τῶν τῆς σελήνης παραλλάξεων. Folio 27. a.

C. 19. Περὶ συνόδου καὶ πανσελήνης. . . . . Folio 29. a.

C. 20. Περὶ σεληνιακῶν ἐκλείψεων. Folio 37. b.

C. 21. Περὶ τῶν τῆς σελήνης προσνεύσεων. Folio 39. b.

C. 22. Περὶ ἡλιακῶν ἐκλείψεων. Folio 41. b.

C. 23. Περὶ τῶν ἡλίου προσνεύσεων. Folio 45. a.

C. 24. Περὶ τοῦ τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων ἐποχῆς. Folio 46. b.

NB. Ubi in hac recenſione puncta quædam ponuntur, ea in MS° legere non potui.

E. Col.

E.

Collatio editionis Dodwellianæ cum MS^to Lugdunenſi.

Supra, Lit. D. monuimus. Caput 1um hujus Commentarii Theonis Alexandrini in expeditos Canones editum eſſe ab Henrico Dodwello in Appendice ad Diſſertationes ſuas Cyprianicas: quæ prodierunt Oxoniæ anno 1684, & quidem una eademque impreſſione, in folio, & in octavo. Nos in hac collatione uſi ſumus editione in folio, quæ ſubjungitur Cypriani Operibus, a Joanne Oxonienſi Epiſcopo recognitis, & Oxonii anno 1682 editis. Sequimurque paragraphos, in quos hoc Caput a Dodwello diſtinctum eſt, & ſingulorum paragraphorum lineas.

Titulus Capitis.

In editione Dodwelli: Ὅσα δεῖ προειδέναι τοὺς ἀρχομένους τοῦ Κανόνος. In Codice Manuſcripto Bibliothecæ Lugduno-Batavæ nullus titulus reperitur. Videtur hic titulus ex paragraphi 3^tii initio eſſe petitus.

Paragraphus 1us.

Lin. 4. συντάγματι. in MS°, συγγράμματι.

Lin 6. μηδὲ. in MS° μηδὲν.

Lin. 6, 7. ἱκανῶς δείξεων τυγχάνουσιν. in MS° hæc leguntur: ἱκανῶς παρακολουθεῖν δύνανται. ἔτι καὶ ἀμύητοι πάντα πᾶσι τῶν γραμμικῶν δείξεων τυγχάνουσι.

Lin. 9. προστιθέντες. in MS° eraſa, ut videtur, præpoſitione πρὸς, legitur τιθέντες.

Lin. 9, 10. τὴν ἔκθεσιν τῶν Κανονίων τῆς διδασκαλίας. in MS° omittitur τῶν Κανονίων.

Lin. 10. Ἐπεὶ οὖν τῶν προχειρ. in MS°, ἐπεὶ οὖν κατὰ τὴν σύστασιν τῶν προχειρ.

Lin. 15. καθ᾽ οὓς ἐνιαύσιος. in MS°, καθ᾽ οὓς ὁ ἐνιαύσιος.

Lin. 16. ὅπως ἐστι. in MS°, ὅπερ ἐστι.

Lin. 19. χρόνον. τὴν ἑξῆς. in MS° legitur, χρόνον τὴν μεσημβρίαν. Διαλαβόντες οὖν περὶ τοῦ κατὰ τὴν σύστασιν τῶν Κανονίων χρόνου. ἑξῆς.

Lin. 22. πολλαπλασιασμῶν, ἢ μερισμῶν. in MS° omittitur ἢ μερισμῶν, Sed annotatio marginalis monet hæc legenda eſſe.

Lin. 24. καὶ ἄλλου προσμεγίστου κύκλου. in MS°, καὶ ἄλλου τινὸς μεγίστου κύκλου.

Lin. 25. μοίριον καλεῖται. in MS°, μοιριαῖον καλεῖται.

Lin. 26. τὸ δὲ ἓν πάλιν εἰς δεύτερα ἑξήκοντα πάλιν, τὸ δὲ δεύτερον ὁμοίως. εἰς τρίτα πάλιν ἑξήκοντα, καὶ ἑξῆς ἀκολούθως. in MS° hæc ita leguntur. τὸ δὲ ἓν πρῶτον λεπτὸν εἰς δεύτερα πάλιν ἑξήκοντα. τὸ δὲ ἓν δεύτερον ὁμοίως εἰς τρίτα πάλιν ἑξήκοντα. καὶ ἑξῆς ἀκολούθως.

Lin. 31. καὶ μεριζόμενα παρὰ τὸν ζ̄. pro ζ̄ hic, & etiam paulo poſt adhuc bis, legendum ξ, ut monet Dodwellus. in MS° plene legitur ἑξήκοντα.

Paragraphus 2us.

In hoc Paragrapho nulla occurrit varia Lectio.

Paragraphus 3us.

Lin. 4. Ἔστι δὲ τάδε. Εἰκοσιπενταετηρίδες καὶ τὰ ἁπλᾶ ἔτη, μὴν Αἰγύπτιος, ἡμέρα καὶ ὥρα. εὑρίσκομεν τοίνυν τὰς εἴκοσι πέντε τόνδε τὸν τρόπον, συνάγοντες. in MS° hæc ita leguntur, ἔστι δὲ τάδε. Εἰκοσιπενταετηρίδες ἔτη ἁπλᾶ. μὴν αἰγύπτιος. ἡμέρα αἰγυπτία. ὥρα ἀπὸ μεσημβρίας. λαμβάνεται δὲ ἕκαστον τῶν κεφαλαίων. καὶ πρῶτον αἵ τε εἰκοσιπενταετηρίδες, καὶ τὰ ἁπλᾶ ἔτη, τόνδε τὸν τρόπον. συνάγοντες.

Lin. 16. poſt hæc verba, τὸ πλεῖστον πέντε εἶναι τὰ κεφάλαια, legitur, λαμβάνεται δὲ ἕκαστον τῶν κεφαλαίων πρῶτον αἱ εἰκοσιπενταετηρίδες. in MS° autem illa hoc loco non leguntur.

Lin. 21. κατὰ τέσσαρα ἔτη ἡμέραν μίαν προσλαμβάνει τὸ κατὰ Ἀλεξάνδρειαν. in MS° legitur, προ-λαμβάνει, ita ut inter literas ο & λ aliquid ſit eraſum.

Lin. 24. ἀρχὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ. in MS°, τὴν ἀρχὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ.

Lin. 27. τὸ δ̄ τῆς ἡμέρας προσλαμβάνειν. in MS°, τὸ τέταρτον τῆς ἡμέρας προ-λαμβάνειν. ita ut inter literas ο & λ aliquid ſit eraſum.

Paragraphus 4us.

Lin. 2. τῷ πέμπτῳ ἔτει Αὐγούστου βασιλείας. in MS°, τῷ ε̄ ἔτει τῆς Αὐγούστου βασιλείας.

Lin. 3. πρὸλαμβάνειν. ita quoque in MS°, προ-λαμβάνειν. ita ut inter literas ο & λ aliquid ſit eraſum.

Lin. 9. προσλαμβάνειν. in MS°, προ-λαμβάνειν. ita ut inter literas ο & λ aliquid ſit eraſum.

Lin. 10 προειλήφεν ὁ κατ' αἰγυπτίους τῆς κατὰ Ἀλεξάνδρειαν. in MS°, προειλήφεν ὁ κατ' αἰγυπτίους χρόνος τῆς κατ' Ἀλεξανδρείας.

Lin. 18. αὐτὸν γε τὸν μῆνα καθ' ὃν ἀπήρτισε. in MS°, αὐτὸν γε τὸν μῆνα εἰς ὃν ἀπήρτισεν.

Lin. 21. τῶν πενθαμέρων πάντοτε. in MS°, τῶν πενθημέρων πάντοτε.

Lin. 22. ἀπογραφεῖσι ἔτεσι. in MS°, τοῖς ἀπογραφεῖσι ἁπλοῖς ἔτεσιν.

Lin. 27. ἥτις ἐστὶ τῆς ἡμέρας ὥρα ἕκτη. in MS°, ἥτις ἐστὶ τῆς ἐξῆς ἡμέρας ὥρα ἕκτη.

Paragraphus 5us.

Lin. 2, 3. ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς Φιλίππου βασιλείας, μέχρι Διοκλητιανοῦ ἔτους οζ. in MS°, ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τῆς Διοκλητιανοῦ βασιλείας ἔτους οζ.

Lin. 9. καὶ τὰ συνεχόμενα αὐτοῦ. in MS°, καὶ τὰ συνεχόμενα ἐν αὐτῷ.

Lin. 11. ἁπλᾶ ἔτη. . . . in MS°, nulla puncta, & nihil deeſt.

Lin. 15. καταστάσεσιν τῆς κατ' Ἀλεξανδρείας. in MS°, ἀποκαταστάσεσιν τῆς κατ' Ἀλεξανδρείας χρόνου.

Lin. 16. μετὰ ε ἔτη. in MS°, μετὰ πέντε ἔτη.

Lin. 16, 17. ἐὰν τοῖς ἀπὸ τῆς ἀποκαταστάσεως μέχρι τῆς ἀρχῆς Διοκλητιανοῦ ἔτεσιν. in MS°, poſt ἔτεσιν additur τη, 308.

Lin. 18. καὶ συναγομένων. in MS°, καὶ τῶν συναγομένων.

Lin. 23. αἷς προσθέντας. in MS°, αἷς προσθέντες.

Lin. 24, 25. τὰς τοῦ Σεπτεμβρίου ἡμέρας. in MS°, τὰς τοῦ Θὼθ μηνὸς ἡμέρας.

Lin. 26. εἰ γὰρ ἦν μεσημβρία. in MS°, εἰ γὰρ ἦν πρὸ μεσημβρίας.

Lin. 26, 27. προσετίθεμεν ἄν. αὐτὴ γὰρ πάλιν ἡμέρα ἐγίνετο. in MS°, προσετίθεμεν αὐτὴ γὰρ πάλιν ἡμέρα ἐγίγνετο.

Lin. 28. ἀναδιδομένου. in MS°, ἀναδοθέντος.

Lin. 30. ὅσα. in MS°, ὅσαι.

Lin. 31. ὑπολείφθησαν. in MS°, ὑπελίπησαν.

F.

De duobus Foliis, quæ Theonis Commentario præponuntur.

1° Horum duorum foliorum pagina 1ª, a recentiore manu conſcribillata eſt, & ſcriptura ſquallore ita obducta, ut legi non poſſit: non tamen Tabulam continet.

2° Eo-

2° Eorundem foliorum pagina 2da exhibet Tabulam, ex antiqua Scriptura, literis quadratis, inter lineas rubras. Ipſius Tabulæ inſcriptio hæc eſt: ΨΗΦΟΣ ΒΙΣΣΕΞΤΟΥ ΗΤΟΙ ΕΜΒΟΛΙΜΟΥ. Habet σελίδια IX, & ςίχους XXVIII. columna 1ª habet ſigna B. 165. quæ ad verſum ſeu ςιχον 2um, 6um, 10um, &c. annotantur; columna 2ª habet annos Cycli Solis XXVIII, ab α—κη. Columnæ a 3ª uſque ad 9^am habent literas, quas dominicales vocant, incipientes in verſu 1°, ab α, β, γ, δ, ε, ς, ζ. & in unoquoque verſu, cui Biſſextus inſcribitur, literæ duplices notantur. In ſuperiori margine occurrit ſuperſcriptio fere detrita, ΑΠΟΓΡΑΦΗ ΤΩΝ ... ΕΤΩΝ ΔΙΩΚ......

3° Eorundem duorum foliorum pagina 3ª continet Tabulam ex antiqua Scriptura literis quadratis, inter circulos rubros. Ipſa Tabula exhibet Rotam, quæ habet zonas XII, & in unaquaque zona cellulas, ſeu loculos XVIII. Supra Rotam ſcribitur ΚΥΚΛΟΣ ΕΠΑΚΤΩΝ. In ſuperiori margine occurrit ſuperſcriptio, fere detrita . . . . ΑΠΟ ΤΟΥ ΕΝΔΟΤΕΡΟΥ ΠΑΝΤΩΝ . . . . . . ΕΥΡΙΣΚ. ΚΑΤΑ ΠΑΡΑΥΞΙΣΗΝ ΕΝΝΕΑΚΑΙΔΕΚΑΕΤΗΡΙΔΟΣ. In inferiori paginæ parte, a recentiore manu, notantur ſigna VII planetarum, ſigna XII Zodiaci, & ſigna XII menſium, cum eorum nominibus.

4° In eorundem duorum foliorum pagina 4ª occurrit, ex antiqua ſcriptura, literis quadratis, ΓΕΝΕΣΙΣ ΚΟΣΜΟΥ, ΓΕΝΕΣΙΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ, Figura circularis aſtronomica, ΓΕΝΕΣΙΣ ΓΑΖΗΣ ΓΕΝΕΣΙΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΠΟΛΕΩΣ. ΓΕΝΕΣΙΣ ΚΑΙΣΑΡΙΑΣ. ΓΕΝΕΣΙΣ ΑΝΤΙΟΧΙΑΣ. ΓΕΝΕΣΙΣ ΝΕΑΠΟΛΕΩΣ. Cum Signis & Notis genethliacis. In ſuperiori paginæ parte aliquid ſuperſcribitur, ita detritum, ut legi non poſſit.

NB. Hæc duo folia alieno hic loco poſita eſſe, non dubito.

G.

De iis, quæ folio 47. b. & fol. 48, 49. poſt Theonis Commentarium occurrunt.

Poſt Theonis Commentarium, & ante Tabulas expeditas quædam occurrunt.

1° Theonis Commentario, fol. 47. a. in medio paginæ, ad finem per-

perducto, immediate in eadem pagina, ab alia manu atque alio atramento, ſubjunguntur ſigna XII Zodiaci, cum ſubjectis eorum nominibus, ut & nomina XII menſium Ægyptiorum, a Thoth, cum ſubjectis menſium Romanorum, qui his reſpondent, nominibus, compendio ſcriptis.

2° Folio 47. b. & folio 48. a. Occurrit ſcriptura recentior, atramento ſatis diluto, literis ligatis minutioribus, & detritis. Hæc legere non potui: videntur autem reſpicere ad Tabulam, folio 48. b. ſequentem, quæ Computum horarum videtur concernere.

3° Folio 49. a. occurrit Tabula, fere detrita, a recenti manu, literis ligatis, a præcedenti Scriptura diverſis, exarata: eſtque Tabula *Tetraëteridum*, inſerviens ad annum, menſem, & diem, in Æra Conſtantinopolitana datum, reducendum ad annum, menſem, & diem, in Æra Philippi quæſitum. Continet *Tetraëterides* XII, ſeu annos 48. Hujus Tabulæ verſu, ſeu στίχῳ 1° inſcribitur, in columna 1ª annus Æræ C. P. ͵ϛω. (6800) in columna 2ª Epactæ ſeu Embolimi dies τκθ (329) ſecunda vice. In columna 4ª, annus Æræ Philippi ͵αχιϛ. (1616). In ultimo autem hujus Tabulæ verſu, ſeu στίχῳ 48° inſcribitur, in columna 1ª, annus Æræ C. P. ͵ϛωμζ. (6847) In columna 2ª, Epactæ ſeu Embolimi dies τμα. (341) prima vice. In columna 4ª, annus Æræ Philippi ͵αχξγ. (1663) Quid autem columnæ 3ª inſcribatur, nondum capio. Columnæ 5ª & 6ª continent duodecim menſes Romanos, a Septembri, eorumque menſium dies collectos. Huic Tabulæ, ſi recte lego, ſuperinſcribitur, τετραετηρίδες ἀπὸ [illegible] ἔτους τοῦ Αὐγούστου βασιλείας. Annus Æræ C. P. 6800 eſt Æræ Chriſti vulgaris 1292. & annus Æræ Philippi 1616 vagus concurrit cum anno Æræ vulg. Chriſti 1292. Quia autem hic primus hujus Tabulæ annus eſt, inde conjicio hanc Tabulam circa finem Seculi XIII, ab Aſtronomo, qui hoc Codice MS° tunc utebatur, eſſe conſcriptam, & huic Codici inſertam.

4° Folio 49. b. ſequitur alia Tabula, hactenus mihi incognita, a recentiori manu, literis ligatis, ab iis, quæ in præcedenti Tabula occurrunt, diverſis, conſcripta.

II.

De Codicis parte altera, quæ comprehendit Tabulas expeditas, ſeu προχείρους Κανόνας.

Hæc hujus Codicis pars incipit folio L. & ſe extendit uſque ad folium CLIX.

Hæ Tabulæ ſunt duplicis generis: Quædam enim Aſtronomorum uſibus inſerviunt: aliæ ſunt Tabulæ aſtronomicæ proprie dictæ, per quas ipſe calculus aſtronomicus peragitur.

Has omnes ordine recenſere conſtitui. Sed notandum in hac recenſione, me nomen *Tabulæ* dare uniuſcujusque folii paginæ, imprimis quando ſequens pagina Titulos repetit: præterea, cum Tabularum longe maxima pars ab antiqua manu ſcripta ſit literis quadratis; cum annotationibus marginalibus, plerumque eodem modo ſcriptis, hoc ad ſingulas Tabulas non monebimus, ſed ſolummodo indicabimus, quænam Tabulæ a recentiori manu literis ligatis ſcriptæ ſint.

Tabularum recenſio.

1° Tabulæ III. folio 50. a. — 51. a. quarum prima inſcribitur Κανων ημερων εβδομαδ☉. Eique monitum, a recentiore manu ſcriptum, ſubjungitur. fol. 50. a. Secunda & tertia exhibent Kalendarium Julianum cum literis Dominicalibus, quæ ημεραι κατ σαββατον, hoc eſt, Feriæ Septimanæ vocantur, quæque a primo Januarii die hoc ordine procedunt, α. β. γ. δ. ε. ζ. η. omiſſo ς. Folium 50. b. continet ſex priores, folium 51. a. ſex poſteriores anni Juliani menſes. Hæ Tabulæ videntur ad Septimanæ Feriam indagandam compoſitæ, adeoque non ſuo loco hic poſitæ, ſed, teſte Heraclio, poſt Tabulas inerrantium ſtellarum ponendæ.

2° Tabula I. folio 51. b. quæ inſcribitur; Κανόνιον ἀπλανῶν ἀςέρων. & a recentiori manu ſcripta eſt, literis ligaris, atramento nigro. Hæc Tabula alieno plane loco hic ponitur.

3° *Canon Regum aſtronomicus*. folio 52. a. b. & 53 a. a Nabonaſſaro uſque ad Phocam. De quo diſtinctius agam infra Lit. I.

4° *Faſti Conſulares*, folio 53. b. uſque ad folium 61. b. a Conſulatu Antonini IV, & Alexandri, uſque ad Poſt Conſulatum Heraclii 17um. de quibus diſtinctius agam infra Lit. L.

5° *Canon Regum aſtronomicus alter*. folio 62. a. b. & 63. a. b. a Nabonaſſaro uſque ad Michaëlem cum Filio. De quo diſtinctius agam infra, Lit. K.

NB. Hæc tria ſcripta, ſupra N° 3°, 4°, & 5° recenſita, ex hoc Codice exſcripſit Iſaacus Voſſius; omiſſis tamen annotationibus marginalibus. Iisque uſus eſt Henr. Dodwellus, Apographa enim utriusque Canonis Voſſiana cum Canone, ex MS° Saviliano 1°, a ſe edito, contulit, &

& variantes Lectiones ex iis ſatis exacte enotavit: Faſtos autem Conſulares ex apographo Voſſiano in lucem edidit: in Appendice ad Diſſertationes Cyprianicas.

6° *Urbium inſigniorum in tribus Orbis partibus longitudines, & latitudines.* a folio 64. a —71. b. excepto folio 69. a. b.

7° Tabulæ II. folio 69. a. b. Quod alieno loco hic inſertum eſt. Tabula prima, fol. 69. a. a recenti manu, negligenter ſcripta, videtur inchoata, ſed non perfecta. Inſcribitur, Κανόνιον. σελήνης καὶ μῆκος διάστημα. Tabula altera, fol. 69 b. a recentiore, ſed diverſa manu ſcripta, hanc habet inſcriptionem, Κανόνιον . . . . ὥρων τῆς ὁμαλῆς κινήσεως ἡλίου καὶ σελήνης. Satis nitide eſt exarata.

8° Tabula I. folio 72. b. (vacat enim folium 72. a.) inſcribitur, ΜΗΝΕΣ ΡΩΜΑΙΩΝ ΚΑΙ ΑΙΓΥΠΤΙΩΝ. eſtque ſingulari modo diſpoſita. cui uſui inſerviat nondum capio. Non videtur hic ſuo loco poſita.

9° Tabulæ IV. folio 73. a. —74. b. Cum hac inſcriptione, ΟΡΘΗΣ ΣΦΑΙΡΑΣ ΣΥΝΜΕΣΟΥΡΑΝΗΣΕΙ ΠΑΝΤΑΧΕΙ. Unaquæque Tabula habet στίχοι XXX, ſeu gradus ab α—λ. & tria Zodiaci ſigna; & ſub unoquoque ſigno exhibet, ut videtur, *aſcenſiones rectas.*

10° Tabulæ XXVIII. folio 75. a. —88. b. ex quibus Tabulæ IV. folio 77. a. b. & 85. a. b. recentiore manu ſcriptæ ſunt. Exhibent *aſcenſiones*, ut videtur, *obliquas*, per *ſeptem Climata.* Cum his inſcriptionibus, ΚΛΙΜΑ α̅, β̅, γ̅, &c. ΑΝΑΦΟΡΑ ΤΟΥΔΙΑ ΜΕΡΟΗΣ, ΣΥΗΝΗΣ, ΚΑΤΩΧΩΡΑΣ, ΡΟΔΟΥ, ΕΛΛΗΣΠΟΝΤΟΥ, ΜΕΣΟΥ ΠΟΝΤΟΥ, & ΒΟΡΥΣΘΕΝΟΥΣ. Unumquodque Clima habet Tabulas quatuor: unaquæque Tabula habet tria Zodiaci ſigna, & στίχοις ſeu μοίρας 30. & ſub unoquoque Zodiaci ſigno notantur ἀναφοραι, & ὥρων χρόνοι.

11° Tabulæ VI. folio 89. a. —91. b. Ex quibus Tabulæ duæ, folio 90. a. b. recentiori manu ſcriptæ ſunt. Harum Tabularum prima, folio 89. a. inſcribitur, ΕΙΚΟΣΑΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΕΣ ΗΛΙΟΥ ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗΣ. ab Æræ Philippi anno α̅ (1°) uſque ad annum χκε (625um) in qua plurimi numeri detriti novo atramento ſuperinducti ſunt. Secunda, folio 89. b. continebat etiam εἰκοσαπενταετηρίδας, forte alteram partem, ab anno ψνα (751) uſque ad annum αυκς (1426) ſed plane detrita eſt. Tertia, folio 90. a. inſcribitur, ΕΤΗ ΑΠΛΑ ΗΛΙΟΥ ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗΣ. ab [illegible]. Quarta, folio 90. b. inſcri-

bitur, ΜΗΝΕΣ ΑΙΓΥΠΤΙΟΙ ΗΛΙΟΥ ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗΣ. ab α—ιβ. Quinta, folio 91. a. inſcribitur, ΗΜΕΡΑΙ ΑΙΓΥΠΤΙΑΙ ΑΡΙΘΜΟΙ ΗΛΙΟΥ ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗΣ. ab α—λ. In qua etiam varii numeri detriti novo atramento ſuperinducti ſunt. Sexta, folio 91. b. inſcribitur ΩΡΑΙ ΑΠΟ ΜΕΣΗΜΒΡΙΑΣ ΗΛΙΟΥ ΚΑΙ ΣΕΔΗΝΗΣ. ab α—κδ. Unaquæque Tabula habet columnas ſex. Vide infra Lit. M.

12° Tabulæ VI. folio 92. a. —94. b. Ex quibus duæ, folio 94. a. b. recentiori manu ſcriptæ ſunt. Hæ Tabulæ inſcribuntur, ΚΑΝΩΝ ΑΝΟΜΑΛΙΑΣ ΗΛΙΟΥ ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗΣ. Unaquæque habet columnas, ſeu Titulos ſex, & verſus XXX, in quibus gradus progrediuntur ab α—ρπ. In prima Tabula plures numeri detriti novo atramento ſuperinducti.

13° Tabula I. folio 95. a. inſcribitur, ΚΑΝΟΝΙΟΝ ΛΟΞΩΣΕΩΣ ΗΛΙΟΥ ΚΑΙ ΣΕΔΗΝΗΣ. *Habet columnas ſeu Titulos ſex; & verſus XXX.*

14° Tabulæ VII. folio 95. b. —98. b. Inſcribitur prima, fol. 98. b. ΠΡΟΚΑΝΟΝΙΟΝ. Secunda, fol. 96. a. ΚΑΝΩΝ ΗΛΙΑΚΩΝ ΕΚΛΕΙΨΕΩΝ &c. Tertia, fol. 96. b. ΚΑΝΟΝΙΟΝ ΕΞΑΡΜΑΤΟΣ ΕΚΑΣΤΟΥ ΤΟΠΟΥ ΩΡΩΝ ΥΠΕΡΟΧΗΣ. Quarta, fol. 97. a. ΚΑΝΟΝΙΟΝ ΜΕΓΕΘΟΥΣ ΕΚΛΕΙΨΕΩΣ ΗΛΙΟΥ ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗΣ. Quinta, fol. 97. b. ΚΑΝΩΝ ΠΡΟΣΝΕΥΣΕΩΣ. Sexta, fol. 98. a. ΚΑΝΩΝ ΣΕΛΙΝΙΑΚΩΝ ΕΚΛΗΨΕΩΝ. Septima, fol. 98. b. ΟΡΙΖΟΝΤΩΝ ΚΑΤΑΓΡΑΦΗ.

15° Tabulæ XIV. folio 99. a. —105. b. Ex quibus duæ primæ, folio 99. a. b. recentiori manu ſcriptæ ſunt. exhibent *parallaxes per ſeptem* ſupra dicta *Climata*. Unicuique Climati aſſignantur Tabulæ duæ, & unaquæque Tabula habet ſex Zodiaci ſigna.

16° Tabulæ X. folio 106. a. —110. b. Omnes recentiori manu ſcriptæ. Unumquodque folium habet Tabulam duplicem, unam pro Saturno & Jove, alteram pro Marte, Venere, & Mercurio. Inſcribitur Tabula duplex prima, fol. 106. a. b. *Κανὼν* [illegible] *τῶν ε ἀστέρων.* ab Æræ Philippi anno ψνα (751) uſque ad annum αυοϛ (1476) Secunda, fol. 107. a. b. *ἔτη ἁπλᾶ τῶν ε ἀστέρων.* ab α ad κε. Tertia, fol. 108. a. b. *μῆνες Αἰγυπτίων τῶν ε ἀστέρων.* ab α ad ιβ. Quarta, fol. 109. a. b. *ἡμέραι αἰγύπτιαι τῶν ε ἀστέρων.* ab α ad λ. Quinta, fol. 110. a. b. *ὧραι ἀπὸ μεσημβρίας τῶν ε ἀστέρων.* ab α ad κδ. Vide infra Lit. M.

17° Duo

17° Duo hic interſeruntur folia, alieno, ut videtur, loco, folium 111 & 112. in quibus occurrunt, (1) folio 111. a. Figura quædam Aſtronomica circularis, non inelegantèr ducta, totam fere hanc paginam occupans. (2) Folio 111. b. & 112. a. Monitum quoddam, ut videtur, circa quinque planetas, a recenti manu ſcriptum. (3) Folio 112. b. Continuatio quædam Tabulæ Icoſipentaëteridum, eaque duplex, primo pro Saturno & Jove, & deinde pro Marte, Venere & Mercurio, in qua hi quatuor Icoſipentaëteridum numeri, αψα, αψκς, αψνα, αψος. a recenti, ſed ſordida manu exarati: cum ſubjecto monito. NB. Videtur hæc continuatio ſcripta circa annum Æræ Philippi αψα, (1701) adeoque circa annum Chriſti 1377. vel potius 1376. ab Aſtronomo, qui tunc hoc Codice utebatur, inſerta.

18° Tabulæ XXX. folio 113. a. — 127. b. ex quibus XII priores: & 19ª ac 20ª: nec non 29ª & 30ª, recentiori manu ſcriptæ ſunt. Exhibent Κανόνες ἀνωμαλίας quinque Planetarum. Unicuique Planetæ aſſignantur Tabulæ VI. unaquæque Tabula habet verſus XXX. & progrediuntur in ſex Tabulis ab α ad ρπ.

19° Tabulæ X. folio 128. a. — 132. b. ex quibus duæ priores recentiori manu ſcriptæ ſunt. Exhibent βορειον πλατος & νοτιον πλατος quinque Planetarum. Unicuique Planetæ aſſignantur Tabulæ duæ, quarum prima βορειον πλατος, altera νοτιον πλατος exhibet.

20° Tabulæ V. folio 133. a. — 135. a. Ex quibus duæ priores recentiori manu ſcriptæ ſunt. Exhibent quinque Planetarum Κανόνες στηριγμων η τυ βαθυς. Aſſignatur unicuique Planetæ Tabula unica.

21° Tabulæ VII. folio 135. b. — 138. b. In quibus exhibentur quinque Planetarum φασις & κρυψις. Saturno, Jovi, & Marti, ſingulis aſſignatur Tabula unica. Veneri autem & Mercurio, ſingulis tribuuntur Tabulæ duæ.

22° Tabulæ II. folio 139. a. b. In quibus occurrunt quinque Planetarum φασεων διαστασεις προς τον ακριβη ηλιον. & quidem Saturni, Jovis, & Martis, folio 139. a. Veneris autem, & Mercurii, folio 139. b.

23° Tabulæ VII. folio 140. a. — 143. a. Quæ folio 140. a. ſic inſcribuntur, ΕΠΟΧΑΙ ΑΠΛΑΝΩΝ ΤΩΝ ΜΕΧΡΙ ΔΕΚΑ ΜΟΙΡΩΝ ΠΛΑΤΟΥΣ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΟΥΣ. Subjungitur Epigramma Ptolemæi in ſe ipſum. folio 143. a.

24° Tabulæ XV. folio 143. b. — 150. b. In quibus fit menſium comparatio duplex. Primo enim comparantur inter ſe variarum gentium menſes, per totum annum Romanum, ejusque XII anni menſes, & ſingulorum

gulorum menſium dies: in Tabulis XII. ubi comparatio fit cum menſe *Januario*, fol. 143. b. *Februario*, fol. 144. a. *Martio*, fol. 144. b. *Junio*, fol. 145. a. *Julio*, fol. 145. b. *Aprili*, fol. 146. a. *Majo*, fol. 146. b. *Auguſto*, fol. 147. a. *Septembri*, fol. 147. b. *Octobri*, fol. 148. a. *Novembri*, fol. 148. b. *Decembri*, fol. 150. a. (NB) Folium 145, recentiori manu ſcriptum, & non ſuo loco conſutum. Comparantur autem inter ſe menſes, ΡΩΜΑΙΩΝ, ΕΛΛΗΝΩΝ, ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ, ΤΥΡΙΩΝ, ΑΡΑΒΩΝ, ΣΙΔΟΝΙΩΝ, ΓΑΣΕΩΝ, ΑΣΚΑΛΩΝΙΩΝ, ΗΛΙΟΥΠΟΛΙΤΩΝ, ΛΥΚΙΩΝ, ΚΑΠΠΑΔΟΚΩΝ, ΒΥΘΙΝΙΩΝ, ΣΕΛΕΥΚΙΩΝ, & ΑΣΙΑΝΩΝ. Deinde comparantur inter ſe menſes Alexandrinorum, Græcorum, & Romanorum: ubi primo notantur menſes Alexandrini, deinde Romani; qui per Kalendas Nonas, Idus, &c. more Romano deſcribuntur, & cum quibus menſes Græcorum pari paſſu ambulant: in tribus Tabulis, folio 150. b. folio 149. a. & folio 149. b. ubi unaquæque Tabula menſes tres exhibet: excidit autem Tabula 4ª, qua anni Romani menſes tres poſtremi continebantur. (NB) Folium 149, mala complicatione, alieno loco ponitur: & folium iſtic loci videtur exſectum. His tribus Tabulis quædam in inferiori margine ſubſcribuntur.

25° Tabulæ IV. folio 151. a. —153. b. (folium enim 151. b. vacat: quia lineæ erroneè ductæ erant. Folium vero 153. b. continet monitum, a recenti manu ſcriptum, has Tabulas forte reſpiciens.) Ipſæ quatuor Tabulæ a recenti manu ſatis negligenter ſcriptæ. Unaquæque Tabula habet verſus XXX, ab ᾱ ad λ̄. & tria Zodiaci ſigna, & ſub unoquoque ſigno ἀναφορας & ὡρων χρονους.

26° Denique, folio 154—159. continetur συνόδου calculus fuſior, manu a præcedenti diverſa, literis ligatis, ſcriptus: cum annotationibus marginalibus ab alia iterum manu: inter quas tamen, quod notandum, quædam annotationes occurrunt ſcriptæ literis quadratis, ab antiqua, ut videtur, manu. Contigit autem hæc σύνοδος, anno a Diocletiano 803 qui eſt a Philippo 687ᵘˢ, menſis Payni die 22°, ut ex folio 156. b. in ima pagina, & ex folio 159. b. patere poteſt.

I.

Canonis Aſtronomici primi a Nabonaſſaro ad Phocam diſtinctior deſcriptio.

Hunc Canonem (ut ſupra jam monuimus) ex hoc Codice exſcripſit Iſaacus Voſſius, (omiſſis tamen annotationibus marginalibus) & hoc Voſſii apo-

apographo diligenter uſus eſt Henr. Dodwellus, variaſque ex eo Lectiones enotavit in ſuis ad Canonem Regum aſtronomicum, a ſe ex MS° Saviliano 1° editum, Notis: Unde etiam quam certiſſime conſtat, illud Voſſii apographum ex hoc Codice eſſe deſcriptum.

Hunc Canonem aſtronomicum 1um, ex hoc Codice, uberius & diſtinctius illuſtrare conſtitui: & quidem

1mo, Quoad ipſam Canonis conſtitutionem, & formam.

a. Incipit a Nabonaſſaro & definit in Phoca.

b. Duas tantum habet Epochas, quarum prima a Nabonaſſaro inchoata, uſque ad Alexandri Magni mortem prorogatur, ibidemque deſinit, colligens annos 424. Altera a Philippo Aridæo, Alexandri ſucceſſore, inchoata & ad Phocæ mortem continuata, colligit annos 933.

c. Utraque Epocha habet tres columnas, quarum prima continet nomina Regum; a Nabonaſſaro ad Alexandri mortem, in *genitivo*: a Philippo vero ad Phocam, in *nominativo* expreſſa: Secunda continet annos imperii ſingulorum Regum: tertia denique continet Regum annos collectos, cum his titulis, *ἔτη συναγόμενα*, in Epocha prima. & *ἔτη ἐπισυναγόμενα*. in Epocha ſecunda.

d. Primæ Epochæ, a Nabonaſſaro ad Alexandri mortem, nullus titulus, neque generalis, neque particularis, ſuperinſcribitur: legitur tantum *ἔτη βασιλέων* ſupra columnam, quæ Regum nomina continet. In medio autem hujus Epochæ, immediate ante *Cyrum* notatur *Περσῶν βασιλεῖς*.

e. Secundæ Epochæ primus Rex ita deſignatur ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΤΟΥ ΜΕΤΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ ΤΟΝ ΚΤΙΣΤΙΝ. Præterea in ſuperiori margine huic Epochæ hæc ſuperſcribuntur: ΕΤΗ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΤΩΝ ΜΕΤΑ ΤΗΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΕΛΕΥΤΗΝ ΚΑΙ ΚΑΥΤΑ ΙΔΕ ΚΑΙ ΜΕΤΕΓΡΑΦΗ ΑΣΦΑΛΩΣ ΜΕΤΑ ΤΟΥΣ ΥΠΑΤΟΥΣ. Illud *κ* in *καυτα* delendum, vel in *τ* mutandum. Quo ſenſu autem dicatur, *hæc tranſcripta eſſe μετὰ τοὺς ὑπάτους, poſt Conſules*, non capio: *Faſti Conſulares* enim hunc Canonem non præcedunt, ſed ſequuntur. Niſi ponamus Faſtos Theonis præceſſiſſe, & forte excidiſſe: vel deinceps omiſſos eſſe ob Faſtos illos uberiores. Denique in hac Epocha poſt Cleopatram, & ante Auguſtum notatur, *βασιλεῖς Ῥωμαίων*. Accedit, quod ad nomen Philippi Aridæi, Auguſti, & Diocletiani prænotetur quaſi Crux decuſſata cum quatuor punctis, hoc fere modo ⁜.

II^do^, Quod attinet Annotationes ad hunc Canonem marginales.

a. Ad *Ptolemai Lagi* nomen, in exteriori margine, annotatur: *ἐπὶ*

ϛυτου του Πτολεμαιου ην Τημοχαρις. Quibus verbis indicatur, quod ſub hoc Ptolemæo floruerit *Timocharis* Aſtronomus.

β. Ad *Cleopatræ* nomen, ad cujus mortem a Philippo colliguntur anni 294, notatur, in interiori margine, ΑΠΟ ΔΕ ΝΑΒΟΝΟΣΟΡΟΥ ΕΤΗ ψιη. Quo indicatur, ad ejusdem Cleopatræ mortem, a Nabonaſſaro, colligi annos 718.

γ. Ad *Auguſti* nomen, in exteriori margine occurrit annotatio, quam plene legere non potui: τ. ε. ΕΤΗ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ . . . ΚΥΝΙΚΟΣ ΕΝΙΑΥΤΟΣ . . . . Ο ΕΣΤΙ ͵αυξα ΕΤΟΣ. Videtur indicari aliquid de anno Ægyptiorum magno Caniculari, in relatione ad 5um annum Auguſti Cæſaris, videturque is dici annus 1461us.

δ. Circa nomen *Ælii Antonini & Commodi*, notatur, in exteriori margine, Μαρκου Αντωνινου και Βηρου. Et paulo poſt, in inferiori margine, notatur, ΜΑΡΚΟΥ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΚΑΙ ΒΗΡΟΥ ΕΤΗ ιϑ. Et his ſubjungitur, ΣΕΒΗΡΟΥ ΕΤΗ ιη. ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΚΑΡΑΚΑΛΛΟΥ ΕΤΗ ζ. Hæ Notæ ex Canone 2do videntur petitæ, easque explicat Dodwellus in Notis ſuis, N° 15 & 16.

ε. Ad nomen *Diocletiani*, in interiori margine, notatur, ΕΠΙ ΤΟΥΤΟΥ Ο ΠΑΠΟΣ ΕΓΡΑΨΕΝ. Quo indicatur, quod *Pappus* eo tempore ſcripſerit.

ζ. Ad *Conſtantini Magni* nomen, in interiori margine, notatur, Ο ΕΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥΠΟΛΗ. Quo indicatur, eum Imperii ſedem tranſtuliſſe Byzantium, a ſe Conſtantinopolim dictam.

η. Nota ibidem in exteriori margine, recenti & ſordida manu, literis ligatis ſcripta, hæc occurrit, ὁ μὲν Κωνϛαντῖνος ἐβασίλευσε ἐν Ρωμῃ ἔτη ιβ, ἐν δὲ Κωνϛαντινοπόλει ἔτη κ.

ϑ. Sequitur ibidem alia, quæ Conſtantinum quoque concernit, Nota, recenti manu, ſed a præcedente diverſa, literis ligatis ſcripta, quam legere non potui.

ι. Sub Canonis finem, in exteriori margine, occurrit hæc inſignis annotatio, ΑΠΟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΩΣ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΕΤΗ ΣϞΔ. ΑΠΟ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΕΩΣ ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟΥ ΕΤΗ ΤΙΓ. ΟΜΟΥ ΕΤΗ ΧΖ. ΑΠΟ ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟΥ ΕΩΣ ΛΕΟΝΤΟΣ ΚΑΙ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΥΙΟΥ ΑΥΤΟΥ ΛΔ. ΕΤΗ ΤϞΑ, ΑΠΟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΑϞΗ. Qui computus ex Canone 2do confirmatur.

A Philippo ad Auguſtum anni	294
ab Auguſto ad Diocletianum anni . .	313
ſimul anni	607
A Diocletiano ad Leontis & Conſtantini filii ejus (annum) 34um, anni	491
a Philippo anni	1098

IIItio. Quod attinet variantes Lectiones ex apographo Voſſiano 1mo a Dodwello collectas.

1. In intervallo primo a Nabonaſſaro ad Alexandri mortem, omnes variantes Lectiones rite a Dodwello annotantur: exceptis ſequentibus. In Codice MSto Lugdunenſi legitur (a) ΑΒΑΣΙΛΕΥΤΟΥ ΠΡΟΤΟΥ (b) ΚΥΡΟΥ, non ΚΗΡΟΥ, ut Dodwellus notat. (c) ΑΡΤΑΡΞΕΡΞΟΥ. bis.

2. In intervallo a Philippo ad Cleopatram omnes variantes Lectiones a Dodwello recte notantur. Solummodo illa ad nomen Cleopatræ appoſita nota male a Dodwello explicatur. Non enim innuit eam γυναικα fuiſſe, ſed eſt abbreviatura verbi γινεται, & reſpicit marginalem in Codice MSo annotationem, quæ dicit quod a Nabonaſſaro ad Cleopatræ mortem, *fiant* ΕΤΗ ψιη. anni 718.

3. In intervallo ab Auguſto ad Diocletianum omnes variantes Lectiones recte a Dodwello notantur: excepto, quod in Codice Lugdun. ad αἴλιος Ἀντωνῖνος adſcribatur in Canonis textu, recenti manu, literis ligatis, ὁ εὐσεβής. & quod legatur Σευῆρος καὶ Ἀντωνῖν̃.

4 In intervallo a Diocletiano ad Phocam omnes variantes Lectiones a Dodwello recte notantur: excepto, quod in Codice Lugdunenſi legatur, (a) ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟΥ ΚΑΙ ΚΩΝΣΤΑΝ. κδ. δ. χλα. (b) ΚΑΙ ΟΙ ΥΙΟΙ. α. χπε, quod ex χπζ videtur correctum. (c) ΙΟΥΛΙΑΝΟΣ ΕΛ. ζ. ΕΙΣ ΔΥΖ. α. ΚΑΙ ΒΥΖ. β. χπϛ. quod non male explicat Dodwellus. (d) ΟΝΟΡΙΟΣ ΚΑΙ ΘΕΟΔΟΣΙΟΣ ΑΔΕΛΦΙΔΗΣ ιγ. ψμδ. non ψμα, ut Dodwellus habet. (e) ΜΑΡΚΙΑΝΟΣ. β. ψοθ, quod omittit Dodwellus. (f) ΜΑΥΡΙΚΙΟΣ κγ, male, pro κ, ut ex annis collectis patet.

K.

Canonis Aſtronomici ſecundi, a Nabonaſſaro ad Michaëlem cum filio, diſtinctior deſcriptio.

Hunc Canonem (ut ſupra jam monuimus) etiam ex hoc Codice exſcri-

 pſit

pſit Iſaacus Voſſius, omiſſis tamen annotationibus marginalibus: & hoc Voſſii Apographo diligenter uſus eſt Henr. Dodwellus, variasque ex eo Lectiones enotavit in ſuis ad Canonem, a ſe ex MS^o^ Saviliano 1° editum, Notis: unde etiam quam certiſſime conſtat, illud Voſſii Apographum ex hoc Codice eſſe deſcriptum.

Hunc Canonem Aſtronomicum 2um ex hoc Codice uberius & diſtinctius illuſtrare conſtitui: & quidem

I^mo^. Quoad ipſam hujus Canonis conſtitutionem & formam.

a. Incipit a Nabonaſſaro, deſinit in *Michaele cum Filio:* Sed addita eſt a recentiore manu, literis ligatis, atramento diluto, ita ut literæ oculos fere fugiant, continuatio quædam, quam Voſſius non exſcripſit.

b. Duas tantum habet Epochas, quarum prima, a Nabonaſſaro inchoata, ad Alexandri Magni mortem prorogatur, ibidemque deſinit, colligens annos 424. Unde etiam non tantum in columna annorum collectorum, ſed etiam præterea in interiori margine annotatur ἔτη υκδ. Altera a Philippo Aridæo, Alexandri ſucceſſore inchoata & ad Michaelem cum Filio prorogata, colligit annos 1136. Continuatio autem illa, a recentiore manu addita, progreditur (ſi oculus me non fallit) ad annum 1238.

c. Utraque Epocha habet tres columnas, quarum prima continet Regum nomina, in *genitivo* expreſſa: altera exhibet annos Imperii ſingulorum Regum: Tertia denique continet annos Regum collectos.

d. Primæ Epochæ hic Titulus ſuperinſcribitur, ΕΤΗ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΠΕΡΣΩΝ ΤΩΝ ΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΚΑΙ ΑΥΤΟΥ, Et in hujus Epochæ medio, immediate ante Cyrum legitur, ΠΕΡΣΩΝ ΒΑΣΙΛΕΙΣ.

e Secundæ Epochæ hic Titulus ſuperinſcribitur, ΕΤΗ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΤΩΝ ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΜΕΤΑ ΤΗΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΤΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΤΕΛΕΥΤΗΝ. & inter Cleopatram & Auguſtum interſeritur, Ῥωμαίων.

II^do^. Quod attinet annotationes ad hunc Canonem marginales,

α. Ad *Ptolemæi Lagi* nomen, in exteriori margine prænotatur, ΟΥΤΟΙ ΑΙΓΥΠΤΩ ΕΚΡΑΤΟΥΝ. & deinceps uſque ad Cleopatram ſingulis Regum nominibus præponitur. ΠΤ῀.

β. Ad *Philometoris* vel *Euergetæ* 2^di^ nomen annotatur, ΤΟΥΤΟ ΗΝ ΙΠΠΑΡΧΟΣ, quo indicatur *Hipparchum* Aſtronomum eo tempore claruiſſe.

γ. Ad Auguſti nomen occurrit annotatio, quam plene legere non potui.

potui ΡΩΜΑΙΩ . . ΤΟΥ . . . . . ΑΡΧΗ ΤΗΣ ΠΕΡΙΟΔΟΥ.

δ. Ad *Ælii Antonini* nomen annotatur, ΕΠΙ ΤΟΥΤΟΥ ΤΟΝ ΚΑΝΟΝΑ ΕΓΡΑΨΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΩΣ. Ubi, quod notandum, *ſcriptio Canonis ſub Ælio Antonino tribuitur Ptolemæo Aſtronomo.*

ε. Paulo inferius, in exteriori margine, occurrit annotatio, lectu difficilis ob marginem nimis abſciſſam, & literas evaneſcentes: in ea videtur ratio reddi, cur in initio Romani imperii aliquid deficiat, & cur Auguſto, loco ϛ̄ϛ, 56, tantum μ̄γ, 43 anni adſcribantur, *quia ſcilicet, regnante Cleopatra, Cajus J. C. & Auguſtus aliquo tempore conregnarunt.*

ζ. Ad *Juſtiniani* nomen occurrit annotatio, quam, ob eandem cauſam, nec legere, nec intelligere potui.

η. Ibidem in inferiori margine occurrit annotatio ſatis ampla, quam ſic lego: ΑΠΟ ΤΟΥ ῑϛ ΕΤΩΥΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ ΜΕΧΡΙ ΤΗΣ ΕΝΙΣΤΑΜΕΝΗΣ ΕΙΝΔΙΚΤΙΩΝΟΣ ΚΑΙ ΑΥΤΗΣ. ΕΤΟΥΣ ΑΠΟ ΚΤΙΣΕΩΣ ΚΟΣΜΟΥ ετκ ΣΥΝΑΓΕΤΕ ΕΤΗ υπθ. ΕΙ ΘΕΛΙΣ ΟΥΝ ΕΥΡΕΙΝ ΤΗΝ ΕΠΑΚΤΗΝ ΕΚΑΣΤΟΥ ΧΡΟΝΟΥ, ΤΑΥΤΑ ΤΑ υπθ ΕΤΗ ΜΕΡΙΖΕ ΠΑΡΑ ΤΟΝ ιθ, ΚΑΤΑΛΙΜΠΑΝΟΝΤΕ ῑδ. ΤΑΥΤΑ ΠΑΡΑ ΤΟΝ ῑα ΠΟΛΛΟΥΠΛ῀. ΕΣΤΙ ρνδ, ΑΦΕΙΡ῀. ΤΡΙΑΚΟΝΤΑ ΔΕ ε̄, ΛΟΙΠΑ δ̄, ΑΤΙΝΑ ΛΕΓΟΜΕΝ ΕΙΝΑΙ ΤΗΣ ε̄ ΕΠΙΝΕΜΕΣΕΩΣ ΕΠΑΚΤΗΝ. ΕΙ ΔΕ ΤΟΥ ΕΞΙΣ ΕΝΙΑΥΤΟΥ ΖΗΤΕΙΣ ΤΗΝ ΕΠΑΚΤΗΝ, ΠΡΟΣΘΕΣ ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΗ δ̄, ΕΤΕΡΑΣ ῑα, ΚΑΙ ΕΥΡΙΣΙΣ ΤΗΝ ϛ ΙΝΔΙΚΤ῀. ΕΧΟΥΣΑΝ ΕΠΑΚΤΑΣ ῑε. ΚΑΙ ΤΗΝ ζ̄, ΚΑΙ ΤΗΝ η̄. ζ̄. ΚΑΙ ΕΞΙΝ. Computum his verbis indicatum, ad inveniendum Indictionem, & Epactas Lunæ, videor mihi percipere. Videtur quæſtio eſſe de anno Mundi 5810 labente. annus Mundi 5810, partitus per 15, relinquit 5, adeoque anno M. 5810° labente labitur V{a} Indictio: hoc tacite facit. Ad inveniendas autem illius anni 5810{mi} Epactas Lunæ ita procedit, ab anno Mundi 5810° unitatem demit, ſeu hunc annum labentem excludens, utitur anno M. 5809, & ab eo auferens decem periodos 532 annorum a Mundo Condito elapſas, ſeu 5320 annos, invenit undecimæ periodi annos 489 elapſos: Hunc numerum 489 annorum partitur per 19, & invenit reliquos 14 annos. Hos 14 annos per 11 multiplicans, invenit productum eſſe 154. Ab his aufert Tricenarios, ſeu quinquies triginta,

qui faciunt 150, & relinquuntur 4. adeoque annus Mundi 5809 elapſus relinquit Epactas IV pro anno M. 5810 labente, quo labitur etiam Indictio V^a. Atque hoc fundamento dicit illas IVes Epactas eſſe V^æ Indictionis Epactas: & addit, ſi quis quærat ſequentis anni Mundi 5811 Epactas, his IVes addendas eſſe XI alias, & invenies (inquit) VI^{am} Indictionem habere Epactas XV. & ſic conſequenter VII^{am}, & VIII^{am} Indictionem. Sed quo ſenſu annus Mundi 5810us cum anno Conſtantini Magni 16° componatur, ut fieri videtur, nondum capio.

9. Sequenti pagina inveniuntur in exteriori margine duæ vel tres annotationes breviores, in inferiori vero margine unica longe amplior, quarum literæ ita ſunt detritæ, ut legi non poſſint.

III^{tio}. Quoad variantes Lectiones ex apographo Voſſiano 2°, a Dodwello collectas.

1. In intervallo primo a Nabonaſſaro ad Alexandri mortem, omnes variantes Lectiones recte a Dodwello annotantur. Excepto quod in Codice Lugdunenſi legatur, (a) ΑΒΑΣΙΛΕΥΤΟΥ ΠΡΩΤΟΥ in genitivo. (b) ΒΙΛΙΒΟΥ. (c) ΑΡΤΑΡΞΕΡΞΟΥ, ſemel, ſed deinde ΑΡΤΑΞΕΡΞΟΥ.

2. In intervallo a Philippo Aridæo ad Cleopatræ mortem, omnes variantes Lectiones recte a Dodwello annotantur.

3. In intervallo ab Auguſto ad Diocletianum, omnes variantes Lectiones recte a Dodwello annotantur. excepto quod in Codice. Lugd. legatur (a) Δομιλιανυ. (b) ΝΕΡΩΝΟΣ.

4. In intervallo a Diocletiano ad Michaelem cum Filio, omnes variantes Lectiones recte a Dodwello annotantur: excepto quod in Codice Lugdunenſi legatur, (a) ΟΥΑΛΕΝΤΙΝΙΑΝΟΥ. Ι. ΧϚΖ, non ΨϚΖ ut habet Dodwellus. (b) ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΤΟΥ ΚΑΙ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ. (c) ΚΩΝΣΤΑΝ. ΤΟΥ ΕΙΣ ΤΙΝ ΔΥΣΙΝ ΚΑΙ ΗΡΑΚΛ. (d) ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ. ΚΖ. ΛϚΑ. (e) ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΥ ΤΟ β. ϛ. ΑΛΔ. (f) ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ. ΛΔ. ΑϚΗ. quia ΑΡΤΑΒΑΣΣΟΣ omittitur, & ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ anni augentur.

L.

Faſtorum Conſularium diſtinctior deſcriptio.

Faſtos Conſulares, qui in Codice Lugdunenſi inter primum & ſecundum Canonem Regum interponuntur, ex hoc Codice (ut jam monuimus)

mus) exſcripſit *Iſaacus Voſſius*, omiſſis tamen annotationibus marginalibus, & de ſuo, unicuique Conſulum pari præpoſuit annos Æræ Chriſti vulgaris.

Hoc Apographum Voſſianum edidit Henr. Dodwellus, in Appendice ad Diſſertationes ſuas Cyprianicas, cum hac inſcriptione: *Faſti alii ex Apographo Voſſiano, illi Regum Canoni ſubjuncti, quem Heraclii Imperatoris fuiſſe ſuſpicati ſumus, ut & hos putemus ejusdem eſſe Heraclii. Sunt autem mutili pariter, atque ordine perturbatiſſimo. Nulli autem in Apographo accentus, nulli ſpiritus, ſed nec etiam plerunque dipthongi.*

Hos Faſtos diſtinctius conſiderare & variis obſervationibus illuſtrare conſtitui.

1° Dodwellus recte dicit *hos Faſtos eſſe mutilos*. Deſunt enim Conſulum paria XXXII, ab anno Chriſti 306 incluſive, ad annum Chriſti 337 incluſive. Sed notandum, quod in Codice MS° eo in loco integrum folium ſit exſectum, ut ex indiciis apparet.

2° Addit Dodwellus, *quod hi Faſti etiam ſint ordine perturbatiſſimo*: quod imprimis reſpicit illam lacunam, quæ in medio Faſtorum occurrit ab anno Chriſti 458—517. Quæ lacuna deinceps poſt annum Chriſti 584 alieno loco ſuppletur. Sed notandum, quod in Codice MS°, quum religaretur, integrum folium perverſa foliorum complicatione ſuo loco motum, & alieno loco conſutum ſit.

3° Ad *ordinem horum Faſtorum perturbatum* forte etiam refert Dodwellus, quod diverſis in locis, par Conſulum omittatur; nempe Conſules anni Chriſti 248, 255, 424, & 459. omittuntur in Faſtis. Sed in Annotationibus marginalibus in Codice MS° hi defectus ſupplentur. Nam (a) quod attinet Conſules anni Chriſti 248 omiſſos, juxta Codicis notam marginalem inſerendi ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΤΟ Γ. ΚΑΙ ΦΙΛΙΠΠΟΣ ΤΟ Β. Quod miror Voſſium non animadvertiſſe, præſertim cum Notam relativam -)(- Conſulibus anni Chriſti 247 adpoſuerit, ut in Dodwelli editione videre licet. (b) Quod attinet Conſules anni Chriſti 255 omiſſos, qui ſunt *Valerianus Aug. III, & Gallienus Aug II.* pro iis in Codice MS° cellula unica vacua relicta eſt. (c) Quod attinet Conſules anni Chriſti 424 omiſſos, juxta Codicis notam marginalem, inſerendum ΒΙΚΤΟΡΟΣ ΜΟΝΟΥ. μμ. ψμz. additurque monitum. (d) Quod Conſules anni Chriſti 459 omiſſos attinet, juxta Codicis notam marginalem, inſerendum ΠΑΤΡΙΚΙΟΥ ΜΟΝΟΥ. ροϛ. ψπα. additurque monitum.

4° Quod in editione Dodwelli, inde ab anno Chriſti 338° uſque ad annum Chriſti 359um, nomina quidem Conſulum recenſeantur, anni au-

tem a Diocletiano, & a Philippo omittantur: hoc inde eſt, quia in Codice MS°, in pagina prima folii 56 (quod folium exſectum proxime inſequitur) utriusque Epochæ, imprimis a Diocletiano, numeri detriti vel deleti erant.

5° Fateor Librarium, qui hos Faſtos Conſulares olim deſcripſit, negligentiorem fuiſſe in annis Imperatorum. & ab Auguſto per decennia, & deinceps in annis a Diocletiano, & a Philippo annotandis, & tam inter ſe, quam cum Conſulatibus componendis: accedit, quod quatuor Conſulatuum diverſis in locis omiſſio, & eorundem ſuis locis reſtitutio, dictorum annorum ſeriem admodum perturbat: ſed ad eam annorum ſeriem perturbatam iterum in ordinem debitum redigendam, plurimæ annotationes marginales inſerviunt. Unde horum Faſtorum, quo ad Æras ſeu Epochas, reſtitutio non adeo erit difficilis.

6° Quod primam horum Faſtorum partem attinet, quæ ad Diocletianum progreditur. Ea habet duplicem Æram, quarum una procedit per ſingulorum Imperatorum annos, altera eſt annorum ab Auguſto, qui per decennia annotantur. Æra, quæ per ſingulorum Imperatorum annos procedit, incipit ab anno 1° Imperatoris Alexandri, Mammææ Filii, & deſinit in anno 2° Cari & Carini. In Regum Canone autem ab anno Alexandri 1° uſque in annum Cari & Carini 2um, colliguntur anni 63. Sed in his Faſtis annotantur tantum Conſulum paria 61. Unde patet duo Conſulum paria in his Faſtis eſſe omiſſa, in hoc intervallo. In recenſione annorum imperii ſingulorum Imperatorum in his Faſtis peccatur. (a) In Philippi Imperatoris annis, ubi imperii ejus annus ε̄ & ζ̄ omittitur: legitur quidem in Codicis margine interiore, Φιλιππυ. ς̄. quo imperii anni 6 Philippo tribuuntur, ſed male, cum Regum Canon in hoc Codice ei aſſignet annos 7, quod etiam Nota in margine exteriori oſtendit: unde etiam in Canone & in Faſtis Gallo tribuuntur anni tantum 2. (b) In Gallieni Imperatoris annis, ubi imperii ejus annus ζ̄ omittitur, & cellula vacua relinquitur: imperii vero ejus annus ς̄ bis ponitur, quod in quantitate annorum imperii ejus, qui ſunt 15, eodem quidem redit, ſed in eorum cum Conſulatibus compoſitione, perturbationem infert. Imperii Alexandri Mammææ Filii annus 1us eſt in hujus Codicis Canone Regum annus a Philippo 545us, ſeu, ablatis annis 294, annus ab Auguſto 251us, adeoque primis Conſulibus (qui anno Chriſti 222° Kal. Jan. Conſulatum inierunt) male apponitur annus ab Auguſto 252us. & per conſequens annus ab Auguſto 260us cum Imperii Alexandri anno, non θ̄, ſed ῑ componendus: & annus ab Auguſto 270us cum imperii Gordiani anno, non ζ̄, ſed δ̄ componendus, & cum Conſulatu ΓΟΡΔΙΑΝΟΥ β̄ ΚΑΙ ΠΟΜ-

ΠΟΜΠΙΛΙΑΝΟΥ, qui Kal. Jan. anni Chriſti 241. Conſulatum inierunt. Inter annum ab Auguſto 270 & 280, Philippo dandi anni imperii 7, & ad imperii Philippi annum ϛ, qui cum anno ab Auguſto 277° componitur, inſerendus Conſulatus ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΤΟ Γ. ΚΑΙ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΤΟ Β, qui Kal. Jan. anni Chriſti 248 Conſulatum inierunt. & annus ab Auguſto 280us cum imperii Decii anno 1° recte componitur, ſed cum Conſulatu ΔΕΚΙΟΥ ΤΟ Γ, ΚΑΙ ΔΕΚΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΤΟ Β componendus, qui Kal. Jan. anni Chriſti 251 Conſulatum inierunt. Inter annum ab Auguſto 280 & 290, ad imperii Valeriani annum β, qui cum anno ab Auguſto 284° componitur, inſerendus *Conſulatus Valeriani Aug. III*, & *Gallieni Aug. II*, qui Kal. Jan. anni Chriſti 255 Conſulatum inierunt. Et annus ab Auguſto 290us cum imperii Valeriani anno 8°, & cum Conſulatu Γαλιηνου το Δ, και Ουαλεριανου, qui Kal. Jan. anni Chriſti 261 Conſulatum inierunt, recte componitur. Sic etiam annus ab Auguſto 300us cum Imperii Aurilii anno 2° recte componitur. Verum annus ab Auguſto 310us cum imperii Probi anno, non ϛ, ſed ζ componendus eſt. Annus ab Auguſto 313us; quo jam labente Conſulatum a ſequentibus Kalendis Januariis anni Chriſti 284 inierunt ΚΑΡΙΝΟΣ ΤΟ Β, ΚΑΙ ΝΟΥΜΕΡΙΑΝΟΣ, recte cum his Conſulibus componitur. Quod patet, quia annus ſequens, Diocletiani 1us; cujus Thoth cadit in anno Chriſti 284°, componitur cum *Conſulatu Diocletiani II. & Ariſtobuli*, qui a ſequentibus Kalendis Januariis anni Chriſti 285 Conſulatum inierunt.

7° Quod autem alteram horum Faſtorum partem attinet, quæ a Diocletiano incipiens uſque ad Faſtorum finem prorogatur. Hujus partis reſtitutio facilior eſt, quia hic duæ Epochæ, anni ſcilicet a Diocletiano & anni a Philippo in continuo concurſu prorogantur: ne quid dicam de Æra Indictionum, quæ deinceps in progreſſu adjecta eſt. (a) Anni a Diocletiano, & anni a Philippo in hujus partis primis XXI annis recte ſe habent: deinde occurrit lacuna Conſulatuum XXXII, porro Conſulatus XXII, non additis Epocharum annis, decurrunt. Annus itaque, qui tunc ſequitur, a Diocletiano ογ, & a Philippo χπγ. recte ſe habent. Anni autem a Philippo deinceps recte procedunt. Verum in annis a Diocletiano ſtatim annus οζ omittitur. Sed deinde annus ρια bis numeratur; atque hoc modo annus a Diocletiano ρια & annus a Philippo ψκα, & ſequentes iterum concurrunt, & in ſuo mutuo concurſu recte procedunt. (b) Ad Indictionem ζ, Conſulatus ΒΙΚΤΩΡΟΣ ΜΟΝΟΥ. ad annum a Diocletiano ρμ, & ad annum a Philippo ψμζ, inſerendus eſt, ut Codicis Nota marginalis clare indicat. Cum autem in Faſtorum

rum Textu hic Conſulatus omittatur, propterea hic anni utrique, tam a Diocletiano, quam a Philippo, uno anno, in relatione ad Conſulatus, ad poſteriora protruduntur. (c) Ad Indictionem ιβ Conſulatus ΠΑΤΡΙΚΙΟΥ ΜΟΝΟΥ. ad annum a Diocletiano ρμι (lege, ρμδ) & ad annum a Philippo ψπα, inſerendus eſt, ut Codicis Nota marginalis clare indicat. Cum autem in Faſtorum Textu hic Conſulatus omittatur, propterea hic anni utrique, tam a Diocletiano, quam a Philippo, iterum uno anno, in relatione ad Conſulatus, ad poſteriora protruduntur. (d) Annus a Diocletiano τκγ & τκδ, nec non annus a Philippo ϡλ & ϡλα omittuntur. Horum autem duorum annorum omiſſione compenſantur duo illi anni, qui propter duos ſupradictos Conſulatus omiſſos, in utraque Epocha ad poſteriora protruſi erant. Atque hoc modo deinceps, annus a Diocletiano τκε, & annus a Philippo ϡλϛ, in relatione ad Conſulatus recte procedunt. Et ad Indictionem ιδ, Conſulatus ΗΡΑΚΛΕΙΟΥ ΑΥΓ ΜΟΝΟΥ, ad annum a Diocletiano τκζ & ad annum a Philippo ϡλδ, Chriſti autem 611, recte annotatur. (e) Annus a Diocletiano τν, & a Philippo ϡν bis notatur, & duplici huic anno annotatur primo ΑΝΥΠΑΤΑ, deinde ΑΣΤΕΡΙΟΥ ΚΑΙ ΠΡΕΣΙΔΙΟΥ, ſed ad ΑΝΥΠΑΤΑ nulla Indictio apponitur, unde patet illum annum a Diocletiano, & a Philippo primo poſitum, & illud ανυπατον eſſe delendum. (f) Inter annos a Diocletiano τλβ & a Philippo ϡλθ, & annos a Diocletiano τλγ, & a Philippo ϡμ. intercurrunt duo ανυπατα, quæ ſunt delenda, ut non tantum ex Indictione patet, ſed etiam ex eo, quod anni utriusque Epochæ iis non adſcribantur; & quod anni Epochæ a Diocletiano iis jam adſcripti deleti ſint, ut in Codice videre licet. (g) *Indictiones* autem adjectæ ſunt, ut perturbatio, quæ in annis a Diocletiano, & a Philippo occurrit, earum ope tolleretur. Unde etiam iis in locis, ubi duo illi ſupradicti Conſulatus omiſſi ſunt inſerendi, unus illius Indictionis annus quaſi tranſilitur & vacuus relinquitur. Sic enim ad anni Chriſti 423 Conſules notatur Indictio ϛ. ad anni autem Chriſti 425 Conſules notatur Indictio η, (non ζ, ια, ut male editum eſt) & vacua relinquitur Indictio ζ pro Conſulatu anni Chriſti 424 inſerendo. Ita etiam ad anni Chriſti 458 Conſules notatur Indictio ια, (non ιβ, ut male editum eſt, quod etiam ex anni Chriſti 457 Conſulibus patet, quibus adſcribitur Indictio ι) ad anni autem Chriſti 460 Conſules notatur Indictio ιγ. & vacua relinquitur Indictio ιβ pro Conſulatu anni Chriſti 459 inſerendo. (h) Ad eundem finem etiam inſerviunt plures in Codice MS° annotationes marginales, quas ſingulas recenſere longum foret, & ſupra dicta ſufficere, meo judicio, poterunt.

8° In

8° In Faſtorum prima pagina, in inferiori margine, legitur hæc annotatio ſatis ampla: ΤΟΥ ΥΠΑΤΑΡΙΟΥ ΤΟΥΤΟΥ ΠΡΟΗΓΟΥΜΕΝΟΥΣ ΕΧΗΣ ΥΠΑΤΟΥΣ ΕΝ ΤΩ ΚΟΔΙΚΙ ΤΩΝ ΝΟΜΩΝ ΡΙΕ ΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ ΕΚΙ ΔΕ ΣΥΝΑΓΟΝΤΑΙ ΜΕΧΡΙ Β ΕΠΙΝΕΜΕΣΕΩΣ ΚΑΙ ΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΝ ΤΙ ΒΑΣΙΛΕΙΑ ΗΡΑΚΛΙΟΥ ΧΡΟΝΟΙ ΑΝΔ ΚΑΙ ΕΝΤΑΥΘΑ ΔΕ ΜΕΤΑ ΤΩΝ ΛΥΠΩΝ ΧΡΟΝΟΙ ΑΝΔ, ΚΑΙ ΣΥΝΑΔΟΥΣΙΝ ΟΥΤΟΙ ΤΑ ΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΤΗ ΡΙΕ ΑΠΟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΩΣ ΤΗΣ ΥΠΑΤΙΑΣ ΑΝΤΟΝΙΝΟΥ ΤΟ Δ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΕΤΗ ΦΜΕ, ΤΑ ΕΦΕΞΗΣ ΔΕ ΔΙΑ ΤΩΝ ΕΝΤΑΥΘΑ ΥΠΑΤΩΝ ΕΤΗ ΤϞΔ, ΟΜΟΥ ΑΝΔ ΣΥΝΑΞΕΙΣ. Hæc plene non capio: Sed hoc clarum eſt, tres illas annorum ſummas, 115 ſcilicet, 545, & 394, ſimul colligere annos 1054. Certum quoque ex Faſtis & Canone eſt, quod a Philippo uſque ad Conſulatum Antonini IV & Alexandri, ſeu ad Imperii Alexandri Imperatoris annum 1um incluſive, colligantur anni 545. Si jam his addantur ex ſequentibus Conſulatibus collecti anni 394, fient a Philippo anni 939. Sed annus a Philippo 939us in Faſtis ſibi adpoſitam habet Indictionem, non 2^am^, ſed 4^am^, adeoque hic videtur Biennii error. Cur autem ante Epocham Philippi numeret tantum Conſulatus 115, adeoque Conſules deducat ab anno Nabonaſſari 310, cum Conſulum initium longe citius inceperit: non capio. Forte in *Codice Legum* Conſulatus non altius annotabantur.

9° In hujus Codicis utroque Canone, poſt annum a Philippo 544um, qui eſt annus ab Auguſto 250us, recenſentur hi Imperatores, cum his Imperii annis:

		544.	250.
Alexander Mammææ Filius annis	13	557.	263.
Maximinus	3.	560.	266.
Gordianus	6.	566.	272.
Philippus	7.	573.	279.
Decius	1.	574.	280.
Gallus & Voluſianus . . .	2.	576.	282.
Valerianus & Gallienus	15.	591.	297.
Claudius	1.	592.	298.
Aurelius	6.	598.	304.
Probus	7.	605.	311.
Carus & Carinus	2.	607.	313.

In Faſtis, in annotationibus marginalibus recenſentur iidem Imperatores, & quorundam Imperii anni exprimuntur, & nullum dubium eſt, quin ſingulorum Imperii anni in columna prima recenſeantur. *Alexandro* tribuuntur in margine anni 13, & totidem recenſentur in columna prima. *Maximino* tribuuntur anni 3, & totidem recenſentur. *Gordiano* tribuuntur anni 6, & totidem recenſentur. *Philippo* autem tribuuntur in margine anni 6, ſed recenſentur in columna prima anni revera tantum 5, utrumque contra Canonem, in quo Philippo adſcribuntur anni 7. Reliqui Imperatores nominantur quidem in margine, ſed Imperii eorum anni non exprimuntur, verùm in columna prima ſingulorum Imperii anni plane conveniunt cum eorum Imperii annis, qui ſingulis in Canone aſſignantur. *Gallo* enim in Canone & in Faſtis aſſignantur tantum anni 2. In Faſtis quidem per Librarii errorem annus Galli 3us exaratus erat, ſed per hujus erroris correctionem, ei ſubſtitutus eſt Valeriani & Gallieni annus 1us, adeoque in Dodwelli editione ad anni Chriſti 253 Conſules non recte notatur in columna prima χκϛ, quo annus Galli 3us, & Valeriani & Gallieni annus 1us cum uno eodemque Conſulatu conjungitur, quod incongruum eſt. *Valeriano autem & Gallieno* aſſignantur in Faſtis in columna prima anni revera tantum 15, convenienter Canoni. Sed, quod notandum, in Faſtis, in margine, notatur, ΔΕΚΙΟΥ σπ̄, quo indicatur, quod Imperii Decii annus unicus ſit annus ab Auguſto 280us: hinc enim quam clariſſime patet Philippo dandos eſſe Imperii annos 7, & Valeriano & Gallieno non plures quam 15.

10° Circa Valeriani & Gallieni annum 1um occurrit in exteriori margine hæc annotatio: ΤΩΝ ΗΜΕΡ. Ϛ. ΚΕΕΤΗΡΙΔ. ΦΟϚ. ΕΤΟΣ ΑΠΛΟΥΝ Ᾱ. Quo indicari videtur, Valeriani & Gallieni annum 1um eſſe annum a Philippo 577, qui eſt annus ab Auguſto 283. Quod ex Tabula εἰκοσιπενταετηρίδων hujus Codicis, quæ a Philippi Aridæi anno 1° deducitur, patere poteſt: ſi enim annus ſimplex I addatur εἰκοσιπενταετηρίδι 576, orietur annus a Philippo 577us. Præterea ad ejusdem Valeriani & Gallieni annum, qui notatur 4us, ſed revera eſt 3us, occurrit in exteriori margine hæc annotatio: ἡμερ. β̄ Εμβολ. ϑ̄. κεετηρίδ. ετη απλα γ̄. Quo, ut videtur, indicatur, Valeriani & Gallieni annum 3um eſſe annum a Philippo 579um, ut ex eadem Tabula patere poteſt. Si enim anni ſimplices 3 addantur ad Icoſipentaëterides 576, orietur annus a Philippo 579us, qui eſt annus ab Auguſto 285us. Ex quibus annotationibus ea, quæ ſupra N° 9° dicta ſunt, confirmantur.

11° In Faſtis, in exteriori margine, ad Imperii Cari & Carini annum 2um,

2um, ab Auguſto revera 313um annotatur: ΤΑ ΑΠΟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΩΣ ΔΙΟΚΛΙΤΙΑΝΟΥ χζ. Mox in cellula ſeparata adnotatur: ΤΑ ΑΠΟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΜΕΧΡΙ ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟΥ ΤΟ Β ΕΤΗ χζ. quibus verbis indicatur, quod ab Epocha Philippi uſque ad Conſulatum Diocletiani II, quem cum Ariſtobulo geſſit, excluſive, ſint anni elapſi 607. Statim enim hic Conſulatus, Imperii Diocletiani annus 1us, & a Philippo annus 608us componuntur. Deinde iterum in exteriori margine, ad Imperii Diocletiani annum 1um annotatur: Α ΕΝΘΕΝ ΟΙ ΕΠΙΣΥΝΑΓΟΜΕΝΟΙ ΕΝΙΑΥΤΟΙ ΑΠΟ ΔΙΟΚΛΙΤΙΑΝΟΥ ΠΑΡΕΤΕΘΗΣΑΝ ΕΣΩΘΕΝ. hoc eſt, *exinde* (a 1° ſcilicet Diocletiani anno) *collecti anni a Diocletiano appoſiti ſunt in* (columna) *interiore*.

12° Ad Faſtorum finem, in exteriori margine notatur: ΑΠΟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΩΣ ΤΗΣ ς ΙΝΔΙΚΤΟΣ ΤΣ ΚΟΣΜΙ ΚΙΝΕΣΕ. . . . . Ω ΤΗΣ ς ΕΤΗ ΑΡΚΑ. Quæ propter literas in margine abſciſſas & detritas plene legere non potui. Hoc videtur indicari, quod a Philippo uſque ad VI^{am} Indictionem . . . . . . ſint anni 1121.

13° Ibidem occurrit etiam alia annotatio, quam ſic lego: ΑΠΟ ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΕΩΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΚΑΙ ΕΙΡΗΝΗΣ ΙΝΔΙΚΤΟΣ Η ΕΤΗ ΑΡΗ . . . ΟΚΤΟΒΡΙΟΥ ΗΜΕΡΑ, ΩΡΑ ΑΠΟ ΑΝΑΤΟΛΗΣ Θ, ΗΛΙΟΣ . . . . . Quo videtur indicari, quod a Philippo uſque ad Conſtantini & Irenes Indictionem VIII. ſint anni 1108. Vide hujus Codicis Canonem 2um.

14° Ibidem, in inferiori margine, occurrit annotatio ſatis ampla, quam tamen ob plures abbreviaturas plene legere, & per omnia intelligere non potui. Hoc tamen in ea ſatis clare indicari videtur, (a) quod Epocham Computi aſtronomici a Philippo Aridæo deducant, ΑΦ' ΟΥ (ΦΙΛΙΠΠΟΥ) inquit. ΤΑΣ ΚΕΕΤΗΡΙΔΑΣ ΚΑΙ ΤΑ ΑΠΛΑ ΕΤΗ ΛΑΜΒΑΝΟΜΕΝ. (b) Quod etiam annos, ab anno 5to Auguſti uſque ad annum datum inquirant, ut ſcilicet annum fixum datum reducant ad annum Ægyptiacum vagum, ut in Theonis Alexandrini Faſtis videre licet: ΟΜΟΥ ΔΕ (inquit) ΕΤΟΣ ΑΠΟ Ε ΕΤΟΥΣ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ.

15° Ex iis, quæ de his Faſtis ſupra vidimus, patet hos Faſtos proprie continere Κανόνιον ſeu Tabulam, quæ Aſtronomorum uſibus in Computo inſervit. Unde etiam in Faſtorum parte poſtrema ad Epocham a Philippo, & Epocham a Diocletiano accedit tertia Epocha ab Auguſto.

M.

De Icoſipentaëteridum Tabula, cum annexis, pro Sole & Luna, & pro quinque Planetis.

1mo Quod *Icoſipentaëteridum Tabulam*, pro Sole & Luna attinet, quæ cum Tabulis annexis reperitur folio 89.a. uſque ad folium 91.b. ut ſupra Lit. H. N° 11° vidimus.

Hæc Tabula proprie habet ſex columnas, cum ſuis Titulis, quorum 1^a^ inſcribitur ΕΙΚΟΣΙΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔ. habetque (ut & reliquæ) verſus XXX, quorum primus verſus habet annum a Philippo Aridæo α (1). Secundus verſus annum a Philippo Aridæo κϛ (26). Tertius verſus annum a Philippo Aridæo να (51) & ſic porro, per continuam viginti quinque annorum additionem, progrediuntur uſque ad verſum trigeſimum, qui habet annum a Philippo Aridæo ψκϛ (726) qui eſt ab Auguſto 432, & a Diocletiano 119. 2^a^ Columna inſcribitur ΗΛΙΟΥ ΜΗΚΟΣ ΑΠΟΓΕΙΟΥ: habetque in primo verſu ρξβ : ι, hoc eſt, gradus 162, Sexageſ. 10. Quod convenit cum iis, quæ in Libello de Hypotheſibus Planetarum p. 14 dicit Ptolemæus: *Anno igitur primo a morte Alexandri Conditoris, primo die Thoth ſecundum Ægyptios in meridie Alexandriæ, Sol ab eccentrici Apogæo in Mundi conſequentia diſtabat Part.* 162, & *Sexageſ.* 10. In ſecundo autem verſu habet ρνϛ : ε. hoc eſt, gradus 156, Sexageſ. 5. 3^a^ Columna inſcribitur, ΣΕΛΗΝΗΣ ΕΚΚΕΝΤΡΟΥ ΑΠΟΓΕΙΟΥ, habetque in primo verſu πβ : μ. 4^a^ Columna inſcribitur, ΣΕΛΗΝΗΣ ΚΕΝΤΡΟΥ ΕΠΙΚΥΚΛΟΥ, habetque in primo verſu, σξ : μ. 5^a^ Columna inſcribitur, ΣΕΛΗΝΗΣ ΚΕΝΤΡΟΥ ΑΥΤΗΣ, habetque in primo verſu πε : ιζ, ſi recte video. 6^a^ Columna inſcribitur, ΣΕΛΗΝΗΣ ΒΟΡΕΙΟΥ ΠΕΡΑΤΑ, habetque in primo verſu σλ : —. detritis Sexageſimis. Hæc quæ de Luna in quatuor poſterioribus columnis, in primis verſibus notantur, conveniunt cum iis, quæ in Libello de Hypotheſibus Planetarum p. 19 & 20 dicit Ptolemæus; *Primo autem* (inquit) *anno a morte Alexandri, primo die Thoth ſecundum Ægyptios, in meridie Alexandriæ, borealis obliqui circuli limes ab Æquinoctio verno in Mundi antecedentia diſtabat Part.* 230, & *Sexageſ.* 20. *Apogæum vero eccentrici a boreali limite in Mundi antecedentia Part.* 212. & *Sexageſ.* 20. *Centrum autem Epicycli ab Apogæo eccentricitatis in conſequentia Mundi Part* 260, & *Sexageſ.* 40. *Lunæ denique centrum ab Apogæo Epicycli in Mundi antecedentia Part.* 85. & *Sexageſ.* 17.

Diſ-

Differentia tantum occurrit inter ea, quæ in Tabulæ columna 3ª, in verſu primo notantur, & ea, quæ dicit Ptolemæus; in Tabula enim notatur, ΠΒ : Μ. Ptolemæus vero dicit, σιβ : ϰ. quod longe differt; videtur error in numeris apud Ptolemæum.

Hæc Tabula differt a Tabula *Icoſipentaëteridum*, quæ *in Ptolemæi Almageſto* in Libri VI initio proponitur. (a) Non tantum ratione Epochæ, quæ apud Ptolemæum in Almageſto a Nabonaſſaro, in hac autem hujus Codicis Tabula, juxta Ptolemæi principia, in Libello de Hypotheſibus Planetarum poſita, a Philippo ſeu a morte Alexandri deducitur. (b) Sed etiam ratione ipſius conſtitutionis utriusque Tabulæ. *Tabula* enim *Icoſipentaëteridum apud Ptolemæum in Almageſto*, proprie loquendo *eſt Tabula Noviluniorum & Pleniluniorum*, in menſem Thoth incurrentium, eamque ob cauſam hæc Tabula in duas dividitur, quarum prima Novilunia, altera Plenilunia exhibet, & utriusque columna 2ª habet menſis Thoth dies, & diei partes, in quas illa Novilunia & Plenilunia incidunt. *Illa* vero *Icoſipentaëteridum hujus Codicis Tabula* exhibet (ſi quid video) *Epocham Solis & Lunæ*, ſeu locum quem in cœlo Sol & Luna obtinent in 1°, 26°, 51° &c. anno Philippi Aridæi, in primo die Thoth ſecundum Ægyptios, in meridie Alexandriæ, juxta Ptolemæi Libellum de Hypotheſibus Planetarum: unde etiam hic non duplex, ſed unica tantum Tabula reperitur, & illa columna, quæ menſis Thoth dies & diei partes continet, ab hac Tabula plane abeſt.

Hæc antequam hunc Codicem oculis uſurpare mihi licuit, non animadverteram: unde ea, quæ in ſuperioribus, ex conjectura, palpando, ut in re ignota fieri ſolet, dicta ſunt, hinc emendari velim.

IIdo. Quod *Icoſipentaëteridum Tabulam*, pro reliquis quinque Planetis attinet, quæ cum Tabulis annexis, reperitur folio 106. a. uſque ad folium 110. b. ut ſupra Lit. H. N° 16° vidimus.

Dolendum, quod hæc Icoſipentaëteridum Tabula demum incipiat ab anno a Philippo ψνα. 751. omiſſa hujus Tabulæ parte priore, quæ ab anno a Philippo 1° incipit, & ad annum 726 prorogatur. Hinc enim eſt, quod experiri non liceat, an quinque Planetarum Epochæ, æque ac Solis & Lunæ, in primo anno Philippi Aridæi, ſeu a morte Alexandri poſitæ ſint convenienter iis, quæ in Libello de Hypotheſibus Planetarum dicit Ptolemæus: de quo tamen nullus dubito.

N.

De Reliquis Tabulis Aſtronomicis proprie dictis.

Has hujus Codicis Tabulas Aſtronomicas proprie dictas, currente oculo, cum Tabulis in Ptolemæi Almageſto occurrentibus contuli, & nullam hujus Codicis Tabulam Aſtronomicam reppcri, quæ cum ejuſdem generis in Ptolemæi Almageſto Tabula exacte & per omnia conveniat. In quo autem differant, & quænam hujus differentiæ cauſa & origo ſit, inquirere nimis longum & mihi nimis difficile foret.

O.

De hujus Codicis ætate ſeu tempore, quo ſcriptus eſt.

Hic Codex, & imprimis πρόχειροι Κανόνες, ſeu Tabulæ Aſtronomicæ, tam proprie dictæ, quam Aſtronomorum uſibus inſervientes, ex antiqua ſcriptura, literis quadratis exaratæ, circa Seculi a Chriſto nato noni initium videntur conſcriptæ. Literarum enim figura, & modus ſcribendi hanc ætatem ſapit. Præterea Regum Canon 2us videtur ab eadem manu antiqua exaratus uſque ad Michaëlem cum Filio, cujus imperium terminatur in anno a Philippo αρλϛ, 1136, qui eſt ab Auguſto annus 842, a Diocletiano autem annus 529, qui init labente anno a Chriſti nativitate 812.

P.

Paragraphi XXVIImi concluſio.

Hucuſque, hoc §° 27, pro viribus noſtris, *Notitiam* tradidimus *Codicis MS*ti *Bibliothecæ Lugduno-Batavæ*, & eorum, quæ hoc *Codice* continentur, *Commentarii* ſcilicet *Theonis Alexandrini in expeditos Canones*; ut & *Voluminis ipſorum expeditorum Canonum*, qui ſpecifice τῶν προχείρων Κανόνων nomine veniunt; atque imprimis *Canonis Regum Aſtronomici*, qui inter ipſos expeditos Canones comprehenditur. Vide etiam ſequentes §os 28—32.

Si autem *Viris Doctis*, quibus *Bibliothecas Angliæ & Hiberniæ*, *Regiam Pariſienſem*, *Coiſlinianam*, *Cæſaream Vindobonenſem*, & *Laurentianam Florentiæ* perluſtrare datum eſt, placuerit, ſimilem eorum, qui in illis reperiuntur Bibliothecis, *Codicum* tradere *Notitiam*, Reipublicæ literariæ non ingratam neque inutilem præſtabunt operam. Confer ſupra Obſervationes noſtras in Theonis Faſtos, ejusque fragmentum in exped. Canones, §° 12. & Diſſertationem de Canone Regum Aſtronomico §° 3 & 4.

XXVIII.

XXVIII.

Canon Primus.

ЄTH BACIΛЄΩN			ЄTH CYNAΓOMЄN.	
NABONAZAPOY	IΔ	IΔ	14	14.
NAΔIOY	B	Iς	2.	16
XINZHPOC K, ΠOPOY	Є	KA	5	21.
IOYΓAIOY	Є	Kς	5.	26
MAPΔOKЄMΠAΔOY	IB	ΛH	12.	38
APKAIANOY.	Є	MΓ	5	43
ABACIΛЄYTOI ΠPOTOY	B	MЄ	2	45.
BHΛIBOY	Γ	MH	3	48.
AΠPAANAΔIOY	ς	NΔ	6	54.
PHΓЄBHΛOY	A	NЄ	1.	55
MЄCHCCHMOPΔAKOY	Δ	NΘ	4.	59.
ABACIΛЄYTOY B	H	ΞZ	8.	67.
ACAPIΔINOY	IΓ	Π	13	80
CAOCΔOYXINOY	K	P	20.	100.
ICINIΛAΔANOY	KB	PKB	22.	122.
NABOΠOΛΛACAPOY	KA	PMΓ	21	143
NABOKOΛACAPOY.	MΓ	PΠς	43	186.
IΛΛOAPOYΔAMOY	B	PΠH	2.	188.
NHPIKACOΛACCAPY	Δ	PϘB	4	192.
NABONAΔIOY	IZ	CΘ	7	200
ΠЄPCΩN BACIΛЄIC.				
KYPOY	Θ	CIH	9	218.
KAMBYCOY	H	CKς	8.	226.
ΔAP OY ΠPOTOY.	Λς	CΞB.	36	262
ΞЄPΞOY	KA	CΠΓ	21.	283.
APTAPΞЄPΞOY ΠPOTOY	MA	TKΔ	41.	324
ΔAPIOY B	IΘ	TMΓ	19.	343
APTAPΞЄPΞOY B	Mς	TΠΘ	46	389.
ΩXOY	KA	YI	2.	410
APΩΓOY	B	YIB	2.	412.
ΔAPIOY Γ	Δ	YIς	4	416.
AΛЄΞANΔPOY MAKЄΔONI	H	YKΔ	8	424.

ETH

ЄΤΗ ΒΑϹΙΛЄΩΝ ΤΩΝ ΜЄΤΑ ΤΗΝ ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ ΤΟΥ ΒΑϹΙΛЄΩϹ ΤЄΛЄΥΤΗΝ ϗ ΚΑΤΤΑΙΔЄΙϹ ΜЄΤЄΓΡΑΦΗ ΑϹΦΑΛΩϹ ΜЄΤΑ ΤΟΥϹ ΥΠΑΤΟΥϹ.

	ΒΑϹΙΛЄΙϹ	ЄΤΗ	ЄΠΙϹΥΝΑΓΟΜ.		
✱	ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΤΟΥ ΜЄΤΑ ΑΛЄΞΑΝΔΡ. ΤΟΝ ΚΤΙϹΤΙΝ	Ζ	Ζ	7.	7.
	ΑΛЄΞΑΝΔΡΟϹ ЄΤЄΡΟϹ	ΙΒ	ΙΘ	12.	19.
	ΠΤΟΛЄΜΑΙΟϹ ΛΑΓΟΩϹ	Κ	ΛΘ	20.	39.
	ΠΤΟΛЄΜΑΙΟϹ ΦΙΛΑΔЄΛΦΙ	ΛΗ	ΟΖ	38.	77.
	ЄΥЄΡΓЄΤΙϹ Α̅	ΚЄ	ΡΒ	25.	102.
	ΦΙΛΟΠΑΤΟΡ	ΙΖ	ΡΙΘ	17.	119.
	ЄΠΙΦΑΝΙϹ	ΚΔ	ΡΜΓ	24.	143.
	ΦΙΛΟΜΗΤΟΡ	ΛЄ	ΡΟΗ	35.	178.
	ЄΥЄΡΓЄΤΙϹ Β̅	ΚΘ	ϹΖ	29.	207.
	ϹΩΤΗΡ	Λϛ	ϹΜΓ	36.	243.
	ΝЄΟϹ ΔΙΩΝΥϹΟϹ	ΚΘ	ϹΟΒ	29	272.
	ΚΛЄΟΠΑΤΡΑ Ⴟ *	ΚΒ	ϹϙΔ	22	294.
	ΒΑϹΙΛЄΙϹ ΡΩΜΑΙΩΝ				
✱	ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ	ΜΓ	ΤΛΖ	43	337.
	ΤΙΒЄΡΙΟϹ	ΚΒ	ΤΝΘ	22.	359.
	ΓΑΙΟϹ ΙΟΥΛΙΟϹ ΚЄϹΑΡ	Δ	ΤΞΓ	4.	363.
	ΚΛΑΥΔΙΟϹ	ΙΔ	ΤΟΖ	4	377.
	ΝЄΡΩΝ	Δ	ΤϙΑ	14	391.
	ΟΥЄϹΠΑϹΙΑΝΟϹ	Ι	ΥΑ	10.	401.
	ΤΙΤΟϹ	Γ	ΥΔ	3	404.
	ΔΟΜΗΤΙΑΝΟϹ	ΙЄ	ΥΙΘ	15	419.
	ΝЄΡΟΥΑϹ	Α	ΥΚ	1.	420.
	ΤΡΑΙΑΝΟϹ	ΙΘ	ΥΛΘ	19.	439
	ΑΔΡΙΑΝΟϹ	ΚΑ	ΥΞ	21.	460.
	ΑΙΛΙΟϹ ΑΝΤΟΝΙΝΟϹ ὁ εὐσεβής	ΚΓ	ΥΠΓ	23.	483.

* ΑΠΟ ΔЄ ΝΑΒΟΝΟϹΟΡΟΥ ЄΤΗ ΨΙΗ.

ΒΑCΙΛΕΙC	ΕΤΗ	ΕΠΙCΥΝΑΓΟΜ.		
ΚΟΜΟΔΟC	ΛΒ	ΦΙΕ	32.	515.
CΕΥΗΡΟC ΚΑΙΑΝΤΩΝ	ΚΕ	ΦΜ	25.	540.
ΑΝΤΩΝΙΝΟC ΝΕΟC	Δ	ΦΜΔ	4.	544.
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC Ο ΜΑΜΑΙΑC	ΙΓ	ΦΝΖ	13.	557.
ΜΑΞΙΜΙΝΟC	Γ	ΦΞ	3.	560.
ΓΟΡΔΙΑΝΟC	ς	ΦΞς	6.	566.
ΦΙΛΙΠΠΟC	Ζ	ΦΟΓ	7.	573.
ΔΕΚΙΟC	Α	ΦΟΔ	1.	574.
ΓΑΛΟC κ. ΒΙΛΛΟΥCΙΑΝΟC	Β	ΦΟς	2.	576.
ΟΥΑΛΕΡΙΟC κ. ΓΑΛΛΙΝΟC	ΙΕ	ΦϘΑ	15.	591.
ΚΛΑΥΔΙΟC	Α	ΦϘΒ	1.	592.
ΑΥΡΙΛΙΟC	ς	ΦϘΗ	6.	598.
ΠΡΟΒΟC	Ζ	ΧΕ	7.	605.
ΚΑΡΟC ΚΑΙ ΚΑΡΙΝΟC	Β	ΧΖ	2.	607.
* ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟΥ S ΚΩΝCΤΑΝ	ΚΔ Δ	ΧΛΑ	24. 4.	631.
ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟC	ΚΕ,ΚΘ	ΧΞ	25.29	660.
ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟC	ΚΔ	ΧΠΔ	24.	684.
ΚΑΙ ΟΙ ΥΟΙ	Α	ΧΠΕ	1.	685.
ΙΟΥΛΙΑΝΟC ΕΛ· Ζ ΕΙCΑΥC Δ, Κ, ΒΥΖ	Β	ΧΠς	2.	686.
ΙΟΒΙΑΝΟC.	Α	ΧΠΖ	1.	687.
ΟΥΑΛΕΝΤΙΝΙΑΝΟC ΚΑΙ ΒΑΛΗC	Ι	ΧϘΖ	10.	697.
ΟΥΑΛΕΝΤΟC ΚΑΙ ΓΡΑΤΙΑΝΟC ΕΝ ΡΩΜΗ	Δ	ΨΑ	4.	701.
ΘΕΟΔΩCΙΟC ΟC CΠΑΝΟC ΕΝ ΒΥΖ	Ις	ΨΙΖ	16.	717
ΑΡΚΑΔΙΟC κ. ΟΝΟΡΙΟ ΥΟΙ ΑΥΤ ΕΝ ΡΩ	ΙΔ	ΨΛΑ	14.	731

* ΜΑΡΚΟΥ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ κ̀ ΒΗΡΟΥ ἔτη ΙΘ
CΕΒΗΡΟΥ ἔτη ΙΗ
ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΚΑΡΑΚΑΛΛ ἔτη Ζ

ΒΑCΙΛΕΙC		ΕΤΗ ΕΠΙCΥΝΑΓΟΜ.		
ΟΝΩΡΙΟΣ ΚΑΙ ΘΕΟΔΟCΙΟC ΑΔΕΛΦΙΔΗC	ΙΓ	ΨΜΔ	13.	744
ΘΕΟΔΟCΙΟC ΜΙΚΡΟC ΘΕΟΔΟCΙΟC ΚΑΙ ΟΥΑ	Γ	ΨΜΖ	3	747.
ΛΕΝΤΙΑΝΟC ΕΝ ΡΩΜΗ ΟΥΑΛΕΝΤΙΑΝΟC	ΚϚ	ΨΟΓ	26	773.
ΚΑΙ ΜΑΡΚΙΑΝΟC ΕΝ ΒΥΖΑΝΤΙ	Δ	ΨΟΖ	4.	777.
ΜΑΡΚΙΑΝΟC	Β	ΨΟΘ	2	779.
ΛΕΩΝ ΜΕΓΑC ΛΕΩΝ ΚΑΙ ΑΝΘΗΜΙΟC ΕΝ ΡΩΜΗ	ΙΗ	ΨϘΖ	18.	797.
ΛΕΩΝ ΜΙΚΡΟC ΖΗΝΩΝ ΚΑΙ Ο ΥΙΟC	ΙΖ	ΩΙΔ	17	814.
ΑΝΑCΤΑCΙΟC	ΚΖ	ΩΜΑ	27	841.
ΪΟΥCΤΙΝΟC	Θ	ΩΝ	9.	850.
ΪΟΥCΤΙΝΙΑΝΟC	ΛΗ	ΩΠΗ	38.	888.
ΪΟΥCΤΙΝΟC	ΙΓ	ϡΑ	13.	901.
ΤΙΒΕΡΙΟC ὁ κ. ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝ	Δ	ϡΕ	4	905.
ΜΑΥΡΙΚΙΟC	Κ	ϡΚΕ	20.	925.
ΦΩΚΑC.	Η	ϡΛΓ	8	933.

Obſer-

Obſervationes in Codicis Lugduno-Batavi Canonem 1um.

Præter ea, quæ jam ſupra §° 27, Lit. I, obſervavimus, quædam adhuc reſtant in hunc Regum Canonem Aſtronomicum primum obſervanda.

1ª Legitur in Canone ΔΙΟΚΛΗΤΙΑΝΟΥ S ΚΩΝCΤΑΝ. ΚΔ. Δ. ΧΛΑ. quod idem valet ac ſi plene ſcriptum eſſet, Διοκλητιανου καὶ Κωνςαντινου imperii annis ΚΔ. Δ. colliguntur anni ΧΛΑ. καὶ in hoc Canone ſæpius per S exprimitur, quod ex κ decurtatum eſt. Conſtantius Chlorus, Conſtantini Magni pater, qui quum Diocletianus & Maximianus Herculius imperium deponerent, ex Cæſare Auguſtus nuncupatus eſt, vocatur etiam Conſtantinus, ut ex Canone 2° patet. Hinc in una cellula conjunguntur Diocletianus & Conſtantius, & utriusque imperii anni ſimul indicantur fuiſſe ΚΔ, 24. additurque Δ, 4. quo indicatur, ex his ΚΔ, 24, Conſtantio tribuendos eſſe annos Δ, 4: Diocletiano autem ſoli tantum annos Κ, 20, quare etiam in ΚΔ virgula ſub Δ conſpicitur. Hæc confirmantur ex Canone 2°.

2ª Legitur in Canone ΚΩΝCΤΑΝΤΙΝΟC. ΚЄ. ΚΘ. ΧΞ. ex annis collectis ΧΞ, 660. patet Conſtantino Magno tribuendos eſſe imperii annos ΚΘ, 29. non autem ΚЄ, 25. ſed hoc eſſe delendum. illud ΚЄ ortum videtur ex Librarii errore, qui illos Δ, 4. annos, modo memoratos, ab annis ΚΘ, 29. forte putavit eſſe abſtrahendos.

3ª Legitur in Canone ΚΑΙ ΟΙ ΥΟΙ. Α. ΧΠЄ. nullo ſenſu, adeoque eliminandum, quod etiam anni collecti requirunt, & Canon 2us docet. Ortum autem ex eo videtur, quod Conſtantino M. mortuo ſucceſſerit non ſolus Conſtantius, ſed & duo reliqui Conſtantini M. filii, Conſtantinus & Conſtans.

4ª In Imperatorum recenſione in hoc Canone conjunguntur Imperatores Occidentis cum Imperatoribus Orientis, ſed computus in Canone proprie procedit per annos imperii Imperatorum Orientis.

5ª Valentinianus videtur cum Valente conjungi, quia Valentinianus electus ab exercitu Imperator, fratrem ſuum Valentem ſibi in imperio aſſociavit, eique Orientem conceſſit.

6ª Cum Valente deinde videtur Gratianus conjungi, quia Gratianus, mortuo Valente, Theodoſium creavit Imperatorem Orientis.

7ª Honorius & Arcadius, ut videtur, conjunguntur, quia fratres, & ambo filii Theodoſii Senioris Imperatoris Orientis, & ab eo moriente Imperatores relicti, Honorius Occidentis, Arcadius Orientis.

8ª Cum Theodoſio Juniore Valentinianus II, Placidiæ filius, videtur conjungi, quia Theodoſius Orientis Imperator Valentinianum II Imperatorem Occidentis conſtituit.

9ª Cum Leone Seniore Anthemius videtur conjungi, quia Leo Anthemium e Conſtantinopoli Romam miſit, & Occidentis Imperatorem creavit.

10ª Reliquos poſteriores Occidentis Imperatores plane omiſit.

11ª Cur autem in Canone Valentis Imperii anni 14, in duo intervalla 10, & 4 annorum; & Theodoſii Junioris imperii anni 42, in tria intervalla 13, 3, & 26 annorum; & denique Marciani imperii anni 6, in duo intervalla 4 & 2 annorum diſpeſcantur, & quidem hoc modo ordinentur, fateor me nondum percipere. Confer Canonem 2um, ubi talis diſtinctio locum non habet.

12ma Commodioris uſus gratia addidi numeros Indicos de meo, qui in MSto non reperiebantur.

XXIX.

Canon Secundus.

ЄΤΗ ΒΑCΙΛЄΩΝ ΠЄΡCΩΝ Τ ЄΩCΑΛЄΞΑΝΔΡ κ. ΑΥΤ

ΝΑΒΟΝΑCΑΡΟΥ	ΙΔ	ΙΔ	14.	14.
ΝΑΔΙΟΥ	Β	ΙϚ	2.	16.
ΧΙΝΖΙΡΟC κ. ΠΟΡΟΥ	Є	ΚΑ	5.	21.
ΙΛΟΥΛΑΙΟΥ	Є	ΚϚ	5	26
ΜΑΡΔΟΚЄΜΠΑΔΟΥ	ΙΒ	ΛΗ	12.	38.
ΑΡΚЄΑΝΟΥ	Є	ΜΓ	5.	43.
ΑΒΑCΙΛЄΥΤΟΥ ΠΡΩΤΟΥ	Β	ΜЄ	2.	45.
ΒΙΛΙΒΟΥ	Γ	ΜΗ	3.	48.
ΑΠΑΡΑΝΑΔΙΟΥ	Ϛ	ΝΔ	6.	54
ΡΗΓЄΒΗΛΟΥ	Α	ΝЄ	1.	55.
ΜЄCΗCΗΜΟΡΔΚΟΥ	Δ	ΝΘ	4.	59.
ΑΒΑCΙΛЄΥΤΟΥ Β	Η	ΞΖ	8.	67
ΑCΑΡΙΔΙΝΟΥ	ΙΓ	Π	13.	80.
CΑΟCΔΟΥΧΙΝΟΥ	Κ	Ρ	20.	100.
ΚΙΝΗΛΑΔΑΝΟΥ	ΚΒ	ΡΚΒ	22.	122.
ΝΑΒΟΠΟΛΑCΑΡΟΥ	ΚΑ	ΡΜΓ	21.	143.
ΝΑΒΟΚΟΛΑCCΑΡΟΥ	ΜΓ	ΡΠϚ	43.	186.
ΙΛΛΟΑΡΟΥ ΔΑΜΟΥ	Β	ΡΠΗ	2.	188.
ΝΗΡΙΓΑCΟΛΑCCΑΡΟΥ	Δ	ΡϘΒ	4.	192.
ΝΑΒΟΝΑΔΙΟΥ	ΙΖ	CΘ	17.	209.
ΠЄΡCΩΝ ΒΑCΙΛЄΙC .: .: .:				
ΚΥΡΟΥ	Θ	CΙΗ	9	218.
ΚΑΜΒΥCΟΥ	Η	CΚϚ	8	226.
ΔΑΡЄΙΟΥ ΠΡΩΤΟΥ	ΛϚ	CΞΒ	36	262.
ΞЄΡΞΟΥ	ΚΑ	CΠΓ	21.	283.
ΑΡΤΑΡΞЄΡΞΟΥ ΠΡΩΤ	ΜΑ	ΤΚΔ	41	324.
ΔΑΡΙΟΥ ΔЄΥΤЄΡΟΥ	ΙΘ	ΤΜΓ	19	343.
ΑΡΤΑΞЄΡΞΟΥ Β	ΜϚ	ΤΠΘ	46.	389.
ΩΧΟΥ	ΚΑ	ΥΙ	21.	410.
ΑΡΩΓΟΥ	Β	ΥΙΒ	2	412.
ΔΑΡΙΟΥ Γ *	Δ	ΥΙϚ	4	416.
ΑΛЄΞΑΝΔΡ ΜΑΚЄΔ	Η	ΥΚΔ	8.	424.

* ЄΤΗ ΥΚΑ.

ЄΤΗ ΒΒ Τ ΜΑΚЄΔΟΝ ΜЄΤΑ Τ ΑΛЄΞΑΝ ΤΟΥ Β ΤЄΛЄΥΤΗΝ

ЄΠΙϹΥΝΓ ЄΤΗ

ΦΙΛΙΠΠΟΥ	Ζ	Ζ	7.	7.
ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ	ΙΒ	ΙΘ	12.	19.
ΠΤΟΛЄΜΑΙΟ ΛΑΓΟΥ	Κ	ΛΘ	20.	39.
ΦΙΛΑΔЄΛΦΟΥ	ΛΗ	ΟΖ	38.	77.
ЄΥЄΡΓЄΤΟΥ	ΚЄ	ΡΒ	25.	102.
ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟϹ	ΙΖ	ΡΙΘ	17.	119.
ЄΠΙΦΑΝΟΥϹ	ΚΔ	ΡΜΓ	24.	143.
ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟϹ	ΛЄ	ΡΟΗ	35.	178.
ЄΥЄΡΓЄΤΟΥ Β	ΚΘ	ϹΖ	29.	207.
ϹΩΤΗΡΟϹ	Λϛ	ϹΜΓ	36.	243.
ΔΙΟΝΥϹΟΥ ΝΑΙΟΥ	ΚΘ	ϹΟΒ	29	272.
ΚΛЄΟΠΑΤΡΑϹ	ΚΒ	ϹϞΔ	22.	294.
ΡΩΜΑΙΩΝ ": ": ":				
ΑΥΓΟΥϹΤΟΥ	ΜΓ	ΤΛΖ	43	337.
ΤΙΒЄΡΙΟΥ	ΚΒ	ΤΝΘ	22.	359.
ΓΑΙΟΥ	Δ	ΤΞΓ	4.	363
ΚΛΑΥΔΙΟΥ	ΙΔ	ΤΟΖ	14	377.
ΝЄΡΩΝΟϹ	ΙΔ	ΤϞΑ	14	391.
ΟΥЄϹΠΑϹΙΑΝΟΥ	Ι	ΥΑ	10.	401.
ΤΙΤΟΥ	Γ	ΥΔ	3.	404.
ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΥ	ΙЄ	ΥΙΘ	15.	419.
ΝЄΡΟΥΑ	Α	ΥΚ	1.	420.
ΤΡΑΙΑΝΟΥ	ΙΘ	ΥΛΘ	19.	439
ΑΔΡΙΑΝΟΥ	ΚΑ	ΥΞ	21.	460.
ЄΛΛΙΟΥ ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ	ΚΓ	ΥΠΓ	23.	483
ΜΑΡΚ ΑΝΤΩΝΙΝ κ. ΒΗΡΟΥ	ΙΘ	ΦΒ	19.	502.
ΚΟΜΜΟΔΟΥ	ΙΓ	ΦΙЄ	13.	515.
ϹЄΒΗΡΟΥ	ΙΗ	ΦΛΓ	18.	533.
ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΚΑΡΑΚΑΛΟΥ	Ζ	ΦΜ	7.	540.
ΑΝΤΩΝΙΝΟΥ ΑΛΛΟΥ	Δ	ΦΜΔ	4.	544.

ЄΠΙ

		ΕΠΙϹΥΝΓ	ΕΤΗ	
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ ΤΟΥ ΜΑΜΑΙΑϹ	ΙΓ	ΦΝΖ	13.	557
ΜΑΞΙΜΙΝΟΥ	Γ	ΦΞ	3.	560.
ΓΟΡΔΙΑΝΟΥ	ϛ	ΦΞϛ	6.	566
ΦΙΛΙΠΠΟΥ	Ζ	ΦΟΓ	7.	573.
ΔΕΚΙΟΥ	Α	ΦΟΔ	1.	574.
ΓΑΛΛΟΥ κ. ΒΟΛΛΟΥϹΙΑΝΟΥ	Β	ΦΟϛ	2.	576
ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΥ κ. ΓΑΛΛΙΝΟ	ΙΕ	ΦϙΑ	15.	591.
ΚΛΑΥΔΙΟ	Α	ΦϙΒ	1	592.
ΑΥΡΙΛΙΑΝΟΥ	ϛ	ΦϙΗ	6.	598.
ΠΡΟΒΟΥ	Ζ	ΧΕ	7.	605.
ΚΑΡΟΥ κ. ΚΑΡΙΝΟΥ	Β	ΧΖ	2	607.
ΔΙΟΚΛΙΤΙΑΝΟΥ	Κ	ΧΚΖ	20.	627.
ΚΩΝϹΤΑΝΤΙΝΟΥ	Δ	ΧΛΑ	4.	631.
ΚΩΝϹΤΑΝΤΙΝΟΥ	ΚΘ	ΧΞ	29.	660.
ΚΩΝϹΤΑΝΤΙΟΥ	ΚΔ	ΧΠΔ	24.	684.
ΪΟΥΛΙΑΝΟΥ	Β	ΧΠϛ	2.	686.
ΪΟΒΙΑΝΟΥ	Α	ΧΠΖ	1.	687
ΟΥΑΛΕΝΤΟϹ	ΙΔ	ΨΑ	14.	701.
ΟΥΑΛΕΝΤΙΝΙΑΝΟΥ	Ι	ΧϙΖ	10	697
ΘΕΟΔΩϹΙΟΥ	Ιϛ	ΨΙΖ	16.	717
ΑΡΚΑΔΙΟΥ	ΙΔ	ΨΛΑ	14.	731
ΘΕΟΔΩϹΙΟΥ ΝΑΙΟΥ	ΜΒ	ΨΟΓ	42.	773
ΜΑΡΚΙΑΝΟΥ	ϛ	ΨΟΘ	6.	779
ΛΕΟΝΤΟϹ	ΙΗ	ΨϙΖ	18.	797
ΖΙΝΟΝΟϹ	ΙΖ	ΩΙΔ	17.	814.
ΑΝΑϹΤΑϹΙΟΥ	ΚΖ	ΩΜΑ	27.	841
ΙΟΥϹΤΙΝΟΥ	Θ	ΩΝ	9.	850.
ΙΟΥϹΤΙΝΙΑΝΟΥ	ΛΗ	ΩΠΗ	38.	888.
ΙΟΥϹΤΙΝΟΥ	ΙΓ	ϡΑ	13	901.
ΤΙΒΕΡΙΟΥ Τ S ΚΩΝϹΤΑΝ	Δ	ϡΕ	4.	905.
ΜΑΥΡΙΚΙΟΥ ΦΩΚΑ	Κ	ϡΚΕ	20.	925.
ΦΩΚΑ	Η	ϡΛΓ	8.	933.

ΕΠΙ-

		ΕΠΙΣΥΝΓ.		ΕΤΗ
ΗΡΑΚΛΕΙΟΥ	Λ	ΧΞΓ	30.	963.
ΚΩΝΣΤΑΝΤΟΣ ΤΟ ΕΙΣ ΤΙΝΑΣ ΤΙΝ Κ ΗΡΑΚΛΕΟ	Α	ΧΞΔ	1.	964.
ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ	ΚΖ	ΧϘΑ	27.	991.
ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ	ΙΖ	ΑΗ	17.	1008.
ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΥ ΤΟ Α	Ι	ΑΙΗ	10.	1018.
ΛΕΟΝΤΟΣ	Γ	ΑΚΑ	3.	1021
ΤΙΒΕΡΙΟΥ	Ζ	ΑΚΗ	7.	1028.
ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝ ΤΟ Β	Ϛ	ΑΛΔ	6.	1034.
ΦΙΛΙΠΠΙΚΟΥ	Β	ΑΛϚ	2	1036.
ΑΝΑΣΤΑΣΙΟΥ	Β	ΑΛΗ	2.	1038.
ΘΕΟΔΩΣΙΟΥ	Α	ΑΛΘ	1.	1039.
ΛΕΟΝΤΟΣ	ΚΕ	ΑΞΔ	25	1064.
ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ	ΛΔ	ΑϘΗ	34.	1098.
ΛΕΟΝΤΟΣ ΚΑΙ ΚΩΝΣΤΑΝΤ	Ε	ΑΡΓ	5	1103.
ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΚΑΙ ΕΙΡΗΝΗΣ	Ι	ΑΡΙΓ	10.	1113.
ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ	Ζ	ΑΡΚ	7	1120.
ΕΙΡΗΝΗΣ	Ε	ΑΡΚΕ	5.	1125.
ΝΗΚΙΦΟΡΟΥ ΣΥΝ ΥΩ	Θ	ΑΡΛΔ	9.	1134.
ΜΗΧΑΗΛ ΣΥΝ ΤΟ ΥΩ	Β	ΑΡΛϚ	2.	1136.
ΛΕΩΝ	Ζ	ΑΡΜΓ	7.	1143.
ΜΙΧΑΗΛ	Η	ΑΡΝΑ	8.	1151.
ΘΕΟΦΙΛΟΣ	ΙΒ	ΑΡΞΓ	12.	1163.
ΘΕΟΔΩΡΑ ΣΥ ΤΩ ΥΩ	ΙΓ	ΑΡΟϚ	13.	1176.
ΜΙΧΑΗΛ ΜΟΝ	ΙΒ	ΑΡΠΗ	12	1188.
ΜΙΧΑΗΛ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛ	Δ	ΑΡϘΒ	4	1192.
ΒΑΣΙΛ ΜΕΤ ΛΕΟΝΤ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔ	ΙΘ	ΑΣΙΑ	19.	1211.
ΛΕΩΝ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔ ΥΟΙ ΒΑΣΙΛ	ΚϚ	ΑΣΛΖ	26	1237.
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΜΕΤΑ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙ	Α	ΑΣΛΗ	1	1238.
ΚΩΝΣΤΑΝΤ ΛΕΟΝΤ ΣΥΝ ΤΗ ΜΡΙ				

Obſer-

Obſervationes in Codicis Lugduno-Batavi Canonem 2um.

Præter ea, quæ jam ſupra §° 27, Lit. K. in hunc Regum Canonem aſtronomicum 2um obſervavimus, quædam adhuc reſtant in eundem obſervanda.

1ª Hic Canon inde a Diocletiano ad Phocam procedit per ſolos Imperatores Orientis, omiſſis Imperatoribus Occidentis, adeoque conciſior & concinnior eſt.

2ª Imperii Diocletiani & Conſtantii Chlori, qui Conſtantinus dicitur, anni non conjunguntur, ſed ſeparatim recenſentur.

3ª Valentis, Theodoſii Junioris, & Marciani imperii anni non in quædam intervalla minora diſpeſcuntur, ſed ſimul & ſemel recenſentur. & eo ſenſu imperii anni ſingulorum Orientis Imperatorum a Diocletiano ad Phocam in hoc Canone 2° plane cum Canone 1° conveniunt.

4ª Quod in hoc Canone primo legatur ΟΥΑΛΕΝΤΟϹ. ΙΔ. ΨΑ. & deinde ſequatur ΟΥΑΛΕΝΤΙΝΙΑΝΟΥ. Ι. ΧϚΖ. plane alienum & incongruum eſt. Ego poſterius judico Gloſſema eſſe, & deleri debere, ut anni collecti, qui præcedunt & ſequuntur, oſtendunt. Dici quidem poſſet, hic Librarii errore factam eſſe transpoſitionem, & legendum eſſe primo ΟΥΑΛΕΝΤΙΝΙΑΝΟΥ. Ι. ΧϚΖ. & deinde ΟΥΑΛΕΝΤΟϹ. Δ (loco ΙΔ) ΨΑ. Sed præterquam quod Valentinianus non fuerit per 10 annos Imperator Orientis, & Valens per 4 annos tantum, talis diviſio annorum 14 Valentis, ſicut nec Theodoſii Junioris, & Marciani, qualis in Canone 1° reperitur, in hoc Canone 2° non obtinet, neque in eo Imperatores Occidentis recenſentur.

5ª Quod primo legatur Μαυρικιȣ Φωκα, & deinde iterum a nova linea Φωκα: in eo, quod prius legitur, notorius feſtinantis calami error eſt.

6ª Huic ſecundo Canoni æque ac priori commodioris uſus gratia de meo addidi numeros Indicos, qui in MS° non reperiebantur.

XXX.

Initia Hiſtorica & Canonica Imperii Romanorum Imperatorum a Diocletiano ad Heraclium ex Codicis Lugduno-Batavi Canone primo.

Hiſtorice Chriſti	DIOCLET. & CONSTANT. an. 24.	Canonice Chriſti
284.	Sept. 17, init Dioclet. imperium. a° 305. Maji 1. deponit Diocl. imper. a° 305. Maji 1. declaratur Conſt. Aug. a° 306. Jul. 25. obiit Conſtantius; ſed ejus imperium in Canone longius extenditur, & duo priores imperii Conſtantini a morte patris anni ſub eo comprehenduntur.	284. Junii 13. { Nab 1032. Phil. 608.
	CONSTANTINUS M. an. 29.	
	a° 306. Jul. 25. revera init imperium a morte patris. a° 307. . . . ducta Fauſta Maximiani Herculii filia, ab eo Auguſtus appellatur.	
308.	. . . . . . a Galerio Maximiano Auguſtus appellatur. Tillemont. hinc in Canone (ut videtur) arceſſitur imperii Conſtantini initium . . . . obiit a° 337. Maji 22. Breve interregnum.	308. Junii 7. { Nab. 1056. Phil. 632.
	CONSTANTIUS an. 24.	
337.	Sept. 9. Conſtantinus, Conſtantius, & Conſtans nuncupantur Auguſti, & patri ſuccedunt. . . . . . . obiit Conſtantius anno 361. Nov. 3.	337. Maji 31. { Nab. 1085. Phil. 661.

JULIA-

Hiſtorice Chriſti		Canonice Chriſti	
	JULIANUS annos 2.		
361.	Decemb. 11. CPolim ingreditur. obiit anno 363, Junii 26.	361. Maji 25.	Nab. 1109. Phil. 685.
	JOVIANUS annum 1.		
363.	Junii 27. eligitur Imperator obiit anno 364, Febr. 16. * annum in imperio non implevit.	363. Maji 25.	Nab. 1111. Phil. 687.
	VALENTINIAN. & VALENS an. 10.		
364.	Febr. 26. Valentinianus creatur Imperator, qui Mart. 29 aſſociat ſibi Valentem. . . . . Valentin. in Occidente, Valens in Oriente.	364. Maji 24	Nab. 1112. Phil. 688.
	VALENS (& GRATIANUS in Roma) annos 4.		
374.	Valens continuat imperium & annus imperii ejus 11us init in Canone . . . Eodem tempore regnat in Occidente Gratianus, a patre Valentiniano Auguſtus declaratus anno 367. Aug. 24, qui hoc anno 374 duxit Conſtantiam, Conſtantii Imp. filiam poſtumam. Valentinianus obiit anno 375, Nov. 17, & die Nov. 22. proclamatur Auguſtus filius ejus Valentinianus II. Anno 378, Aug. 9. periit Valens.	374. Maji 22.	Nab. 1122. Phil. 698.
	THEODOSIUS annos 16.		
379.	Jan. 19. creatur Imp. a Gratiano. Anno 395, Jan. 17. obiit.	378. Maji 21.	Nab. 1126. Phil. 702.

Hiſtorice Chriſti		Canonice Chriſti
	ARCADIUS (& HONORIUS) filii ejus (in Roma) an. 14.	
395.	Jan. 17. a morte patris Anno 408. Maji 1. obiit Arcadius. Petav. Pagius. Tillemont. non X Kal. Sept., ut Zoſimus dicit: aut XI Kal. Sept., ut habet Theophanes.	394. Maji 17. { Nab. 1142. Phil. 718.
	(HONORIUS &) THEODOSIUS an. 13.	
408.	Maji 1. ab Arcadii patris morte, puer octennis, a patre Auguſtus renunciatus jam anno 402. Jan. 10. . . Honorius moritur anno 423. Aug.	408. Maji 13. { Nab. 1156. Phil. 732.
	THEODOSIUS annos 3.	
421.	Theodoſius continuat imperium, & annus imperii ejus 14us init in Canone	421. Maji 10. { Nab. 1169. Phil. 745.
	THEODOSIUS (& VALENTINIANUS in Roma) annos 26.	
424.	Theodoſius continuat imperium, & annus imperii ejus 17us init in Canone . . . . . . Valentinianus II. a Theodoſio Auguſtus renunciatur anno 425, Oct. 23. Pagius. Anno 450. Jul. 28. obiit Theodoſius.	424. Maji 9. { Nab. 1172. Phil. 748.
	(VALENTINIANUS &) MARCIANUS in Byz. annos 4.	
450.	Jul. 28. init Marcianus, ſucceſſor electus a Theodoſio, Petav. Aug. 24. ab exercitu imperare juſſus, Pagius.	450. Maji 3. { Nab. 1198. Phil. 774.

MAR-

Hiſtorice Chriſti	Marcianus annos 2.	Canonice Chriſti	
454.	Marcianus continuat imperium, & annus imperii ejus 5us init in Canone. Valentinianus II occiditur anno 455. Mart. 26. Pagius. Anno 457, Jan. 26. vel paulo poſt, certe ante Feb. 7. obiit Marcianus.	454. Maji 2.	Nab. 1202. Phil. 778.
	Leo Senior annos 18.		
	Leo & Anthemius in Roma.		
	Leo Junior.		
457.	Feb. 7. Leo Marciano ſuccedit. Pagius. . . . . Anthemius a Leone creatur Imperator Romæ anno 467 April. 7, qui occiditur anno 472, Jul. 9. Anno 474, Jan. . . . obiit Leo Senior. Relicto Imperatore Leone juniore, nepote ſuo, Zenonis & Ariadnes filio, qui eodem anno 474. Nov. . . . obiit.	456. Maji 1.	Nab. 1204. Phil. 780.
	Zeno & filius annos 17.		
474.	Leo junior, poſt Avi mortem, Zenonem patrem ſuum coronat Imperatorem, qui aliquo tempore regnavit cum filio: eoque mortuo anno 474 Nov. . . regnat ſolus, & hinc anni ejus in Canone numerantur . . anno 491, April. 9. obiit Zeno.	474. Apr. 27.	Nab. 1222. Phil. 798.
	Anastasius annos 27.		
491.	April. 18, Petav. April. 11. Pagius. coronatur Anaſtaſius. . . . . Anno 518, Jul. 9. obiit Anaſtaſius. Pagius.	491. Apr. 23.	Nab. 1239. Phil. 815.

Historice Christi		Canonice Christi	
	Justinus annos 9.		
518.	Jul. 9. purpuram ſumpſit . : : adoptat Juſtinianum a° 527, Apr. 1. a° 527, Aug. 1. obiit Juſtinus. Pag.	518. Apr. 16.	Nab. 1266. Phil. 842.
	Justinianus annos 38.		
527.	Aug. 1, a morte Juſtini . . : a° 565. Nov. 14, obiit. Pagius.	527. Apr. 13	Nab. 1275. Phil. 851.
	Justinus annos 13.		
565.	Nov. 14, init. Pagius . . . : . Tiberium Cæſarem creat anno 574, Decemb. a° 578, Oct. 5. obiit Juſtinus.	565. Apr. 4.	Nab. 1313. Phil. 889.
	Tiberius, qui & Conſtantinus, annos 4.		
578.	Sept. 26, coronatus a Juſtino, Oct. 5. a morte Juſtini. Pagius. a° 582, Aug. 14. obiit. Pagius.	578. Apr. 1.	Nab. 1326. Phil. 902.
	Mauricius annos 20.		
582.	Aug. 14 init . . . : a° 602, Nov 27. occiditur a Phoca.	582. Mart. 31.	Nab. 1330. Phil. 906.
	Phocas annos 8.		
602.	Nov. 25. occupat imperium . : a° 610. Oct. 5. occiditur.	602. Mart. 26	Nab 1350. Phil. 926.

ultimus Phocæ annus
eſt in Canone
Nabonaſſari 1357us
Philippi 933us
Phocæ ſucceſſit Heraclius.

XXXI.

XXXI.

Initia Hiſtorica & Canonica Imperii Romanorum Imperatorum, a Diocletiano ad Michaëlem cum filio, ex Codicis Lugduno-Batavi Canone ſecundo.

Hiſtorice Chriſti		Canonice Chriſti	
	DIOCLETIANUS annos 20.		
284.	Sept. 17, init Dioclet. imperium anno 305, Maji 1, deponit imperium.	284. Junii 13.	Nab. 1032. Phil. 608.
	CONSTANTIUS annos 4.		
305.	Maji 1, declaratur Auguſtus a° 306, Jul. 25. obiit Conſt. Chlorus. * Sed duo priores imperii Conſtantini Magni a morte patris anni ſub imperio patris comprehenduntur.	304. Junii 8.	Nab. 1052. Phil. 628.
	CONSTANTINUS annos 29.		
308.	. . . . . . a Galerio Maximiano Conſtantinus appellatur Auguſtus. & hinc in Canone init a° 337 Maji 22. obiit. Breve interregnum.	308. Maji 7.	Nab. 1056. Phil. 632.
	CONSTANTIUS annos 24.		
337.	Sept. 9, nuncupatur Auguſtus. a° 361, Nov. 3, obiit.	337. Maji 31.	Nab. 1085. Phil. 661.
	JULIANUS annos 2.		
361.	Dec. 11. CPolim ingreditur a° 363, Junii 26, obiit.	361. Maji 25.	Nab. 1109. Phil. 685.

Jo-

Hiſtorice Chriſti		Canonice Chriſti
	JOVIANUS annum 1.	
363.	Junii 27. eligitur Imperator. anno 364. Febr. 16, obiit. *annum in imperio non implevit.	363. Maji 25. { Nab. 1111. Phil. 687.
	VALENS annos 14.	
364.	Mart. 29. a fratre Valentiniano aſſociatur in imperio. anno 378, Aug 9. periit.	364. Maji 24. { Nab. 1112. Phil. 688.
	THEODOSIUS annos 16.	
379.	Jan. 19. creatur Imp. a Gratiano. anno 395. Jan. 17. obiit.	378. Maji 21. { Nab. 1126. Phil. 702.
	ARCADIUS annos 14.	
395.	Jan. 17. a morte patris. anno 408. Maji 1. obiit.	394. Maji 17. { Nab. 1142. Phil. 718.
	THEODOSIUS junior annos 42.	
408.	Maji 1, a morte patris anno 450. Julii 28. obiit.	408. Maji 13. { Nab. 1156. Phil. 732.
	MARCIANUS annos 6.	
450.	Julii 28. electus a Theodoſio. anno 457. Jan. 26. obiit.	450. Maji 3. { Nab. 1198. Phil. 774.
	LEO annos 18.	
457.	Feb. 7. Leo Marciano ſuccedit. anno 474. Jan. obiit Leo Senior. anno 474. Nov. obiit Leo junior, Leonis Senioris ex filia nepos.	456. Maji 1. { Nab. 1204. Phil. 780.
	ZENO annos 17.	
474.	Nov. a morte filii ſui Leonis junioris (qui eum, poſt avi ſui Leonis Senioris mortem, coronaverat Imperatorem) regnat ſolus. anno 491. Apr. 9. obiit.	474. Apr, 27. { Nab. 1222. Phil. 798.

ANASTA-

Hiſtorice Chriſti		Canonice Chriſti	
	Anastasius annos 27.		
491.	Apr. 18, vel Apr. 11. coronatur. anno 518. Jul. 9. obiit.	491. Apr. 23.	Nab. 1239. Phil. 815.
	Justinus annos 9.		
518.	Jul. 9. purpuram ſumpſit adoptat Juſtinianum a° 527, Apr. 1. anno 527, Aug. 1. obiit.	518. Apr. 16.	Nab. 1266. Phil. 842.
	Justinianus annos 38.		
527.	Aug. 1. a morte Juſtini. anno 565. Nov. 14. obiit.	527. Apr. 13.	Nab. 1275. Phil. 851.
	Justinus annos 13.		
565.	Nov. 14. a morte Juſtiniani anno 578. Oct. 5., obiit.	565. Apr. 4.	Nab. 1313. Phil. 889.
	Tiberius, qui & **Const.** annos 4.		
578.	Oct. 5. a morte Juſtini. anno 582. Aug. 14., obiit.	578. April. 1.	Nab. 1326. Phil. 902.
	Mauricius annos 20.		
582.	Aug. 14. a morte Tiberii anno 602. Nov. 27, occiditur a Phoca.	582. Mart. 31.	Nab. 1330. Phil. 906.
	Phocas annos 8.		
602.	Nov. 25., occupat imperium. anno 610. Oct. 5. occiditur.	602. Mart. 26.	Nab. 1350. Phil. 926.

Hiſtorice Chriſti		Canonice Chriſti	
	HERACLIUS annos 30.		
610.	Oct. 5. coronatur Heraclius junior novus Conſtantinus, ex Eudocia natus, bimulus, coronatur Imperator a patre anno 613. Jan. 22. anno 641. Febr. 11., obiit.	610. Mart. 24.	Nab. 1358. Phil. 934.
	CONSTANTINUS & HERACLEONAS annum 1.		
641.	Febr. 11. a morte patris ineunt. Anno 641. Maji 25. obiit Conſtantinus, Heraclii Senioris ex Eudocia filius, veneno ſublatus a noverca Martina. Anno 641. circa vindemiæ tempus coronatur Conſtans, Conſtantini filius, Heraclii nepos, dictus etiam Conſtantinus. Anno 641. Octob. Heracleonas, cum matre Martina, exturbatus.	640. Mart. 16.	Nab. 1388. Phil. 964.
	CONSTANTINUS annos 27.		
641.	circa vindemiæ tempus, vel menſe Octobri init. Anno 668. poſt diem Sept. 16, & ante diem Nov. 7. Conſtantinus Syracuſis interfectus.	641. Mart. 16.	Nab. 1389. Phil. 965.
	CONSTANTINUS annos 17.		
668.	Poſt diem Sept. 16. & ante diem Nov. 7, ab interitu patris. Anno 685. initio Septembris, obiit Conſtantinus Pogonatus.	668. Mart. 9.	Nab. 1416. Phil. 992.
	JUSTINIANUS I° annos 10.		
685.	initio Septemb. a morte patris. anno 695. circa Sept. exturbatus.	685. Mart. 5.	Nab. 1433. Phil. 1009.

LEON-

Hiſtorice Chriſti	Leontius annos 3.	Canonice Chriſti	
695.	circa Sept. imperium invaſit. anno 698, anno jam provecto, Leontius imperio exturbatur.	695. Mart. 3.	Nab. 1443. Phil. 1019.
	Tiberius annos 7.		
698.	Anno jam provecto imperium invaſit. anno 705° ad finem vergente, Tiberius Apſimarus deponitur.	698. Mart. 2.	Nab. 1446. Phil. 1022.
	Justinianus 2°, annos 6.		
705.	Circa anni finem reſtituitur. anno 711. Decemb. occiditur.	705. Feb. 28.	Nab. 1453. Phil. 1029.
	Philippicus annos 2.		
711.	Decemb. imperium invaſit. anno 713. Junii 3., pellitur.	711. Feb. 27.	Nab. 1459. Phil. 1035.
	Anastasius annos 2.		
713.	Junii 4. ipſa Pentecoſtes die eligitur. anno 716. Jan. deponitur.	713. Feb. 26.	Nab. 1461. Phil. 1037.
	Theodosius annum 1.		
716.	Jan. eligitur ab exercitu. anno 717. Mart. 25., ſponte abdicat,	715. Feb. 26.	Nab. 1463. Phil. 1039.
	Leo annos 25.		
717.	Mart. 25. ſubrogatur. anno 741. Junii 18., obiit Leo Iſaurus.	716. Feb. 25.	Nab. 1464. Phil. 1040.
	Constantinus annos 34.		
741.	Junii 25. patri ſuccedit. anno 775. Sept. 13. obiit Conſtantinus Copronimus.	741. Feb. 19.	Nab 1489. Phil. 1065.

Hiſtorice Chriſti	Canonice Chriſti	
Leo, cum filio Constantino, annos 5.		
775. Sept. 13. Leo patri ſuccedit. anno 780. Sept. 8. obiit Leo.	775. Feb. 11.	Nab. 1523. Phil. 1099.
Constantinus & Irene an. 10.		
780. Sept. 8. patri ſuccedit, cum matre Irene. anno 790. Sept. Irene ab imperio removetur.	780. Feb. 10.	Nab. 1528. Phil. 1104.
Constantinus annos 7.		
790. Sept. Conſtantin. ſolus imperat. anno 797. Junii 15. Sabbato, occæcatur a matre Irene.	790. Feb. 8.	Nab. 1538. Phil. 1114.
Irene annos 5.		
797. Jun. 15. occæcato filio, ſola imperat. anno 802. Oct. 31. exauctoratur.	797. Feb. 6.	Nab. 1545. Phil. 1121.
Nicephorus cum filio, an. 9.		
802. Oct. 31. invadit imperium. anno 811. Jul. 25. occubuit in Bulgaria.	802. Feb. 5.	Nab. 1150. Phil. 1126.
Michael cum filio, annos 2.		
811. Oct. 2. Imperator ſalutatur. anno 813. Junii 22. prœlio victus CPolim rediit, & imperium amittit.	811. Feb. 3.	Nab. 1559. Phil. 1135.

APPENDIX.

Hiſtorice Chriſti		Canonice Chriſti
	LEO, annos 7.	
813.	Jul. 11. Leo Armenus coronatur. anno 820. Dec. 25. occiditur.	813. Feb. 2. { Nab. 1561. Phil. 1137.
	MICHAEL annos 8.	
820.	Dec. 25. invadit imperium. anno 829. Oct. obiit Michaël Balbus.	820. Jan. 31. { Nab. 1568. Phil. 1144.
	THEOPHILUS annos 12.	
829.	Octob. patri ſuccedit. anno 842. Jan. 20. obiit.	828. Jan. 29. { Nab. 1576. Phil. 1152.
	THEODORA cum filio (MICHAELE) annos 13.	
842.	Jan. 20. Michaël (cum matre) tres annos natus patri ſuccedit.	840. Jan. 26. { Nab. 1588. Phil. 1164.
	MICHAEL SOLUS annos 12.	
854.	. . . Michaël ſolus imperat. adoptat Baſilium. eumque Auguſtum declarat, & coronat die Pentecoſtes, Maji 26. anno 866.	853. Jan. 23. { Nab. 1601. Phil. 1177.
	MICHAEL & BASILIUS an. 4.	
866.	Maji 26. a coronatione Baſilii. anno 867. Sept. 24. occiditur Michaël.	865. Jan. 20. { Nab. 1613. Phil. 1189.

Hiſtorice Chriſti		Canonice Chriſti	
	BASILIUS cum LEONE & ALEXANDRO filiis, annos 19.		
867.	Sept. 24. a morte Michaëlis. anno 886. Mart. 1. obiit Baſilius Macedo.	869. Jan. 19.	Nab. 1617. Phil. 1193.
	LEO & ALEXANDER, BASILII filii, annos 26.		
886.	Mart. 1. patri ſuccedunt. anno 911. Maji 11. obiit Leo Sapiens.	888. Jan. 14.	Nab. 1636. Phil. 1212.
	ALEXANDER cum CONSTANTINO (LEONIS filio) annum 1.		
911.	Maji 11. a Leonis morte. anno 912. Jun. 6. obiit Alexander.	914. Jan. 8.	Nab. 1662. Phil. 1238.
	CONSTANTINUS cum matre.		
912.	Junii 6. a patrui Alexandri morte.	915. Jan. 8.	Nab. 1663. Phil. 1239.

XXXII.

XXXII.

Obſervationes ad §um 30 & 31.

A.

Quod attinet intervallum a Diocletiano ad Heraclium, quod eſt annorum 326.

1a *Jovianus* hic recenſetur, licet annum in imperio integrum non impleverit.

2a *Valentinianus* & *Valens* Hiſtorice inierunt anno Chriſti 364, Valentinianus quidem ex Februarii die 26, Valens autem, a fratre in imperio aſſociatus, ex Martii die 29: deberent itaque Canonice (juxta Regulam) inire a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1111mi in die Maji 25 anni Chriſti 363tii. Sed ille annus *Canonice*, & recte quidem, Joviano tributus erat; adeoque non poterant citius *Canonice* inire, quam a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1112mi, in die Maji 24 anni Chriſti 364ti, ut in utroque Canone fit.

3a *Theodoſius junior* Hiſtorice init anno Chriſti 408, ex die Maji 1, a morte patris: deberet itaque *Canonice* (juxta præciſam Regulam) inire a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1155ti, in Maji die 14 anni Chriſti 407mi. Sed in Canone init a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1156ti, in Maji die 13 anni Chriſti 408vi, duodecim tantum diebus poſt ejus initium Hiſtoricum.

4a *Anaſtaſius* Hiſtorice init anno Chriſti 491 ex die Aprilis 18, vel 11. Deberet itaque *Canonice* (juxta præciſam Regulam) inire a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1238vi, in Aprilis die 23 anni Chriſti 490mi. Sed in Canone init a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1239ni, in Aprilis die 23 anni Chriſti 491mi. quinque vel duodecim diebus poſt ejus initium hiſtoricum.

5a Hiſtorica Imperatorum hujus intervalli initia ex variis petita ſunt Auctoribus. Auctoritates autem, ubi hoc opus erat, annotavi ſupra §o 30. Sed easdem ſupra §o 31 repetere, non neceſſarium duxi.

B. *Quod*

B.

Quod attinet intervallum, ab Heraclio ad Michaëlem cum filio, quod eſt annorum 203.

1ª *Conſtantinus*, Heraclii ex Eudocia filius, & *Heracleonas*, ejusdem Heraclii ex Martina filius, hic recenſentur, licet annum in imperio integrum non impleverint.

2ª *Leo Iſaurus* hiſtorice init anno Chriſti 717 ex die Martii 25. Deberet itaque *Canonice* (juxta Regulam) inire a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1465ᵗⁱ, in die Februarii 25 anni Chriſti 717ᵐⁱ; ſed *erroneë* init a Neomenia Thoth anni a Nabonaſſaro 1464ᵗ, in die Februarii 25 anni Chriſti 716.

3ª Hiſtorica Imperatorum hujus intervalli initia petita ſunt ex Antonii Pagi Critica in Annales Baronii.

C.

Quod attinet intervallum, in Appendice contentum, a Leone Armeno ad Conſtant. cum matre, quod eſt annorum circiter 100.

1ª Primi hujus intervalli Imperatores *Leo Armenus* & *Michael Balbus* recte procedunt.

2ª Reliquorum autem Imperatorum, fere omnium initia Hiſtorica & Canonica plane a ſe invicem ita diſſentiunt, ut minime Regulæ adſtringi poſſint, & non tantum uno anno, ſed etiam quandoque biennio, imo etiam triennio diſtent.

FINIS.